CHRONICA

REF. PROVINCIAE S. LEOPOLDI

TYROLENSIS

CHRONICA

REF. PROVINCIAE S. LEOPOLDI

TYROLENSIS

EX OPERE GERMANIA FRANCISCANA

P. VIGILII GREIDERER

O. M. S. FRANC.

DENUO EDITA

AD CLARAS AQUAS

(QUARACCHI PROPE FLORENTIAM)

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

1894.

PRAEFATIO

Auctor huius opusculi iure censendus est diligentissimus praeterlapsi saeculi investigator historiae Fratrum Minorum S. Francisci in variis Germaniae regionibus degentium. Hinc de eiusdem vita et scriptis benevolo lectori nonnulla tradenda esse putavimus, quae fere omnia extracta sunt ex his, quae scripta sunt a quodam anonymo P. Vigilii confratre et inserta tomo II. *Germaniae Franciscanae,* qui post mortem eiusdem 1781 in lucem prodiit.

Natus est igitur P. Vigilius Greiderer (in saeculo Franciscus nominatus) die 10 Decembris 1715 in civitate Kufstein ex honesta familia. Emenso in Gymnasio Halensi litterarum humaniorum curriculo, studia philosophiae et theologiae in Universitate Oenipontana absolvit. Morum candore, diligentia et in litteris progressu inter coaetaneos eminebat. A Deo inspiratus, die 16 Maii 1735 habitum Seraphici Ordinis induit, anno sequenti solemnia vota emisit, et absolutis studiis monasticis, ad officium Lectoris est promotus, quo per plures annos magna cum laude functus est. Postea saepius Guardianus, bis Definitor, bis Custos ac demum Vicarius Provincialis electus est. Praeter multiplices alios labores et molesta itinera an. 1768 pedester et pauper accessit Valentiam in Hispania, ut Capitulo Generali ibi celebrando ex officio assisteret. Vir fuit vita exemplari, regularis vitae zelo, invicta patientia, profunda cum mansuetudine coniuncta humilitate vere venerabilis.

Quidquid explendis horum officiorum negotiis et pietatis exercitiis temporis supererat, id omne impendebat colligendis et illustrandis monumentis ad historiam Ordinis sui per Germaniam diffusi, nec ulli parcebat labori, ut ex archivis

Provinciarum et innumeris voluminibus scriptorum domesticorum et extraneorum apta extrahere fontesque propriis oculis inspicere posset. Unde ipse profitetur, quod omnes scriptorum locos in suo opere allegatos, nisi aliud notatum sit, ipse excerpserit, simulque monet, quod, si interdum quaedam citatio non quadret, hoc potius debere attribui usui diversarum editionum.

Post multorum annorum laborem an. 1777 evulgavit tomum I. operis, cui hic titulus: P. Fr. Vigilii Greiderer Ord. Min., Ref. Prov. Tyrolensis D. Leopoldi Custodis actualis *Germania Franciscana,* seu *Chronicon* Geographico-Historicum Ordinis S. Francisci in Germania, tractans primario de Provinciis et Domiciliis dicti Ordinis sub stemmate Observantium militantibus, secundario etiam de aliis sub iurisdictione aliorum Superiorum repositis. Tomus I. — Germania Franciscana orientali-australis etc., in quo, praemissis Incunabulis Ord. S. P. Francisci in Germania, Provinciae et Domicilia in tractu orientali-australi Germaniae delineantur. — Oeniponte, Typis Ioannis Thomae de Trattnern. M.DCCLXXVII. fol. pag. 878 et index generalis paginarum 62.

In hoc I. tomo continentur: Lib. I. Incunabula Ordinis Minorum in Germania; lib. II. Prov. Croatiae, Carniolae S. Crucis; lib. III. Prov. Austriae S. Bernardini; lib. IV. Prov. Bohemiae S. Wenceslai; lib. V. Prov. Silesiae S. Hedwigis.

Post mortem auctoris, ut diximus, prodiit huius operis tom. II. cum eodem titulo principali, sed adiectis verbis: « Germania Franciscana australi-occidentalis, seu Chronicon geographico-historicum Ord. S. P. Francisci in Germania australi-occidentali, in quo Provinciae et Domicilia in tractu australi Germaniae situatae delineantur. Cum permissu Superiorum et approbatione Caesareo-Regia Vindobonensi. Anno MDCCLXXXI » (absque additione loci et typographi, sed, ut continuo dicemus, hic tomus impressus est Augustae Vindelicorum an. 1781). In hoc II. tomo (paginarum 672, adiecto indice 60 pag.) tractatur historia Provinciarum *Tyrolensis* (eadem, quam nunc denuo edimus), *Bavaricae, Tridentinae* et *Helveticae.*

Ex praefatione huic tomo praefixa satis patet, editionem eiusdem « plura fata subiisse », cum regius censor Vindobonensis difficultatem pro obtinenda approbatione attulerit. Notissimum est, cuius spiritus ea aetate in Austria censores publici esse consueverint. In citata igitur praefatione inter alia legitur: « Opus magna industria, multas inter vigilias et labores congestum, ob rerum descriptarum copiam et diversitatem haud inaestimabile, quod tamen *non nisi post plura fata* typum subiit, et antequam hunc finiret, suum amisit auctorem ». Et infra dicitur, *librum multam crisim passum* esse. « Verumtamen etiam hanc sensim eluctatus est, ut alter operis Tomus *ad placita Censoris Vindobonensis limatus,* lucem publicam, ut vides, subiret ».

Tertium quoque operis tomum idem conscripsit nondum editum, sed in manuscripto conservatum, qui agit tantum de historia Provinciae Argentinae; videtur tamen non penitus esse absolutum et perfectum.

De primo et secundo tomo ipse auctor in his suae Provinciae chronicis (pag. 362 nostrae editionis, pag. 218 antiquae ed.) asserit, secundum tomum exiisse Augustae Vindelicorum. — Ibidem refertur, quod auctor « tres chartas geographicas, Provincias quasdam Ordinis S. Francisci exhibentes, delineavit et Augustae Vindelicorum aeri incidi fecit. Inter eas venit: 1. Germania seraphica observans 1751. 2. Hungaria seraphica observans 1752; 3. Polonia seraphica observans 1754 ».

In libro memoriali Conventus Suazensis (Schwaz) de defuncto P. Vigilio legitur: « Composuit duos tomos de historia Franciscana cum *variis miscellaneis* ». Hinc coniectare possumus, quod praeter dictas chartas et tertium tomum alia amplissima collectania et fortasse alia opuscula nunquam edita scripserit, quae iniuria temporum periisse videntur.

Laboriosissimus et religiosissimus auctor in conventu modo nominato pie in Domino obdormivit 26 Dec. 1780, aetatis suae annorum 65.

Duo *Germaniae Franciscanae* volumina impressa, quae in bibliothecis Tyrolensibus frequenter inveniuntur, iam in Ger-

mania sunt satis rara, in aliis regionibus rarissima. Optandum quidem esset, ut hoc grande opus, adiectis notis et supplementis, qualia recentiora tempora expostulant, iterum publicaretur, quod sine magnis laboribus et expensis fieri nequit. Exiguam partem, sed prae ceteris praestantem, scilicet Chronica Provinciae S. Leopoldi, cui auctor erat adscriptus, ob certas quasdam rationes denuo imprimendam suscepimus. Novam editionem omnino fideliter secundum originalem editionem, correctis tamen non paucis erroribus typographicis, exhibemus.

EDITOR.

INDEX CAPITULORUM

CAPUT I.

ORIGO ET PROGRESSUS ISTIUS PROVINCIAE.

§. 1.

Regiones, per quas Provincia haec diffunditur, succincto calamo exarantur.

1. Sphaera propria Provinciae Tyrolensis Austria anterior censetur, secata in Tyrolim et Sueviam Austriacam, hoc est terras Austriaci dominii circulo Suevico contiguas. *Tyrolis,* aliis *Tirolis,* vulgo *Tyrol, Tirol,* olim Rhaetiae pars, a castro huius nominis, uti pluribus placet, nomen adepta, de praesenti princeps comitatus circuli Austriaci, ab oriente parte dominii Veneti, Carinthia et Archiepiscopatu Salisburgensi, a septentrione parte circuli Bavarici ac Suevici, ab occidente dominiis montis Arulani [1] ac Grisonum ditione, a meridie denuo parte dominii Veneti circumscribitur. A septentrione in meridiem in linea recta 25, in linea obliqua 35 [2], et ab occidente in orientem 27 [3] circiter milliaria germanica, insistendo chartis maioris exactitudinis, emetitur. Secatur in vallem Oenanam et Athesinam, ex quibus haec ab Athesi; illa vero ab Oeno potiori ex parte irrigatur. Oenanae valli magis communiter Pustria, alias Pustrissa cum Brixina, eiusque vicinia adiungitur: quem districtum quidam Geographi per nomen

---

[1] Videlicet comitatu Brigantino, Bludentino, Sonnebergensi et Veldkirchensi, monti, a German. Arlberg, quibusdam Adlerberg dicto, accumbentibus.

[2] Scriptores, 24 assignantes, nimis parci sunt.

[3] Neutiquam unice 20.

Episcopatus Brixinensis exprimunt. Ex fluviis specialem memoriam Oenus (Inn) ac Athesis, Germanice Etsch, Italice Adige, naves ferentes, expetunt. Accedunt Dravus (Drau) et Lycus (Lech) exiguam partem Tyrolis humectantes et extra eam in famosos fluvios excrescentes. In limitibus et gremio Tyroleos copiosi montes capita efferunt et propugnaculi instar incolis serviunt. Experimentum anno 1703 Galli et Bavari hauserunt, qui, licet haud exiguam partem Tyrolis occupassent, incolis ad arma convolantibus, variis cladibus affecti, recessui cecinerunt. Vallis Oenana pingui pecorum cultura, argenti, cupri, plumbi et aliorum mineralium fodinis, lapidibus pretiosis, feris et aliis rebus; vallis vero Athesina, de qua plura in Provincia Tridentina, generoso vino, fructibus optimi saporis, oleo, serico et aliis praestat. Incolae ad obsequia propensi, erga hospites officiosi, foedere constantes, sinceri ac zelosi Catholici celebrantur. Ex urbibus in valle Oenana Oenipons, totius comitatus metropolis, ac Tridentum, vallis Athesinae caput, eminent. Insignia Tyroleos Aquilam rubram, cum corona et pedibus rubris, per cuius alas semicirculus aureus, in trifolium aureum desinens extenditur, in area alba sistunt [1].

2. Tyrolis, iuxta modernos limites inspecta, iam in tribus primis Ecclesiae Catholicae saeculis, aliqua semina, licet sat parca, de fide vera recepit, quae subsequentibus saeculis in largiori numero apparuerunt et successive totam regionem ad fidem Catholicam deduxerunt. Ex viris illa dispergentibus SS. Hermagoras, Aquileiensis Antistes, M. Cassianus, Episcopus Sabionensis, et M. Vigilius, Episcopus Tridentinus et Ingenuinus, Ep. Sabionensis, Valentinus, Ep. Rhaetiae, Rupertus, Ep. Juvaviensis [2] et quidam alii specialem notam merentur. Ad fidem hanc stabiliter conservandam duae in Tyroli adsunt cathedrae Episcopales, videlicet Brixinensis et Tridentina. Licet Lutherus et Calvinus eorumque asseclae, vix non omnes Germaniae terras suis perversis doctrinis vel ex toto, vel ex parte infecerint, Tyroli tamen suum virus afflare haud valuerunt. Comitatus hic successive diversis dominis paruit, videlicet Regibus Germanicis, Romanis Consulibus, Romanis Imperatoribus, Regibus Lombardicis, Ducibus Bavariae, Regibus Francicis, Ducibus Saxonicis, Comitibus propriis, nec non Andecensibus, Meraniensium Ducum titulo insignitis, subin etiam comitatui Goritiensi ac Carinthiae ducatui leges dictantibus. Istis, vi donationis, a Margaretha Maultaschia anno 1363 factae et sequente firmatae, successerunt Duces, dein Archiduces Austriae. Appono Principes Comites, Tyrolim

---

[1] Brandis, Fugger, Burglechner in Aquila Tyrol. MS. Granelli auctus in Topograph. Germ. Austr. part. I. pag. 211. de Schmid in L. de SS. Tyroleos, Mohr in Chron. Tyrol. Epit. Cluv. Lex. Basil. et alii.

[2] Locus huius cathedrae nunc Salisburgum vocatur.

ab exordio Religionis Seraphicae moderatos, quantitatem eiusdem nominis ab an. 1150 mensurans [1].

Comites Tyrolenses.

Albertus II. (Albertus I. sub titulo Comitis Tyroleos an. 1150 insinuatur, et Albertus alius, isto prior, an. 1106 et 1110 occurrens, expresse Comes Tyrolensis non appellatur) filius Henrici I. Comitis Tyrol. † circa an. 1208.

Albertus III. filius Alberti II. infra sistendus.

Duces Meranienses.

Otto I. (qua Dux Meraniensis) etiam Senior dictus, Bertholdi III. [2] Ducis Meraniae et Marchionis Istriae, an. 1204 vita functi filius, Dux Meraniensis et Palatinus Burgundiae † 1234.

Otto II. seu Iunior, eius filius Dux Meraniensis † 1248.

Principes Comites ac Domini Tyroleos ulteriores.

Albertus III. [3] prius allegatus, † 1253.

Meinhardus I. qua Comes Tyrolensis, III. qua Comes Goritiensis et Gebhardus Comes Hirschbergensis, gener Alberti III., Comitatum inter se dividentes, isto vallem Oenanam, illo vallem Athesinam et districtum in Episcopatu Brixinensi, ab Oeno remotum retinente. Meinhardus † 1258. Gebhardus suam partem an. 1284 Meinhardo IV. vendidit, et, si non prius, certe an. 1308, quo de eius haereditate transactum, decessit.

Meinhardus II. qua Comes Tyrol., IV. qua Goritiensis, subin et Dux Carinthiae † 1295.

Otto III., Ludovicus et Henricus II. qua Comes Tyrol., V. qua Dux Carinthiae, fratres; ex his secundus † iuxta Coronini 1305, primus † 1310. et tertius, ad tempus Rex Bohemiae † 1335 [4].

Ioannes Marchio Moraviae, maritus primus Margarethae Maultaschiae, Tyroleos haeredis, amotus 1341.

Ludovicus II. qua Comes Tyrol., Marchio Brandenburg. maritus secundus fatae Margarethae † 1361.

---

[1] Brandis, Fugg. Burglechner, Mohr cit. Rösch. in Annal. Eccles. Sabion. nunc Brix. t. I. p. 12. etc. Granelli cit. p. 216. etc. Hansiz. t. I. Lex. Basil. Coronini in tentamine Genealog. Comit. Gorit. sub directione Erasmi Frölich S. I. congesto. Steyrer in Commentariis de Alberto Sapiente Austr. Duce et alii.

[2] Bertholdus IV. a variis scriptoribus tactus, cum isto, uti Coronini p. 96 etc. ac 105 etc. fundate probat, coincidit.

[3] Hic primus a Ducum Meraniae titulo, loco Marchionum ad Athesin substituto, abstinuit.

[4] Authentice hoc Steyrerus ostendit.

Meinhardus III. ut Comes Tyrol., V. ut Goritiens. Bavariae Dux † 1363.

Rudolphus I. Magnanimus † 1365.

Albertus cum Trica, Dux Austr. IV., qua Comes Tyrol. † 1395 [1] et Leopoldus I. Probus † 1386.

Leopoldus II. † 1411.

Fridericus cum vacua pera [2] † 1439.

Sigismundus † 1496.

Maximilianus I. Imp. † 1519.

Carolus I. ut Comes, V. ut Imp. cessit administrat. 1521 al. 1523 † 1558.

Ferdinandus I. Imp. † 1564.

Ferdinandus II. filius Ferdinandi I. Tyrolensis dictus † 1595.

Rudolphus II. Imp. cessit regimen 1602 † 1612.

Maximilianus II. qua Comes, istius frater, III. qua Archid. † 1618 [3].

Leopoldus III. qua Comes, Caroli Austr. Styriae Ducis filius [4] † 1632.

Ferdinandus Carolus † 1662.

Sigismundus Franciscus † 1665.

Leopoldus IV. ut Comes, I. ut Imp. † 1705.

Iosephus I. Imp. † 1711.

Carolus II. ut Comes, VI. ut Imp. † 1740.

Maria Theresia.

3. Tyrolim *Suevia Austriaca*, vulgo *das Oesterreichische Schwaben* excipit, stans in illis terrae portionibus, quae in Suevia et regionibus ad istam revocabilibus, puta Brisgovia, Algovia, Rhaetia superiore et aliis morantur ac augustissimae domui Austriacae in temporalibus morem gerunt. Hic terrae tractus, comitatui Tyroleos olim aggregatus, discernendus venit a circulo Suevico; hic enim particularem Imperii Romano-Germanici circulum in Austriam anteriorem (utpote circulo Austriaco insertam) nullum ius habentem, efformat. Porro sub Austria anteriore continentur marchionatus Burgaviensis, comitatus olim landgraviatus Nellenburgensis, comitatus Veldkirchensis, Bludentinus, Montfortensis [5], Brigantinus et Hochenbergensis, momentosa pars Brisgoviae, pars Ortenaviae, praefectura Sueviae, quatuor urbes Sylvestres, puta Rhenofelda, Segginga, Lauffenburgum et Waldishutum, nunc Brisgoviae adscriptae, variae aliae civitates limitibus circuli Suevici accubantes, cum locis, iisdem attributis, videlicet Villinga, Ehinga, Sulgavium, Munderkinga, Waldsea, Constantia, Riedlinga et

---

[1] Neutiquam an. 1386, uti ex genealogistis exactis palam est.

[2] Ernestum a Brandisio adductum omitto, quia unice ad tempus loco Friderici exauctorati Tyroli praefuit.

[3] Pro hoc Brandis, Hansiz et documenta authentica stant.

[4] Ab initio Gubernator et ab anno 1624, al. seq. pleno iure Princeps Tyroleos.

[5] Intellige in sensu partiali, alia enim pars Comitibus huius nominis paret.

quaedam aliae. Brisgovia, aliis Brisgoia, vulgo Breisgau, regio nobilis, ab occidente Rheno et Alsatia, ab oriente Sylva nigra, a septentrione eadem, a meridie Helvetia terminata, vino, frumento, pecoribus ac aliis rebus abundans, inter civitates maioris momenti Friburgum ac Brisacum producit. Sueviae propriae et quarumdam aliarum regionum ad eam revocabilium, indoles in Provincia Argentinensi, seu Germaniae superioris, pandetur, ubi etiam agetur de circulo Suevico, in quo Provincia Tyrolensis actu duos Conventus, videlicet Sigmaringanum et Füessensem recenset [1].

§ 2.

Origo Provinciae Tyrolensis FF. Minorum de Observantia, eiusque intra an. 1580 ac 1600 status.

4. Traditio, a pluribus saeculis continuata, dat, quod S. Franciscus, priusquam fundamenta sui Ordinis foderet, negotio sui patris, nempe mercaturae vacans, Bulsanum, celeberrimum Tyroleos emporium, ab Italis maximo numero frequentatum, salutaverit, ibique in SS. Missae Sacrificio ministrum altaris egerit. In stabile huius actus monumentum campanula, quam Divus in Missae ministerio pulsasse dicitur, restat, eximia virtute contra mugientia, irato caelo, tonitrua aerisque fulgura praedita. Ordine Minoritico fundato et in ampliorem formam extenso, per suos Fratres Tyrolim invisit. Agmen primum Fratrum duxit Ioannes de Pinna, in aditu Germaniae, credibilius per Tyrolim tentato, ob linguae imperitiam male exceptus et ad reditum, uti fusius t. I. l. l. n. 17. dixi, compulsus. Secundum direxit B. Caesarius de Spira, Germanus, in Tyroli nunc dulcia, nunc amara, ex dictis t. I. l. l. n. 20 et 21. gustans. Successerunt paulo post Clarissae, Tridenti et Brixinae sedem figentes. Invenire quoque licet loca, in moderna Suevia Austriaca sita, quae in saeculo XIII. Minoritas exceperunt et domiciliis bearunt [2].

5. Plures Provinciae FF. Minorum ante exordium formale Provinciae Tyrolensis D. Leopoldi in Tyroli et residua Austria anteriori, iuxta modernos limites [3] inspecta, castra metatae sunt. Provincia S. Antonii FF. Minorum, in Veneto dominio conclusa, Tridenti et Ripae Conventus, Custodiae Veronensi olim insertos et cum tempore Conventualismum amplexos

---

[1] Crus. Fugg. Lex. Basil. Lex. Hübneri. Epit. Cluver. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et alii Scriptores.

[2] Auctores in Conventu Bulsanensi, Monasteriis Tridentino ac Brixinensi allegandi.

[3] Antiquitus Tridentina vicinia ad Tyrolim non revocabatur; Austriaca econtra ditio in Suevia et eius vicinia multo amplior extitit, utpote in Helvetiam, Alsatiam et alias terras excurrens.

obtinuit. Provincia S. Antonii de Observantia Tridenti, Arci et Oeniponte[1] Conventus posuit, duo primi subin a Reformatis incolebantur, ultimus vero Provinciae Argentinensi anno 1573 consignatus fuit. Provincia Austriaca FF. Minorum Bulsani Conventum; Brixinae vero ac Meraniae residentiam apud Moniales acquisivit. Incolae primi trium horum domiciliorum Minoritae, absolute tales, dein Conventuales extiterunt; ultimate Conventus Bulsanensis Observantibus Provinciae Austriae, Residentia vero Brixinensis Observantibus Provinciae Argentinae cessit. Provincia Austriaca de Observantia Suazii novum Conventum erexit et Conventu Bulsanensi, amotis Conventualibus, potita est. Provincia Argentinae, olim Alemanniae, FF. Minorum Friburgi in Brisgovia, Brisaci, Villingae, Constantiae ac Neoburgi ad Rhenum, stabilem sedem nacta est. Ex his domiciliis omnia, dempto Friburgensi, in divisione Ordinis Conventualibus remanserunt. Provincia Argentinae de Observantia Friburgensem a mox tacta Provincia et Residentiam Brixinensem a Provincia Austriaca Conventualium, nec non Oenipontanum ab Observantibus Provinciae S. Antonii retulit. Clarissae Tridenti, Brixinae, Friburgi in Brisgovia ac Villingae sedem fixerunt. Tertius quoque Ordo S. Francisci variis in locis, uti ex hoc §. et decursu libri huius, ac actis Prov. Argentinae innotescet, domicilia assecutus est[2].

6. Ferdinandus Archidux Austriacus, II. qua Comes Tyrolensis, Ferdinandi I. Caesaris filius[3], eximius Ordinis Seraphici (quem saepe saepius coram principibus ac eorum proceribus *medullam Orbis Christiani* appellare consuevit) fautor, seria mente revolvens, Provincias Argentinae et Austriae de Observantia, in sua ditione coenobia recensentes, paucitate Fratrum laborare, sicque Monasteriis sui dominii haud sat bene provisum esse, statuit, ex Monasteriis Fratrum et Sororum, in sua ditione constrictis, distinctam Provinciam excitare, hocque medio praefata Monasteria ad meliorem florem promovere, negotium coram summa Sede urgens, ab initio, quibusdam rem occulto impedientibus, exauditus non fuit; at paulo post in benevolas incidit aures. Oenipontem attigerat Henricus Sedulius, Minorita de Observantia, alumnus Provinciae Germaniae inferioris, Lovanii SS. Theologiae Professor, an. 1578 ex Belgio una cum aliis Fratribus, partim ob motus Geusiorum largo sanguine Catholicorum sua arma cruentantium; partim ob pestem ac famem pulsus. P. Valentinus Frizius, loci Guardianus, hunc virum, in Italiam iter meditantem, convenit, ut in Conventu Oenipontano subsisteret et Fratres iuvenes in studio excoleret. Petito huic usque ad an 1580 satisfecit, quo Archidux Ferdinandus eum Romam cum litteris ad D. Cardinalem Alciatum, Ordinis Protectorem, ad D. Episcopum Spo-

---

[1] Neutiquam Friburgi, Bulsani ac Suazii, uti quidam perperam asserit.

[2] Auctores innotescent in locis, descriptioni istorum coenobiorum destinatis.

[3] Hueb. perperam eum Ferdinandi I. fratrem appellat.

reum, oratorem Archiducis, Franciscum Gonzagam, Ordinis Ministrum Generalem, submisit, rogitans, ut Provincia nova in sua ditione institueretur, Henricus Sedulius Commissarius Apostolicus pro eius erectione destinaretur ac eidem ut Minister Provincialis, salvo privilegio, ut eius successores libere eligerentur, praeficeretur. Vix Legatus hic Romae suas litteras exposuit, Minister Generalis Gregorium XIII. P. P. adit et sequens Diploma, die 16. Aprilis subscriptum, pro fundatione Provinciae Tyrolensis obtinuit [1].

Grgorius XIII. Papa

Dilecto Filio Henrico Sedulio Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum professori.

Dilecte Fili! Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quo Religiosorum domus, in unam Provinciam reductae facilius regantur, aequum est auctoritate nostra providere. Cum itaque, sicut accepimus, non mediocriter censeatur expedire, singulas religiosorum virorum domus Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, videlicet Oenipontanum, Friburgensem, Suacensem et Bolcianensem ac Monasteria Monialium sub regula S. Clarae, in quibus secundum instituta ac sub cura Fratrum praedictorum vivitur, quae in dominiis ac temporali ditione dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Archiducis Austriae consistunt et continentur, in unam Provinciam, Tyrolis nuncupandam, redigi, eidemque Provinciae aliquem eiusdem Ordinis professorem in Ministrum Provincialem praefici et praeesse. Nos dictis de causis adducti, nec non eiusdem Ferdinandi Archiducis votis pro sua insigni erga Religiosos omnes pietate, id enixe desiderantis, annuentes, tibi, qui in Academia Lovaniensi, ac in plerisque eiusdem Ordinis domibus inferioris Germaniae, ex qua ortum ducis, theologiam non mediocri laude docuisti ac de Religionis zelo, vitae munditia non mediocriter apud Nos commendaris, per praesentes mandamus, ut domos, ac Monasteria praefata in dictis dominiis et ditione sita, in unam Provinciam, Tyrolis nuncupandam, adinstar aliarum eiusdem Ordinis Provinciarum redigas, eidemque Provinciae, Tyrolis nuncupandae, in Ministrum Provincialem insignem aliquem eiusdem Ordinis professorem constituendum et deputandum esse, ac iuxta eiusdem Ordinis regularia instituta, canonice in Ministrum Provincialem, ut in aliis Provinciis consuevit ac moris est, deputatum, Capitulis Generalibus ac aliis actibus, quibus alii eiusdem Ordinis Provin-

[1] Gonz. in Prov. Tyrol. p. 610. edit. Venetae Hueb. in chron. col. 817. 818. ac 929. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 312. etc. Chron. Comp. Prov. Tyrol. p. 7. etc. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan., per quae semper intelligo ea, quae ex Protocollo, aut Archivo Provinciae depromsit Reinec. in Thalete l. 3. c. 4. p. 491.

ciales intersunt, interesse ac vocem activam et passivam in electione Generalis Ministri ac aliis negotiis praedictis habere: eidemque domus ac Monasteria sic in Provinciam redigenda illiusque Provincialem Ministrum omnibus et singulis facultatibus, gratiis, privilegiis, exemptionibus, quibus aliae eius Ordinis Provinciae illarumque Ministri Provinciales utuntur, potiuntur et gaudent ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri et gaudere posse statuas et decernas, mandantes in virtute s. obedientiae universis et singulis domorum et Monasteriorum dicti Ordinis in dominiis et ditione praefati Ferdinandi Archiducis consistentibus, ut Ministro Provinciali, postquam canonice et legitime electus fuerit, tanquam membra capiti, tam in his, quae ad morum correctionem et visitationem, quam aliis quibuscunque ad regularis vitae observantiam, aut alia pertinentia, prompte et humiliter pareant, obediant et intendant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis ac consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis Ordini praedicto illiusque superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum clausulis quibusvis irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Aprilis Anno MDLXXX. Pontificatus Nostri anno octavo.

CAES. FLORIERIUS.

Fidem facio praesentis Brevis transumptum in omnibus convenire cum proprio originali, manu propria et Sigilli maioris nostri officii appositione.

FR. FRANCISCUS GONZAGA
Min. Generalis confirmo manu propria.

7. Die sequenti cit. Minister Generalis adiit Summum Pontificem ac eidem vota Principis Ferdinandi, ut Henricus Sedulius Minister Provincialis Provinciae Tyrolensis, noviter erigendae, designaretur, insinuavit. Sanctissimus lubens his subscripsit, vivae vocis oraculo praefatum virum Provinciae Tyrolensis Ministrum (servato iure quoad successores per vota eligendos) creans. Minister Generalis Henricum illico authenticis litteris, eodem die signatis, testimonium de potestate ei concessa ferentibus munivit

ac omnes Superiores in Monasteria Fratrum aut Sororum Tyroleos ac residuae Austriae anterioris iurisdictionem exercentes, a cura et gubernatione eorundem, Tridentino et Arcensi, uti habent monumenta nostrae Prov. exceptis, absolvit. Idem die 18. Aprilis exaravit alias litteras, quibus fato Henrico quatuor consultores, coadiutores et tanquam Definitores[1], mox exprimendos, in creatione Provinciae auxiliatricem manum ei porrecturos, constituit. Provinciam ad statuta Barcinonensia adstrinxit et Conventum Oenipontanum S. Crucis ad primatum extulit. Praeteriens alias litteras minoris momenti, ab eodem datas, sisto duas in hoc numero tactas[2].

FR. FRANCISCI GONZAGA

Ordinis Minorum Regularis Observantiae Generalis Minister et servus R. P. F. Henrico Sedulio salutem in Domino sempiternam.

Quoniam auctoritate S. D. N. Gregorii XIII. et Nostra, ad petitionem Serenissimi Domini Archiducis Austriae Ferdinandi constitutus et confirmatus es Commissarius Apostolicus et Minister pro uniendis Monasteriis tam virorum, quam mulierum Instituti Nostri in ditione praedicti Archiducis constitutis, ut ex his Provincia Tyrolensis conficiatur; quo omnia maiori cum tranquillitate transigi queant, harum praesentium tenore absolvimus a cura et gubernatione Conventuum Tyrolensium Commissarios et omnes alios, qui ante hac aliquam auctoritatem vel Commissionem in praedictos Conventus habuerunt. Id quod pro arctiori pace servanda R. P. Commissario Alvares[3] et R. P. Ministro Argentino[4] quam citissime significare teneberis. Vale et Deum pro nobis ora. Datae Romae in Conventu Nostro Ara Coeli die 17. April. An. 1580.

|L. S.|

FR. FRANCISCUS GONZAGA,
qui supra manu propria.

Fr. Franciscus Gonzaga totius Ordinis Generalis Minister et ser-

---

[1] Non vocantur Diffinitores absolute tales, quia Capitulo Provinciali et per vota vocalium non erant electi.

[2] Cont. orb. Seraph. t. 5. p. 314. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

[3] Per hunc credibilius intelligitur Michael Alvarez, Commissarius Generalis Monasterii Viennensis ad Reginam, an. 1582 constitutus, qui credibiliter iam a priori aliquam iurisdictionem generalem in quasdam Provincias Germaniae exercuit.

[4] Intelligitur Minister Provinciae Argentinae.

rus, R. P. F. Henrico Sedulio Commissario Apostolico, et Ministro Provinciae Tyrolis dignissimo, salutem in Domino sempiternam.

Quandoquidem in rerum permutationibus multae difficultates emergere solent, quod etiam in ista Provinciae Tyrolis erectione futurum esse dubium non est, ne tu eas solus ferre cogaris, sed habeas Patres prudentes ac probos, qui tibi sano consilio adsint. Idcirco tenore praesentium Nostra auctoritate constituimus quatuor Patres consultores, coadiutores et tanquam Definitores, nempe R. P. F. Ioannem Nasum, Concionatorem Apostolicum dignissimum, R. P. F. Constantinum Tyras, Guardianum Ultraiectensem[1]*, R. P. F. Gabriel de Merano, Praesidentem in Conventu Nostro Swaz et R. P. F. Ioannem Wolmuet, Vicarium Conventus Nostri Oeniponte, qui Patres tecum in istius erectione pro amore Dei et Religionis Nostrae omnia transigere possunt, maxime vero unitis Conventibus et Provincia constituta in Capitulo, quod primo tempore celebrari debet, in quo isti Patres possunt reeligi in Definitores, ut moris est et religionis. In Capitulo declarabitur observanda esse statuta Barcinonensia et Conventum Oenipontanum in gratiam Serenissimi Archiducis esse debere primum Conventum Provinciae; nec non cetera omnia constituentur, quae ad salutem animarum, incrementum Religionis Nostrae, et quod prius dici oportuit, spectare videbantur ad gloriam Dei, cui te ex animo commendamus, quemque vicissim pro Nobis orabis. Vale.*

Datae Romae in Nostro Conventu Ara Coeli die 18. April. 1580.

[L. S.]

Fr. Franciscus Gonzaga,
qui supra manu propria.

8. Henricus Sedulius, his litteris munitus, Roma movit et salvis avibus Conventum Oenipontanum attigit, ubi anno eodem die 12. Maii, Christo in coelum ascendenti sacro, coram toto Conventu Fratrum, praesente D. Iustiniano Moser, Archiducis Cancellario et alio Consiliario, Archiduce vero in oratorio aulico Monasterii se detinente, Breve Apostolicum ac litterae Ministri Generalis lectae sunt, et Provincia Tyrolensis D. Leopoldi in executione formale initium acquisivit. Eodem die Conventus Oenipontanus a Provincia Argentinensi seiunctus et primarius Conventus Provinciae Tyrolensis constitutus fuit. Loco Valentini Frizii[2], officium Guardianatus mox resignantis et cum pluribus Fratribus in nova Provincia stationem figere nolentibus, extra limites novae Provinciae concedentis, Constantinus Tyras, olim Guardianus Ultraiectensis, ab haereticis ex isto Conventu pul-

---

[1] Stetit Ultraiecti, vulgo Utrecht, celebri civitate in Belgio foederato sita.

[2] Credibilius est ille, qui dein evasit Commissarius Generalis Germaniae superioris, et saepius in Provincia Austriae tactus fuit.

sus, officium Guardiani retulit. Conventum hunc successive secuta est unio coenobiorum tum Fratrum tum Sororum, huic Provinciae adiectorum, publicis instrumentis [1], in Archivo Provinciae repositis, firmata. Ex Conventibus Fratrum primi Ordinis anno 1580, ultra Conventum Oenipontanum iam tactum, ei accrevit 1. *Suazensis* die 18. Maii, a Provincia Austriae de Observantia avulsus. 2. *Bulsanensis* die 1. Iunii ab eadem Provincia diremptus. 3. *Brisgovio-Friburgensis* die 6. Iulii a Provincia Argentinensi Observantium depromtus. Accedit unica Residentia, videlicet *Brixinensis,* iuxta Clarissas posita, anno eodem die ultima Maii a Provincia Argentinensi separata et Tyrolensi annexa. Ex Monasteriis Clarissarum veniunt duo, *Brixinense* an. 1580 die ultima Maii ac *Friburgense*, die 7. Iulii anni praefati a. Provincia Argentinensi secata. Succedit Monasterium unicum Fratrum tertii Ordinis, videlicet *Bernstainense,* a Provincia Argentinae ad Tyrolensem anno 1580 die 29. Aug. translatum. Epilogum faciunt 14 [2] Monasteriola, seu domus Sororum tertii Ordinis a Provincia Argentinensi secata et Tyrolensi adiuncta. 1. *Nordstetense* anno 1580 (qui etiam in undecim sequentibus locum habet) die ultima Augusti. 2. *Horbense medium, Congregatio media* vocatum, die 1. Sept. 3. *Horbense inferius*, *Congregatio inferior* dictum, eodem die. 4. *Eitingense* die 2. Sept. 5. *Rottenburgense*, seu *Ehinganum ad Nicarum*, die 5.Sept. 6. *Silchense* die 6. Sept. 7. *Oglspirense* die 12. Sept. 8. *Warthusianum* die 13. Sept. 9. *Ehinganum ad Danubium* die 15. Sept. 11. *Ginzburgense* die 19. Sept. 12. *Weldense* die 21. Sept. 13. *Waldseense* an. 1581 die 2. Aug. 14. *Seckinganum* an. cit. die 29. Aug. Porro Henricus Sedulius, domiciliis Friburgensibus Fratrum et Sororum Provinciae Tyrolensi annexis, in partes inferiores Rheni, conformiter ad voluntatem Principis Ferdinandi, descendit; Colonia die 21. Iulii an. 1589 attacta, aliquot fratres suae Provinciae, occasione fugae in Provincia Coloniensi Observantium morantes, conduxit, hisque Provinciae Tyrolensi, paucitate Fratrum pressae, aliqualiter providit [3].

9. Conventus Tridentinus S. Bernardini et Arcensis, in valle Athesina siti, Provinciae adiuncti non fuere, eo quod, uti attestatur Henricus Sedulius in actis sui officii, pro Reformatis destinati fuerint, quos Minister Generalis suis domiciliis exuere nequivit. Veritati quidem consonat, Fratres in valle Athesina natos et Provinciae S. Antonii adscriptos, pro unione domiciliorum in patrio tractu positorum, paulo post, et quidem ante mor-

---

[1] Hinc a veritatis tramite aberrant ii, qui Provinciam Tyrolensem filiam Provinciae Bosnae-Croatiae, seu Croatiae-Carnioliae faciunt, aut aiunt, Conventus Suazensem ac Bulsanensem circa an. 1572 aut an. 1625 aut 1627 a Provincia Austriaca ad Tyrolensem translatos esse.

[2] Gonz. p. 610. mihi sexdecim recensens per excessum, et alius septem adducens per defectum peccant.

[3] Hueb. in Chron. Col. 1344. et duabus seq. Cont. Orb. Seraph. t. 5. pag. 314. Chron. Prov. Tyrol. pag. 7. et aliis. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

tem Ferdinandi (quae anno 1595 correspondit)[1] sudasse, et hoc idem sub Maximiliano Archiduce in seq. saeculo egisse; at, Principibus existimantibus talem unionem ob diversitatem linguae, genii et morum in bonum spirituale haud cessuram, intentione sua frustrati sunt. De caetero Conventibus Fratrum, priori n. tactis, intra an. 1582 et 1600 haud alius accrevit ac Luccaviensis an. 1595 acceptatus. Ultra haec iurisdictio Ministri Provincialis in Conventum Oenipontanum per aliquot annos limitata fuit, utpote qui intra an. 1585-1603 immediate Ministro Generali Ordinis Seraphici, aut Commissario Generali familiae Cismontanae in principalibus punctis morem gessit[2].

10. Franciscus Gonzaga, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum dignissimus, exemplar integerrimum omnium virtutum, conformiter ad vota Ferdinandi Archiducis Austriaci Tyrolim moderantis, in Conventu Oenipontano appulsus, ibi Comitia Provincialia an. 1582 die 12. Febr. celebravit, in quibus sub praesidio praefati Ministri Generalis Gabriel Raber de Merano, seu potius Merania, clavum Ministri Provincialis retulit et Henricus Sedulius, qui officium sponte resignaverat, Definitor ac simul Guardianus Friburgensis Conventus evasit. In hoc quoque Capitulo ex mente Ministri Generalis et Ferdinandi Archiducis Provincia Tyrolensis familiae Cismontanae inserta fuit. Ordinatio haec in Congregatione Generali intermedia, Toleti an. 1583 sub Francisco Gonzaga Ministro Generali celebrata, robur hausit; etenim in ea statutum emanavit, quod in sensu Hispanorum ita sonat: *Provincia Tyrolensis, quae confecta est ex aliquibus Conventibus Provinciae Austriae, quae erat de familia Ultramontana, et ex aliquibus Conventibus Provinciae Argentinae, quae pertinet ad familiam Cismontanam, adnectitur familiae Ultramontanae ex consensu totius familiae Cismontanae.* Ne lector, in rebus nostri Ordinis haud sat expertus, existimet, hoc Decretum mihi contradicere, animadverto, istud in Hispania latum, iuxta morem Hispanorum et aliorum populorum, ad eandem familiam spectantium procedere, qui suam familiam vocant Cismontanam et nostram Ultramontanam; dum econtra Itali et ceteri populi eidem familiae affixi, istam Cismontanam et alteram Ultramontanam baptizent. Hinc in adiuncto decreto iuxta sensum Italorum et aliorum loco terminorum *Ultramontana, Ultramontanae* legere debes: *Cismontana, Cismontanae,* et loco terminorum *Cismontanam, Cismontanae* legere habes: *Ultramontanam, Ultramontanae;* enimvero in sensu nostrae familiae compertum est, Provinciam Austriacam familiae Cismontanae, et Argentinensem Ultramontanae annexam esse. In Capitulo Provinciali Oenipontano an. 1586 Pater Gabriel

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. cit. Hueb. in Chron. Col. 628. Chronol. Ord. t. I. p. 430.
[2] Vide ibidem.

de Merano primus Custos, ad Generale Capitulum mittendus, deputatus est ac de novo declaratum, Provinciam Tyrolensem in Cismontana familia stare, ac ad statuta Salamanticensia adstrictam esse. In Capitulo Generali Romano an. 1587 erectio Provinciae Tyrolensis confirmationis gratiam retulit [1].

11. Circa ordinem Conventuum, Provinciae huic adscriptorum, diversae intra an. 1582 et 1594 ordinationes factae sunt. In Capitulo Provinciali Oenipontano an. 1582 primus locus Oenipontano, secundus Bulsanensi, tertius Suazensi et quartus Friburgensi adiudicatus est. In Capitulo Provinciali Oenipontano an. 1586 secundum locum Conventus Suazensis, et tertium Bulsanensis obtinuit, caeteris in suo ordine remanentibus. In Congregatione intermedia Oenipontana an. 1594 sancitum fuit, ut conformiter ad Chronicon Gonzagae primum locum Conventus Oenipontanus, secundum Friburgensis, tertium Bulsanensis et quartum Suazensis occupet. Hic ordo, utpote aequitati conformis actu in suo vigore persistit. An. 1595 Oeniponti advenit Pater Bonaventura de Calataierone, Minister Generalis, ibi die 15. Augusti Congregationem Germanicam Generalem celebravit, varia pro bono Provinciarum Argentinensis [2], Austricae, Bohemicae, Hungaricae ac Tyrolensis disposuit, ac P. Bernardinum Arnoldum Commissarium Germaniae instituit. De cetero attendens, Provinciis Germaniae superioris consultum iri, si subinde Superiores confirmarentur, sequens decretum a Summa Sede obtinuit [3].

Clemens P. P. VIII.

Dilecte Fili! Salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecisti, quod pro feliciori Conventuum et Monasteriorum utriusque sexus tui Ordinis in superiori Germania consistentium gubernio expediet interdum, ut eorum Guardiani et Abbatissae ultra triennium in eorum officiis continuare possint, et propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, ut super hoc benigne indulgere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut quandocunque continuationem officiorum supra dictorum Monasteriis et Conventibus praedictis utilem fore, aut alias expedire iudicareris, super quo tuam conscientiam oneramus: Guardianis et Abbatissis pro tempore existentibus respective licentiam ultra triennium in eorum officio pro tempore, quo tibi visum fuerit, continuare libere et licite valeant, auctoritate Nostra concedas; non obstantibus quibusvis

---

[1] Orb. Seraph. t. 3. p. 365 ac p. 367. Chronol. Ord. part. I. p. 337. Monum. Prov. Tyrol. cit. Hueb. in Chon. Col. 929 Chron. Prov. Tyrol. p. 11 et seq.

[2] Ista subin in quibusdam litteris et protocollis vocatur Bavarica, sumendo partem principalem pro toto; nam Provincia Argentinae in circulo Bavarico saeculo XVI. praecipuos Conventus habuit, moderna Provincia Bavariae primum an. 1625 erecta fuit.

[3] Monum. cit.

constitutionibus Apostolicis et dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, nec non decretis et ordinationibus et Capitulis Generalibus dicti Ordinis in contrarium factis et disponentibus. Quibus omnibus et singulis vigore praesentium specialiter derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Tusculi sub annulo piscatoris die 19. Octob. MDXCV. Pontificatus Nostri anno quarto.

12. Intra annum 1580 et 1600 sequentes Ministri Provinciales pro bono Provinciae Tyrolensis excubias egerunt: *Henricus Sedulius* Cliviensis, a Gregorio XIII. an. 1580 die 17. Aprilis Minister huius Provinciae definitus et qua talis Oeniponte die 12. Maii promulgatus ac receptus. *Gabriel de Merano* seu *Merania* ex stirpe *Raber*, Meranensis, Oeniponte an. 1582 die 12. Febr. [1], praeside Francisco Gonzaga, Ministro Generali, electus et ad quadriennium officio suo functus. *Michael Landmann*, Oeniponte die 28. Ianuarii an. 1586, praeside P. Bonaventura de Aquila Commissario Generali superioris Germaniae, constitutus. *Gabriel Raber de Merano* Suazii [2] dominica «Iubilate» an. 1589, praeside P. Valentino Frizio. *Georgius Ecker*, subin Egger, Oeniponte dominica «Iubilate» an. 1592, praeside P. Bernardino de Zenonis, Guardiano Conventus Oenipontani. *Henricus Widmann* Bulsani an. 1595 dominica « Exaudi » die 6. Maii, praeside P. Georgio Ecker electus et a Bonaventura de Calataierone, Ministro Generali, supplente defectum in his Comitiis ex absentia licentiae commissum, stabilitus. *Bernardus Rast*, Lucaviae [3] an. 1598 die 24. Iunii, praeside P. Bernardino Arnoldo, Commissario Generali superioris Germaniae, electus [4].

§ 3.

Status huius Provinciae ab anno 1600 usque ad tempus Reformationis.

13. Franciscus de Sosa, Minister Generalis FFr. Minorum de Observantia, an. 1603 in vigilia B. V. Mariae Assumptae Conventum Oenipontanum salutans, ad instantiam a Maximiliano Archiduce, Rudolphi II. Im-

---

[1] Protocoll. Prov. Tyrol. Franc. Vol. 3. p. 42, 47, 50 ac 54; unde Cavalli, Capitulum hoc Friburgi locans et alii diem 13. Febr. allegantes, defecerunt.

[2] Protocoll. cit. Vol. I. p. 60.

[3] Protocoll. cit. p. 73; unde negligendi sunt auctores, qui Oenipontem aut Bulsanum pro loco huius Capituli allegant.

[4] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 376 ac seq. Chron. Prov. Tyrol. p. 10 et pluribus seq. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

peratoris fratre, supremi Monasterii Teutonici Ordinis in Prussia administratore, Tyroleos ac residuae Austriae anterioris gubernatore, ex gravibus rationibus factam, a Conventu Oenipontano Italos amovit, eum, Germanis concreditum, Provinciae Tyrolensi pleno iure restituit et Bernardum Rast selegit, ut ceu suus Commissarius Visitator Generalis Provinciam Tyrolensem visitet et dein Friburgi Comitia Provincialia, quibus ipsemet praesidere vellet, celebret. Negotia maioris ponderis inhibuerunt, ne Minister Generalis Comitiis his interfuerit. In Comitiis Provincialibus an. 1606 hoc statutum emanavit: *Secundum sanctissimi Domini nostri Pauli V. declarationem ac Neapolitanas Constitutiones Revdi PP. Gabriel a Merano, Henricus Widmann et Conradus Gassmann, omnes Provinciales praeteriti, perpetui Provinciae Diffinitores, cum voce activa et passiva in omnibus Diffinitoriis declarantur* [1].

14. Pestifera lues Oeniponte et in quibusdam aliis locis Comitatus Tyrolensis, praesertim vero Suazii, an. 1611 grassans, consiliarios excelsi Regiminis et Camerae movit, ut Sterzingam perrexerint, quibus iuxta petitum factum PP. Henricus Seyfrid, Conventus Oenipontani Vicarius, atque Ioannes Obserus, ad obsequia spiritualia eorundem deputati, adjuncti fuere. Hi in templo S. Petri sibi assignato, divina officia et horas quotidie persolverunt et Sacramentum poenitentiae solerter administrarunt. Mos eorum, vesperas diebus dominicis ac festivis dicendi prius in hoc loco non vigens, incolis ita arrisit, ut ab eo tempore continuatus fuerit. Vicarius ex licentia, ab Ordinario Brixinensi facta, verbo Dei in eadem Ecclesia oves pavit; asservationem perpetuam SS. Eucharistiae Sacramenti (pro quo D. Helena Geizhoflerin perpetuum lumen fundavit) introduxit, ac paramenta Ecclesiae partim meliora reddidit, partim nova confici curavit haud oblitus suorum confratrum, Oeniponte remanentium, quos necessariis ad vitam sustentandam providit. Rebellibus Bohemis, ut plurimum a fide vera alienis, in regno Bohemico perfida arma rotantibus, et in Catholicos furorem intensum exercentibus, plurimi fratres Provinciae Bohemiae fuga sibi consuluerunt et in alienis Provinciis quaesiverunt asylum. Inter has haud ultima extitit Provincia Tyrolensis, plures eiusdem suis ulnis an. 1619 stringens et usque ad tempestatem sedatam alens [2].

15. Carolus V. Imperator et Archidux Austriae diplomate Bruxellis die 27. Sept. an. 1521 dato iusserat, ut Conventui Suazensi annuatim certa eleemosyna vini, lignorum ac salis subministretur. Ferdinandus I., eius frater, Rex Romanorum cum tempore Imperator, diplomate Lincii an. 1531 d. 13. Aug. dato, omnes gratias Observantibus Provinciae Austriae, praesertim Conventui Suazensi ac Bulsanensi concessas confirmavit; eos a vecti-

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. Francisc.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

galium solutione exemit ac in suam protectionem suscepit. Ferdinandus, istius filius, Princeps Tyroleos, an. 1576 et Leopoldus, Archidux Austriae ac Princeps Tyroleos, an. 1624 omnes istos favores stabiliverunt. En istius litteras, a me ex Germanismo ad Latinismum traductas [1].

Nos Leopoldus Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae et Wirtenbergensis, Princeps Sueviae, Episcopus Argentinensis et Passaviensis, Administrator Principum Abbatiarum Murbacensis et Luderensis [2], *Marchio S. R. I. Burgoviensis, Princeps Comes Habsburgicus, Tyrolensis, Pherrdanus, Kyburgicus et Goritiensis, Landgravius Alsatiae, Dominus Marchiae Vindorum Portus Naonis et Sulinensis, plenus Gubernator, Condominus ac Princeps omnium Regionum superiori-ac anteriori-Austriacarum, contestamur publice hisce litteris pro Nobis, Nostris haeredibus ac posteris, et notum reddimus omnibus, quod licet Nos ad omnium subditorum et fidelium emolumentum et utilitatem propendamus, attamen magis inclinemus, ut personas ecclesiasticas, honestam et regularem vitam ducentes, et mundi pompa conculcata Deo quotidie sua servitia praestantes in sua quiete conservemus et in suis privilegiis muniamus ac defendamus, Deo omnipotenti exin maiori cum fervore servituras. Serio perpendimus christianum animum et intentum Maximiliani I. Caesaris laudabilis memoriae, Deo, B. V. Mariae et omnibus Sanctis, praesertim S. P. Francisco tanta devotione addicti, ut intuitu istius praeter officia divina et alia pietatis opera pro Observantibus in suo Principe Comitatu Tyroleos cum consensu Summi Pontificis de novo et per reformationem fundarit et extruxerit* [3], *nec non specialibus gratiis ac privilegiis condonarit et munierit. Totum hoc ex Bullis Pontificiis et diplomatibus gratiosis fati Maximiliani, desuper expeditis, innotescit. Cum autem antecessores Nostri, Principes Comites Tyroleos, Fratres istorum Coenobiorum in suis hucusque defenderint privilegiis et conservarint, dignum et iustum est, ut Nos plenus Regens, Dominus ac Princeps Comes Tyroleos, eorum vestigia sectemur, et Fratres istos paterno prosequamur affectu. Iam vero honesti et religiosi Guardiani ac Fratres de Observantia Ordinis Nudipedum, Coenobium Suazense ac Bulsanense incolentes, Nos supplices convenerunt, ut ipsis ac suis Conventibus privilegia, fundationes, eleemosynas, gratias, libertates, litteras ac*

---

[1] Monum. cit. Herz. p. 255 et pluribus seq., litteras Caroli V. et Ferdinandi I. adducens. Litterae omnes etiam inveniuntur in Archivo Provinciae Tyrolensis.

[2] Abbatiae istae, in Alsatia superiori locatae, per Regem Galliae Romano Imperio, inter cuius status reponebantur, ereptae fuere.

[3] Haec de reformatione observanda et relate ad Conventum Bulsanensem in sensu accommodo intelligenda sunt, utpote qui iam in saeculo XIII. fundatus et exstructus fuit; unde Maximilianus I. dicitur fundator et exstructor, quatenus eum a Conventualibus ad Observantes transferri curavit, eum restauravit et alium modum sustentandi Fratres introduxit.

bonas consuetudines, quas illic a Romanis Imperatoribus ac Regibus, Archiducibus Austriacis ac Comitibus Tyroleos, Nostris Praedecessoribus, iusto modo obtinuerunt, confirmare ac roborare gratiose dignaremur. Nos, attendentes has humiles preces, ordinatum officium divinum in eodem Ordine et dictis coenobiis devote die ac nocte persolutum et preces in bonum antecessorum, Nostri ac posterorum fusas, quarum, ut confidimus, participes evadimus, animo deliberato, maturo consilio et perfecta scientia, praeprimis in honorem Dei ac Matris eius B. V. Mariae, amorem S. Confessoris et Patris Francisci omnia privilegia, fundationes, eleemosynas, gratias et libertates, litteras, bonas consuetudines, ab iis iuste acquisitas et conservatas, quoad omnia et singula verba, articulos, puncta, contenta, sensus et extensiones, ac si huic diplomati de verbo ad verbum insertae essent, confirmamus et stabilimus, praesertim privilegium a Ferdinando I. Caesare concessum, Fratres eximens, puta vino, sale, lignis et aliis rebus, sive per terram, sive per aquam afferantur, in teloniis nihil solvere teneantur. Indulgemus quoque, ut bona immobilia et immobilia, Monasterio Bulsanensi reformato annexa et usui Fratrum non amplius servientia, per amicos spirituales, conformiter ad dispositionem a Summa Sede factam vendere et pretium pro necessitatibus spiritualibus per modum eleemosynae applicare possint et actum venditionis, sive in sive extra iudicium producatur, validum declaramus. Si quis subditorum Nostrorum ad honorem Dei et Coelitum claustra Ordinis S. Francisci de novo fundare aut exstruere intenderet, hoc, supposita auctoritate Pontificia, Nostra notitia ac consensu, salvis iuribus Nostris ac aliorum licebit, et Nos, actualis regionis Princeps ac Comes Tyroleos, Fratres de Observantia Ordinis Nudipedum una cum suis Coenobiis actu acquisitis, aut de futuro acquirendis, in Nostram gratiam, patrocinium et protectionem recipimus, omnia erga eos confirmamus et, ut favoribus collatis uti possint, concedimus. Ex auctoritate Nobis ceu regionis Principi competente et virtute istius diplomatis sentimus et volumus, ut dicti Fratres S. Francisci in allegatis duobus Monasteriis in perpetuum tactis Bullis Papalibus, Caesareis, Regiis, et Principum privilegiis, fundationibus, eleemosynis, gratiis, libertatibus, litteris, bonis consuetudinibus quiete ac sine impedimento, a quocunque ponendo, uti et frui possint et insuper (idem est de aliis Monasteriis Ordinis S. Francisci) omnes has gratias, honores, dignitates, commoda et iura habere, in usum deducere ac de iis gaudere queant, sine tamen praeiudicio Nostro, Magnatum Nostrorum et aliorum. Mandamus proin serio et firmiter omnibus et singulis Praelatis, comitibus, baronibus, dominis, equitibus, servis[1] centurionibus, burg-

[1] In instrumento Germ. adhibetur terminus Knecht. Verosimilius alludit ad servos equitum aut militares, haud raro Kriegs-Knecht vocatos.

grariis, officialibus, iudicibus territorialibus, et metallariis, praetoribus, consulibus, iudicibus, senatoribus, telonariis, vectigalium exactoribus ac receptoribus, contra-scribis, inspectoribus, civibus, plebeis, omnibus aliis subditis ac fidelibus cuiuscumque status ac conditionis, et praesertim officialibus, locumtenentibus, rectoribus et consiliariis Nostri regiminis in terris superiori-Austriacis virtute harum litterarum et decernimus, ut dictos Fratres et Conventus Ordinis S. Francisci de Observantia circa datas Bullas Papales et Caesareas, Regias et Principum exemptiones, nec non circa hanc confirmationem et adductas singurales gratias, libertates, protectionem, collecturas eleemosynae, testamenta et alias attinentias non impediant et molestent: sed potius faciant, ut omnibus quiete uti et frui possint eosque nomine Nostro defendant et tueantur, neminem iniuste gravent, curentque, ut in teloniis et locis, in quibus vectigalia et alia exiguntur, s. eleemosynae Fratrum, uti vinum, lignum, sal et aliae res, pro Fratribus destinatae, in aqua aut terra allatae, una cum suis personis libero gaudeant transitu. Si contingeret quandoque, ut isti Fratres inobedientes, contumaces et apostatas invenirent, Superioribus eorum assistant; tales dyscolos intercipiant et illis sistant, ut iuxta regulam suam mulctari possint. Nullo modo tales occultent, aut ut ab aliis occultentur, permittant. Si contra hoc egerint, gravem nostram indignationem et poenam, nec non poenas in allatis bullis et privilegiis taxatas incurrent. Volumus hoc serio et in testimonium huius voluntatis istud diploma, Nostro principe sigillo munitum, in Nostra civitate Oenipontana expedirimus die 11. mensis Ianuarii an. 1642.

16. Leopoldus Archidux Austriacus, Tyroleos Princeps, Henrico Seyfrid, Custodi, ad Capitulum Generale, Romae an. 1625 die 17. Maii [1] celebrandum, pergenti commisit, ut una cum D. Doctore Willio, procuratore Archiducali, coram Papa et Ministro Generali ageret, quatenus Conventus Provinciae Argentinae in Alsatia et duo in Suevia plantati, Provinciae Tyrolensi adiungerentur, et domus Monialium Tertii Ordinis, in Suevia sitae, in duo Monasteria redigerentur. Laboribus his effectus intentus non correspondit, nec abs re; etenim ex hac separatione Provinciae Argentinae, ob antiquitatem suam summopere colendae, vulnus acerbum nimis inflictum fuisset, utpote quae ob Conventus Bavariae, hoc anno sibi subtractos et in propriam Provinciam redactos, in luctu adhuc haerebat. De cetero inter annum 1600 et 1625 Provinciae Tyrolensi nullus Conventus Fratrum accrevit, dempto Oenipontano, iure postliminii an. 1603, uti dictum n. 13, illi restituto. Monasterium Clarissarum Friburgense, Provinciae huic an. 1614 via non ordinata subtractum, ad suam matrem an. 1622 rediit. Mo-

---

[1] Orb. Seraph. t. 4. p. 3.

nasterium Seckinganum Tertii Ordinis, ab ea an. 1607 avulsum, neutiquam tali favore intra hoc tempus potitum est [1].

17. Adest series Ministrorum Provincialium sub eodem tempore Provinciae Tyrolensi imperantium *Gabriel Raber* seu de *Merano* in Conventu Bulsanensi an. 1601 die 13. Iunii, praeside Antonio Kemerer, Provinciarum Germaniae superioris ac Hungariae Commissario Generali, tertia vice electus. *Conradus Gassmann* in Conventu Friburgensi an. 1603 die 18. Oct., praeside P. Guilielmo Schölnagl, Commissario Ministri Generalis ac Provinciae Argentinae Ministro. *Bernardus Rast* in Conventu Suazensi an. 1606 die 30. Oct., praeside Alphonso Requesens, Commissario Generali Germaniae superioris, secunda vice electus. *Augustinus Andre*, alias *Andreae* in Conventu Oenipontano (ubi et ceteri Ministri, hoc numero tangendi, assumti sunt) an. 1610 die 24. Maii, praeside Bernardo Rast, Commissario a Ministro Generali specialiter deputato. *Tobias Henschelius*, theol. Lector ac Ex-Custos, an. 1613 die 17. Maii, praeside Gabriele Bonaventura Daumio, Commissario Generali Germaniae superioris. Viro hoc an. 1615 officium suum resignante Gabriel Bonaventura Daumius, Commissarius Generalis Germaniae superioris, curam Provinciae Bernardo Rast consignavit, eidem iniungens, ut non solum ageret tanquam Provincialis, verum etiam ut Commissarius. *Bernardus Rast*, praeside praefato Commissario Generali, an. 1618 die 2. Febr. Oeniponte tertia vice electus. *Henricus Seyfrid* ibidem an. 1621 die 29. Maii, praeside Hieronymo Strasser, Germaniae superioris Commissario Generali. *Augustinus Fetscher* ibidem an. 1624 die 15. Iunii, praeside Hieronymo Strasser, Commissario Generali Germaniae superioris [2].

§ 4.

Status Provinciae Tyrolensis a Tempore Reformationis usque ad annum 1700.

18. P. Antonius de Galbiato, Custodiae Mediolanensis [3] Reformatorum filius, Provinciae Bavariae recentissime erectae Minister, ac Commissarius Generalis Germaniae superioris, loco Hieronymi Strasser an. 1625 institutus, Reformationem in conventibus Bavariae plantatam in alias Provincias invecturus, an. isto die 22. Aug. Oeniponte congregationem intermediam celebravit, ac Provinciam Tyrolensem ad Reformationem solidam, declarationibus s. Regulae, a Nicolao III. et Clemente V. datis, conformem

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Francisc.

[2] Monum. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 377. Chron. Prov. Tyrol. p. 15 et pluribus seq.

[3] Provincia Reformata Mediolanensis tunc temporis necdum stetit.

commovit; quae proin novum novitiatum seu probationem Reformationis ad duos annos protractam, seligens in methodo vivendi Reformatorum sese exercuit, iis, quae huic obstabant, amotis. Fratres omnes Reformationis regulis subscripserunt, dempto unico, ex Provincia aliena ad Tyrolensem translato, qui anhelabat, ut stationem suam in Provincia, exemptus tamen a rigoribus Reformationis, continuare possit, et hoc ipsum per Patronos exteros urgebat, repulsam passus, in alia Provincia suum solatium quaesivit, paulo post a morte inventus; de eo in decursu istius libri adhuc redibit sermo.

Urbanus VIII. PP. an. 1626 d. 20. Iunii Bulla: *Ad augmentum fidelium* singulis Ecclesiis fratrum huius Provinciae indulgentias plenarias pro comprecatione 40 horarum elargitus est. Sereniss. Archidux Leopoldus decreto, an. 1626 die 21. Septemb. lato, quaedam pro Conventu Oenipontano, in eius descriptione tangenda ac qualitate Ministri Provincialis Tyrolensis Provinciae sancivit et Reformationem istius ratam habuit. Praesento ultimam partem huius diplomatis [1].

Nullus, qui alterius, quam superioris Germaniae nationis sit, sine expresso praescitu et consensu Nostro successorumque Nostrorum, inibi de familia esse, multo minus Superiorum partes tum huius Provinciae Nostrae Tyrolis Ministrum Provincialem, tum vel maxime istius Conventus et caenobii Nostri Superiorem vel Guardianum (dummodo praedictae superioris Germaniae nationis habiles et idoneae personae pro Superioribus deputandis existant) agere possit, etiam atque etiam desideramus et volumus, nec non si qui externi forte vel alterius nationis Fratres et Superiores iustis de causis utpote etiam vigore Apostolicarum seu Patrum strictioris Observantiae Reformatorum, Recollectorum et Discalceatorum, ut vocant, constitutionum suscipiendi vel detinendi forent, id Nobis quoque scientibus et approbantibus ut fiat, quantum in Nobis est, clementissime mandamus, cum non nisi quae ad verae monasticae disciplinae ac imprimis divini cultus sacrique Ordinis purioris et strictioris observantiam, reformationem, propagationem et conservationem huius praesertim Provinciae Nostrae Tyrolis pertinere poterunt, hoc Nostro mandato et decreto clementissime intendamus, ac denique ea omnia, quae et antecessores Nostri hanc ob causam pie quoque R. R. P. P. Generalibus Ordinis approbantibus, statuere, similiter praesenti decreto (citra ullum tamen praeiudicium tam Regulae, quam Statutorum huius sanctae et reformatae Religionis vestrae) approbantes et confirmantes, nec non et perfecta, integra ac omnimoda pura et stricta Regulae vestrae Reformatio in omnibus huius Provinciae praesentibus et futuris seu de novo erigendis et recipiendis Conventibus

[1] Monum. Prov. Tyrol. Ref. cont. orb. seraph. t. 5. p. 315 ac 318. Chron. Prov. Tyrol. p. 20. Hueb. in Chron. Col. 702 ac 929.

plantetur et introducatur, piis votis et plenis desideriis summopere cupientes, omnemque promotionem et assistentiam Nostram hunc in finem clementissime offerentes et pollicentes: tibique, ut Superioribus maioribus totius Ordinis hancce Nostram expressam, piam et clementissimam intentionem insinues, notificare voluimus, quemadmodum et universalem hunc seraphicum reformatum gregem omni gratia et protectione Nostra prosequimur.

Datae in civitate Nostra Oenipontana 21. Septembris An. 1626.

Ad mandatum Serenissimi
Domini Archiducis proprium

LEOPOLDUS IOANNES LIDNER.

19. An. 1627 die 6. Nov. in Conventu Oenipontano Capitulum Provinciale, praeside Antonio a Galbiato, Provinciae Bavariae Ministro ac Commissario Generali Germaniae superioris ac Regnorum adiacentium celebratum est, in quo Provincia Tyrolensis, colophone Reformationi imposito, unanimi vocalium suffragio clavum Ministerii Provincialis Henrico Seyfrid, paupertatis insigni zelatori, contulit; respectu cuius potuisset uti verbis, a vocalibus Ordinis olim ad B. Ioannem Parmensem, post Crescentium ad munus Ministri Generalis assumptum, prolatis, videlicet: *Bene venisti Pater, sed tarde;* quippe si prius Provinciae Reformationis leges instillatae fuissent, priori etiam tempore ampliori flore splenduisset. In his Comitiis nova Statutorum congeries compilata ac dimissio Conventus Lucaviensis et receptio Reuttensis decreta fuit. Urbanus VIII. an. 1628 Bulla *Sacrosanctum Apostolatus Ministerium,* mox apponenda, Reformationem Provinciae Tysolensis ratam habuit, istam a Commissario Generali Germaniae superioris ac inferioris exemit et omnium gratiarum Reformatis collatarum participem reddidit [1].

Urbanus Papa VIII. etc. Sacrosanctum Apostolatus Ministerium etc. Cum itaque sicut dilecti filii fratres ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Comitatus Tyrolis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi in Capitulo Provinciali Reformationem regularis sui instituti, benedicente Domino, acceptaverint, eamque in regularibus Comitatus et Ordinis praefatorum domibus introduxerint et propterea, quo praemissa firmioris roboris validitate subsistant, ipsique in piorum huiusmodi operum exercitio melius perseverare valeant, acceptionem et

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. cit. Cont. orb. seraph. t. 5. pag. 315 et pluribus seq. Hueb. cit. Chron. Prov. Tyrol. p. 20 etc.

introductionem huiusmodi Reformationis Apostolicae Confirmationis robore communiri, ac in dicto Comitatu unam eorundem Fratrum Reformatorum, Discalceatorum[1] *Provinciam per Nos erigi summopere desiderent et ad hoc dilecti filii Commissarii Generalis dictorum Fratrum de Observantia expressus accedat assensus. Nos felici eorundem statui, quantum cum Domino possumus consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis etc. absolventes etc. supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis Regularium Praepositorum consilio, acceptationem et introductionem Reformationis per dictos Fratres, ut praefertur, factam, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea Domus et Loca regularia quaecunque eorundem Fratrum in dicto Comitatu existentia, in Provinciam Ordinis eiusdem S. Francisci Reformatorum, Discalceatorum Tyrolis S. Leopoldi nuncupandam, quae reformata, et aliis eorundem Fratrum Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Provinciis Regnorum Hispaniae conformis, et ad illarum instar, nec non sub omnimodae Ministri Generalis dicti Ordinis, ac eo Italiae Nationis et extra Italiam existente eius Vicarii Generalis, nec non etiam Vicarii Generalis iuxta Bullam Unionis electi, non autem Commissariorum Generalium eiusdem Ordinis et Regnorum, nec inferioris vel superioris Germaniae: ita quod Minister ac Vicarius et Commissarius Generalis praefati iuxta Bullam huiusmodi electi, illam non nisi per se ipsos, aut Commissarios Ordinis Reformatorum praedictorum visitare valeant, iurisdictioni, auctoritati et superioritati, eiusque Fratres iuxta declarationes fel. rec. Nicolai III. et Clementis V. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vivere debeant, et cum hoc etiam quod ex nunc Minister Provincialis Provinciae Reformatae Tyrolis S. Leopoldi huiusmodi omnem iurisdictionem, facultatem et auctoritatem tam in Fratres Ordinis praedicti sibi subditos, quam circa novarum domorum eiusdem Instituti in eadem Provincia fundationem seu erectionem aut aedificationem, nec non circa Novitios, aliaque in litteris Apostolicis fel. rec. Gregorii XIII. etiam Praedecessoris Nostri contenta, prout alii Ministri Provinciales aliarum Provinciarum Fratrum eiusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum, in omnibus et per omnia habeat, ac tam ipsi, quam singularum domorum dictae Provinciae*

---

[1] Vocantur ita; quia ex una parte aliquid de Reformatione Discalceatorum participant; ex altera vero, quia propriis morem gerebant Ministris Provincialibus, uti Discalceati Hispanici. Istud an. 1628 locum non habebat in Reformatis Italiae, aut Recollectis Hispaniae, utpote Ministris Provincialibus de Observantia parentibus.

Tyrolis S. Leopoldi Fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum, Discalceatorum nuncupatorum Superiores, nec non singulares eorum, et cuiuslibet earum Personae omnibus et singulis praerogativis etc. quibus alii huiusmodi Ministri Provinciales et illarum domorum regularium Superiores et singulares Personae uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum pariter et pariformiter ac aeque principaliter sine ulla prorsus differentia uti etc. possint et valeant, quodque nunc et pro tempore existens Minister Generalis praefatus, aut Visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi statuta, constitutiones et ordinationes eiusdem Provinciae reformatae Tyrolis S. Leopoldi, illiusque domorum regularium huiusmodi, nisi de consensu maioris partis Fratrum vocalium dictae Provinciae reformatae Tyrolis S. Leopoldi in eorum Capitulis Provincialibus praestando, alterare, vel immutare, aut eorum Fratres ab eorum modo vivendi, dummodo iuxta easdem declarationes vivant, disturbare: nec non quod Fratres eiusdem Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupati, infra limites eiusdem seu alterius Provinciae existentes, collecturas seu quaesturas ad domos regulares huiusmodi Provinciae Reformatorum, Discalceatorum Provinciae ref. Tyrolis S. Leopoldi spectantes, exceptis eis a Fratribus dictae Provinciae Tyrolis, in dicto eorum Capitulo Provinciali forsan concedendis, occupare aut eosdem Fratres Ref. Discalceatos Provinciae Tyrolis S. Leopoldi huiusmodi desuper perturbare nullo unquam tempore possint, nec valeant, Apostolica auctoritate praesentium perpetuo erigimus et instituimus. Et insuper eidem Ministro Generali, ut Ministrum Provincialem, Custodem et Definitores dictae Provinciae Tyrolis S. Leopoldi creare et eligere, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam, individuam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere et ordinare ac exequi libere et licite possint et valeant, plenam, liberam et amplam, Auctoritate et tenore praemissis, concedimus et impertimur licentiam et facultatem: ita tamen, ut Fratres Provinciae huiusmodi constitutionibus et ordinationibus in Capitulo sive Congregatione Generali factis, quae strictiori observantiae non adversentur, subiaceant, ad illarumque observantiam omnino teneantur. Decernentes Provinciam per praesentes erectam et institutam huiusmodi Decretis et ordinationibus a Nobis et Romanis Pontif. Praedecessoribus et Successoribus Nostris pro Reformationibus et Custodiis Italiae emanatis seu emanandis, nullatenus subiectam et comprehensam esse vel fore, ac Provincialem, Custodem et Definitores aliosque Superiores ac Fratres Provinciae per praesentes erectae et institutae a quoquam quavis etiam Archiepiscopali aut Episcopali, vel etiam maiori auctoritate fungente, desuper molestari, inquietari, perturbari aut impediri non posse, sicque per quoscunque iudices etc. non obstantibus

constitutionibus etc. quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. Ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris Die I. Aprilis 1628, Pontif. Nostri anno quinto.

M. A. Maraldus.

20. Provinciae Franciscanae Commissario Generali Germano-Belgico (seu Germaniae inferioris) subiectae, praesertim Argentinensis, novam Provinciam, Alsaticam, aut quod magis affectarunt, retento veteri nomine, Argentinensem appellandam, excitare, eique Conventus Alsaticos ac Friburgensem adiicere conatae, Leopoldum, Tyroleos ac Austriae anterioris Dominum convenerunt, ut negotium hoc ad effectum promoveret. Ultra haec Ministrum Generalem flexerunt, ut Capitulum Graecii sub praesidio Commissarii Generalis tum Germaniae superioris, tum inferioris celebrandum et a Ministris Provinciarum Germanicarum tum familiae Cismontanae tum Ultramontanae sub poena excommunicationis latae sententiae frequentandum, indixerit. In hoc coetu (cui interfuit Henricus Seyfrid, Minister Provincialis, et in quo loco Ambrosii de Galbiato, Commissarii Generalis Germaniae superioris, Ioannes Bapt. Tezugia Italus apparuit) motus pro Provinciis Germaniae superioris et inferioris sub uno Commissario Generali constituendis facti, repressi et alii pro restitutione coenobiorum a familia Ultramontana ad Cismontanam translatorum excitati, ad altius tribunal devoluti sunt. Porro Leopoldus praefatis petitis repulsam dedit, et Provinciam Tyrolensem in reformatione et iurisdictione diplomate an. eodem roboravit[1].

Leopoldus Dei gratia, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis et Goritiae, Landgravius Alsatiae.

Honorabilis, Religiose, devote, sincere Nobis Dilecte. Cum intelligamus Ultramontanos tui ordinis, praesertim Argentinensis Provinciae Superiores, multa non solum contra in Tyrolensi Nostra Provincia introductam et a Sede Apostolica approbatam, multis modis commendandam Reformationem, sed etiam circa ipsiusmet Provinciae statum et eius perturbationem conari et tentare, voluimus tibi mentem Nostram eo declarare Nos minime permissuros, ut quidquam contra praefatam Reformationem tamquam opus pium, bonum, meritorium et in augmentum ordinis debitaeque observantiae cedens, innovetur, vel contra specialem in Comitatu Tyrolensi et aliis ditionibus Nostris, auctoritate summi Pontificis Gregorii XIII. nec non consensu Generalis Ordinis Ministri erectam et institutam Provinciam statuatur, perturbetur, aut circa unum vel alterum Monasterium mutetur, sed omnia in corpore suo, in quod maioris boni et commodioris administrationis causa redacta sunt, conserventur; te hor-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

tantes serio, ut hanc Nostram intentionem, ubi opus fuerit, manifestes, reservantes Nobis in contrarium eventum seu conatum, omnia remedia apud Sedem Apostolicam et aliis modis omnibus adhibenda. Ceterum te cum ordine et fratribus eiusdem Nostra clementia prosequimur.

Datae in civitate nostra Oenipontana. 6. Octob. An. 1629.

IOANNES LINDNER — LEOPOLDUS

Correspondet Originali de verbo ad verbum. Ita est. Franciscus Henricus Sifrid Min. Pror. Mpp.

Ad mandatum Serenissimi Domini Archiducis proprium. SIMON HAMPRECHT.

21. Urbanus VIII. PP. an. 1630 Bulla: *Alias a nobis*, mox sistenda, Bullam *Sacrosanctum Apostolatus Ministerium.* an. 1628 latam ac n. 19. expressam confirmationis robore affecit, Provinciam Tysolensem de domiciliis seraphicis aquisitis et aquirendis securam reddidit, ac sub poenis sibi arbitrariis iussit, ut neque in Capitulis, neque in Congregationibus Generalibus vel extra eas quisquam quavis auctoritate fungens, quidquam tam circa istam Provinciam, quam illius Coenobia alterare aut immutare possit [1].

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias a Nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Urbanus Papa VIII. etc. Sacrosanctum Apostolatus Ministerium etc. Cum itaque sicut dilecti etc. reliqua verba n. 19. producta sunt.

Cum autem sicut pro parte eiusdem Religionis Nobis denuo expositum fuit, ipsa pro feliciori dictae Provinciae ac Reformationis in ea introductae incremento, illiusque domorum Regularium conservatione, praemissa per Nos denuo approbari et confirmari, aliaque desuper, ut infra opportune provideri, summopere desideret, Nos eiusdem Religionis votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac fratres praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. absolventes etc. supplicationibus eiusdem Religionis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, praeinsertas litteras huiusmodi cum omnibus et singulis in eis contentis, Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apo-

[1] Monum. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 315 ac 317.

stolicae firmitatis robur adiicimus. Praeterea omnes ipsius Provinciae Ref. S. Leopoldi domos regulares dicti ordinis et praesertim Oeniponti ac Friburgi Brisgoiae oppidorum, civitatum, nuncupatorum, nec non civitatis Brixinensis ambas videlicet tam virorum quam mulierum, ac Bulsani et Suazii oppidorum seu locorum, Brixinensis seu alterius Dioecesis, una cum omnibus aliis Domibus a Reformatis huiusmodi Provinciae Religiosis fundatis et de cetero fundandis, eidem Provinciae reformatae S. Leopoldi huiusmodi, cum hoc tamen, ut neque in Capitulis, neque in Congregationibus Generalibus vel extra eas quisquam quavis auctoritate fungens, quidquam tam circa eandem Provinciam, quam illius domos sub arbitrii Nostri poenis alterare, aut immutare valeat, unitas et incorporatas esse et fore, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscunque iudices etc. non obstantibus etc.

Dat. Romae apud S. *Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 15. Iulii 1630, Pontificatus Nostri anno septimo.*

22. Gustavus Adolphus, Suecorum Rex, qui an. 1630 prologum Belli Suecici Germaniam acerrimis fatis involventis, produxerat, an. 1632 Provinciae Tyrolensi pro exercitio patientiae et charitatis largum campum aperuit. Priori scena fixa est in Conventu Füessensi, a Suecico milite profanato et expilato; posteriori vero occasione Provinciae Reformatae Bavariae, a Suecis pressae. Bavarico circulo a Suecico milite an. cit. inundato numerosi Fratres praefatae Provinciae, maxime Clerici, fugam capessentes asylum in Provincia Tyrolensi quaesiverunt, in ea fraterne suscepti et nutriti. Ultro hos numerosae Moniales Seraphici Ordinis, ex Monasteriis Monacensibus in Anger, Riedler et Bittrich profugae, fidem suam coelesti sponso de castitate illibate servanda datam firmaturae, in Tyrolim se transtulerunt, Halae a Regio Parthenone maxima cum charitate exceptae, partim in arce Thurnfeld, partim alibi locatae, ac longiori tempore ab Archiduce Leopoldo, Regio Parthenone et aliis personis necessaria pro sua sustentatione adeptae. In Comitiis Generalibus Toletanis, an. 1633 coactis, decreto, quod nullus, nisi Nationalis, id est ex Germania superiori oriundus, Provinciam Tyrolensem moderari valeat, ac istius exemptioni a Commissario Generali Germaniae superioris, iam antea concessae, robur accessit, et pro eius firmitate statutum fuit, ut Provinciae Tyrolensi et Bavaricae specialis Commissarius, in alterutra residens, praeficiatur. Munus hoc Augustinus Mondulphus, Provinciae Marchiae Alumnus, ab Urbano VIII. deputatus, subiit. In Comitiis Provincialibus, ann. 1635 celebratis, maiores Provinciae ob maxima incommoda, ab hostibus ac aliunde in actu visitationis obviantia, nec non alias graves causas Decretum, de omnibus Monasteriis Tertiariarum in Suevia sitis, Reverendissimis Ordinariis Constantiensi ac Augustano resignandis, formarunt. Hoc in Monasteriis Dioecesis

Constantiensis effectu suo frustratum est, Reverendissimo Ordinario resignationem bina vice factam non acceptante, ac motus bellicos ubique furentes pro causa excusationis opponente. Subin ardentissimae preces Sororum pro retentione apud Maiores Provinciae factae, conatum hunc in nihilum redegerunt. Aliter res evenit in Dioecesi Augustana, cuius Episcopus Monasteria Günzburgense ac Weldense Tertii Ordinis sibi resignata, an. 1636 acceptavit. In Capitulo Generali Romano, an. 1639 coacto, ad instantiam P. Wolfgangi Grindl, Ministri Provinciae Tyrolensis, ista non tantum de novo a Commissario Generali Germaniae superioris, sed etiam Generali residente pro Provincia Tyrolensi et Bavarica deputato, exempta et in modo regendi Provinciis Italiae, quibus proxime imminet, aequiparata fuit, facta copia, ut in singulis trienniis Minister Generalis, aut Commissarius Generalis familiae Cismontanae Commissarium Visitatorem destinet, qui Provinciam visitaret, in Capitulo Provinciali praesideret, et hoc absoluto, ad suam Provinciam rediret, residuo regimine Ministro Provinciali ac Maioribus Provinciae relicto. Varii motus contra hoc decretum tum in Aula Caesarea, tum Tyrolensi a parte adversa excitati, Serenissima Principissa Claudia volente, ut constanter conservaretur, quod prudenter Romae erat actum et constitutum, in vanum abierunt [1].

23. An. 1641 Maxentius ab Arco, Commissarius Generalis Germaniae superioris, de licentia speciali Commissarii Generalis familiae Cismontanae Capitulo Provinciali, in Conventu Oenipontano habito, praesedit, et hac occasione apud Serenissimam Claudiam, Tyroleos Principissam, institit, ut curaret, quatenus Coenobia Seraphica Tyroleos, in valle Athesina Provinciae S. Antonii annexa, ab ista avellerentur et Provinciae Tyrolensi adiungerentur, aut, hoc ad effectum non deducendo, illa in particularem Provinciam redigerentur. Serenissima ad primum punctum ob inconvenientia inter FF. Italos et Germanos eorumque Monasteria certo certius oritura, rotunda repulsa data, circa secundum suam assistentiam, an. 1643 optato effectu decoratam, promisit. Mens Serenissimae, praefatae unioni obsistens, in Congregatione Generali intermedia, Romae celebrata, a P. Benigno de Genua, Commissario Generali familiae Cismontanae, ad instantiam P. Friderici Gailler, Ministri Prov. Tyrol. eidem praesentis, an. 1642 approbata fuit; in eadem hoc decretum in favorem Provinciae Tyrolensis emanavit: *Provinciae Austriae, S. Salvatoris Hungariae et Tyrolis eadem praecedentia inter Provincias Observantiae gaudeant, quam, antequam titulo Reformatorum potirentur, habebant.* Maiores Provinciae Tyrolensis an. 1643 in Congregatione intermedia et an. 1644 in Capitulo Provinciali statuerunt, quasdam Clausas, seu Monasteriola Tertiariarum in Suevia plan-

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franc. ac Regii Parthenonis Halensis. Scriptores in descriptione Monasteriorum Monacensium in Anger, Riedler ac Bittrich allegandi.

tata, unire et assistentia a Serenissima Claudia sibi oppignorata, hoc exsecutioni mandarunt. Monasteriolum Silchense Rottenburgensi annectendo, et duo Monasteriola Horbensia unacum Eitingensi ac Nordstettensi in civitate Horbensi combinando [1].

24. Currente anno 1648 Sereniss. Maria Leopoldina, Leopoldi ac Claudiae, Tyroleos Principum filia, secunda Conthoralis, Ferdinando III. Caesari dedicata, Oeniponte Vindobonam movit, Fridericum Gailler, Prov. Tyrol. Ministrum, ultimum vale ei dicentem, his verbis, aureis litteris exarandis, repetitis vicibus affata: *Serio promitto, quod totius Ordinis Seraphici specialiter vero huius Provinciae singularis Patrona et Protextrix futura sim.* Spes haec mox emarcuit, morte filum vitale Claudiae, istius Augustae Matri, de Provincia Tyrolensi optime meritae, an. eodem paulo post nuptias et an. seq. eius filiae abrumpente. Minister praefatus, qua Definitor Generalis Romam profectus, ut ibi intersit electioni Vicarii Generalis, loco Ioannis de Neapoli, Ministri Generalis recenter defuncti, eligendi, ibidem an. 1649 confirmationem privilegii Clementis VIII. n. 11. adducti, Guardianos et Abbatissas ultra triennium stabiliendi impetravit. In Congregatione intermedia, an. eodem celebrata, ad preces Sororum Tertiariarum ordinatum fuit, ut pro qualibet earum, e vivorum calculo amota, in quolibet Conventu Missa conventualis vel alia legatur, Officium Defunctorum unius Nocturni recitetur et a Laicis 100 Pater noster semel dicantur. An. 1651 Ægidius Schiesl, Commissarius Generalis Germaniae superioris, a Provincia Tyrolensi obedientiam expetiit, innixus litteris obedientialibus, eum etiam Commissarium Provinciae Tyrolensis appellantibus. Maiores Provinciae, probe memores matrem suam a pluribus annis ab hac iurisdictione exemtam esse, rem hanc Romam detulerunt; quibus Minister Generalis per Procuratorem respondit, se nunquam habuisse intentionem praeiudicandi exemptioni Provinciae Tyrolensis, titulum, Aegidio Schiesl datum, ex errore scriptoris ortum duxisse et facultatem ei datam iam revocatam esse. Ferdinandus Carolus, Princeps Tyroleos, limites Provinciae Tyrolensis contra Tridentinam an. 1653 sequenti decreto, ad Wolfgangum Grindl, Ministrum Provincialem directo, mox allegando munivit. Dominicus a Trevisio Prov. S. Ant. Ref. Alumnus, Visitator Commissarius Prov. Tyrolensis, eam in Calepodiis perlustrans, vir pietate extraordinaria praestans, in Comitiis Provincialibus Oenip. an. cit. die 19. Sept. stricte inhibuit, ne Parthenia Tertiariarum sine expressa Sedis Apostolicae licentia alienentur [2].

Ferdinandus Carolus, Dei Gratia Archidux Austriae.

Honorabilis, religiose, devote ac sincere Nobis dilecte, cum ad aures Nostras pervenerit, quatenus ante hac nonnulli Ultramontanorum Ordinis

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Ref. orb. Seraph. T. 4. p. 86. Chronol. Ord. t. 3. part. I. p. 26.
[2] Monum. citata.

tui Reformationem in hac Provincia Nostra Tyrolensi diversis modis perturbare tentaverint, pro cuius inviolabili conservatione et integritate Serenissimus quondam Parens Noster Archidux Austriae Leopoldus gloriosae memoriae auctoritatem suam et auxilium rigore decreti cuiusdam sub die sexta Octobris an. 1629 emanati clementer interposuit. Nunc vero separatis a Provincia S. Antonii (cuius olim membra fuere) sex Conventibus, videlicet Tridentino, Arcensi, Roboretano, Clesiano, Burgensi et Perginensi, et erecta ex illis nova Provincia S. Vigilii, a Patribus eiusdem contra Provinciae tuae S. Leopoldi Conventus, eorumque quietem et tranquillitatem ex probabili coniectura multifariae perturbationes et machinationes contingere possent; eapropter laudabili exemplo Serenissimi Patris Nostri inhaerentes, eo casu tibi subsidium et protectionem Nostram hisce adeo promittimus, ut dictam Provinciam tuam S. Leopoldi auctoritate Summi Pontificis Gregorii XIII. nec non consensu Generalis Ordinis Ministri erectam et institutam ab omni perturbatione liberam et immunem esse, nec contra eius quietem et singulari cultus divini zelo probatam administrationem quidquam immutari, statui aut innovari, sed omnia in corpore suo (prout hucusque) inviolabiliter conservari et continuari, nec Oeniponte nec alibi ditionum Nostrarum de simili perturbatione, mutatione vel quavis alia machinatione contra dictam Provinciam tuam, eiusque administrationem etiamnum discurrendo quidquam moveri velimus. Hortantes te insuper, ut hanc Nostram clementissimam intentionem ubi opus fuerit, publicam facias etc. reservantes Nobis in contrarium eventum aut conatum omnia remedia debitis modis et locis adhibenda. Ceterum te et Fratres tuos clementia et benignitate Nostra foventes.

Datae Oenipont. 16. Ianuarii Anno 1653.

Ferdinandus Carolus
Antonius Girardi *Mppr.*

ad Mandatum Serenissimi
Domini Archiducis proprium
Adamus Grustner.

25. Michael Angelus de Sambuca, Minister Generalis totius Ordinis Seraphici an. 1660 facultatem, confraternitatem Chordigerorum in quatuor Conventibus noviter erectis Provinciae Tyrolensis, erigendi impendit. Praenobilis ac devotissima Virgo Sybilla de Wincklhofen 1100 florenos in parata pecunia pro aedificiis Provinciae Tyrolensis prosequendis et aliis necessitatibus suppeditans, nec non generosa Domina Eva de Hochenegg de Vilsegg, nata de Freyberg etc. Vidua Tertiae Regulae S. Francisci adscripta, in ultimis tabulis Vilsii an. 1640 conditis Provinciae eidem trecentos florenos unacum Cleinodiis, cum onere, ut 500 sacra ante obitum et 500 post istum litarentur, legans, istam sibi arcto gratitudinis vinculo devinxerunt.

Sigismundus Franciscus, Archidux Austriacus, Episcopus Tridentinus ad instantiam Provinciae Tyrolensis, tum FF. Minorum Reformatorum, tum Capuccinorum, decreto an. 1662 die 17. Iunii lato, Capitulo Tridentino iniunxit, ut a Provincia Tridentina S. Vigilli FF. Minorum Reformatorum, in Valle Flemmarum sedem figere meditante, expetat, ut det reversales, quod in locis, ubi alterutra fatarum Provinciarum collecturam vini recenset, se pro vino colligendo ingerere nolit. In calce anni tacti, videlicet die 31. Decemb. Serenissimus Archidux Ferdinandus Carolus, Tyroleos Princeps, Caldarii variolorum malignitate non paucis diebus vexatus, conscientia per plures exomologeses Patri Casimiro Schüz, Definitori Provinciae Tyrolensis, depositas expiata, SS. Eucharistiae ac Extremae Unctionis Sacramentis confortatus, Principatum cum vita dimisit. Demortui intestina in templo Caldariensi Conventus nostri ad pedem Arae S. Antonii Patavini humo mandata fuere, reliquo corpore Oenipontem translato et in Ecclesia Iesuitarum sepulto. Successit huic Principi eius frater Sigismundus Franciscus, qui, licet charitatem Antecessorum relate ad Conventum Oenipontanum nonnihil restrinxerit, attamen gratias aliis domiciliis Fratrum aut Sororum collatas firmavit. Ann. 1663 plenis flammis erupit primum bellum Turcicum, Leopoldo I. Caesari motum, quo immanis exercitus Turcarum Hungariam inundavit, ac plura loca ibidem in suam potestatem redegit; pars eiusdem exin Silesiam et Moraviam, altera vero Croatiam ac fines Styriae petebat, suam saevitiam ubique exercens. Occasione horum motuum multi Fratres Provinciarum Hungariae, Bohemiae ac Austriae fugam capessentes, in Provincia Tyrolensi nidum expetierunt; fraterne in eadem usque ad annum seq. (quo inter Turcas et Caesareos indutiae coaluerunt) sustentati [1].

26. Sigismundo Francisco, filio Leopoldi Archiducis ac Claudiae, Principe Tyroleos in falcem mortis an. 1665 die 25. Iunii acto, Leopoldus qua Imperator Romanorum I. habenas Tyroleos ac reliqui tractus, Austriae anteriori nomine distincti, iure haereditario capessivit, Oeniponte die 2. Oct. eiusdem an. attacto, solemnem fidem a subditis praefatarum regionum excipiens. Hac occasione Pirminius a Zirl, Minister Provinciae Tyrolensis, calculum eleemosynae, ex gratia summa augustissimae domus Austriacae a tempore Maximiliani I. usque ad Serenissimum Sigismundum Franciscum (gloriosissimae memoriae) Provinciae Tyrolensi aut eius Conventibus collatae, Augustissimo porrexit, humillime rogitans, ut praedictam eleemosynam confirmare dignetur. Augustissimo his precibus die 16. Oct. subscribente, excelsa Camera, cui hoc negotium commissum, tribunalibus suis mandatum, hunc favorem executioni dandi, an. 1666 die 16. Ianuarii sub-

---

[1] Monum. cit. nec non Conv. Oenipontani ac Caldariensis. Porro Ferdinandus Carolus ac Sigismundus Franciscus Leopoldum Archiducem ac Claudiam pro suis parentibus suspexerunt.

misit. Ildephonsus, seu Alphonsus Salizanes, Minister Generalis totius Ordinis Seraphici an. 1667 Ioannem Molinam de Navarette, Reg. obser. Lectorem iubilatum ac Provinciae immaculatae Conceptionis Ministrum emeritum, Confessarium Imperatricis Margaritae, Commissarium Generalem super Provincias, in Germania superiori et vicinis terris sitas, constituit. Contra hanc ordinationem, variis Bullis oppositam, ab initio Provinciae communi quasi calculo excipiebant, Tyrolensi Bullas Urbani VIII. an. 1628 ac 1630 latas, allegante; at, Leopoldo Caesare ac Clemente IX. hunc virum in suo munere confirmantibus, quiescere oportuit. Provincia Tyrolensis litteras patentes, ab hoc Commissario submissas, an. 1668 in festo Epiphaniae Domini Oeniponte promulgans, suum consensum, Summo Pontifice declarante se Bullis Urbani VIII. pro hac dumtaxat vice derogare, lubens dedit. Fatus Commissarius P. Wolfgangum Grindl a Monachio, Provinciae Tyrolensis Ministrum emeritum, in Provinciam Bavaricam ablegavit, ut sua prudentia et dexteritate Serenissimum Electorem, hunc Commissarium hucusque recusantem, ad susceptionem eiusdem commoveret et hac obtenta Provinciam visitaret; quae omnia prospero eventu ad effectum deduxit [1].

27. Ante exordium formale Capituli Generalis, Vallisoleti an. 1670 celebrati, Provinciae Austriae, Bohemiae, Hungariae SS. Salvatoris, Hungariae S. Mariae, Tyroleos ac Bavariae ob locum et ordinem in sedendo et suffragando mutatum, haud leve vulnus retulerunt; cum eis in ordine praepositae fuerint Provinciae Italicae Reformatorum, esto primum an. 1639 dignitatem Provinciae reportarint, esto origine (a qua in stemmate Seraphico-Observanti regulariter mensuratur ordo Provinciarum) posteriores extiterint, esto Urbanus VIII. Bulla *Iniuncti Nobis* an. 1639 de Provinciis Reformatis Italiae sanciverit: *habeant locum et praecedentiam iuxta consuetudinem dicti Ordinis post Provincias iam erectas;* esto Maiores Ordinis an. 1642 Provinciis Austriae, Hungariae SS. Salvatoris ac Tyrolensi, uti dictum n. 23. praecedentiam, tempori erectionis correspondentem, adiudicaverint; esto variae ex his Provinciae iam ante an. 1639 legibus Reformationis adaequate subscripserint. Ansam ad hos motus dedere Statuta Sambucana, in quibus [2] ex inscitia historiae Seraphicae, duplex Provincia Austriaca Bohemica, Hungarica SS. Salvatoris, Hungarica S. Mariae, Tyrolensis ac Bavarica (una Observantium, altera Reformatorum) exprimitur. Ruffinus Laxner seu a Bludento, Minister Provinciae Tyrolensis, vir cordatus, his non obstantibus locum sibi ex antiquo iure debitum occupavit, et conventione cum vocalibus allegatarum Provinciarum inita, triplicem libellum supplicem, seu potius querulum de praecedentia ademta formavit, pri-

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. in cuius archivo instrumenta, hoc N. facta, adsunt. Herzog parte posteriori p. 126 et seq

[2] p. mihi 186.

mum ad Ildephonsum Salizanes, Ministrum Generalem, secundum ad Procuratorem Ordinis, tertium ad D. Fridericum Borromaeum, Nuntium Apostolicum in Curia Regis Hispaniarum, Capituli Generalis Praesidem dirigens. Arietibus his effectum optatum non assecutus, una cum Custode Prov. Bohemiae in die electionis ad mensam scrutinii processit, suam protestationem iamiam interpositurus. Nuntius Apostolicus mox memor libelli supplicis sibi porrecti, tacto bis pectore promisit, *nullum ex hac postpositione Provinciis praeiudicium accrescere, sed eas in pristinum locum et ordinem deinceps restitui omnino debere;* Exminister Generalis vero, reiecto errore in Statuta Generalia Sambucana, subintulit, *ea certo corrigenda, reformatoque Provinciarum Catalogo, illas omnes secundum ordinem et prioritatem institutionis, non reformationis ponendas esse.* Minister Provinciae Tyrolensis, hanc promissionem fortius muniturus, quartum libellum supplicem ad novum Ministrum Generalem et Definitorium Generale, recenter electum, directum, priorum rememorativum ac monitorium adiecit. Lis haec in Capitulo Generali Romano an. 1676 revixit, ubi Provinciis praefatis quidem debitus ordo in sedendo, non tamen in suffragando obvenit; unde V. Definitorium Generale, litem hanc ex asse extincturum, sequens decretum cudit: *Ad tollendas dissensiones ortas causa praecedentiae inter aliquas Provincias tam Observantes, quam Reformatos, decrevit Definitorium Generale, servandam esse seriem praecedentiae iuxta Chronicon Reverendissimi Gonzagae, ita, ut Provinciae noviter institutae teneant locum iuxta Ordinis antiqua Statuta, praescindendo a constitutionibus compilatis per Reverendissimum Sambucam.* Decreto huic usque ad praesens tempus in Comitiis Generalibus inhaeretur; hinc haud leviter miror, quod unus alterve auctor, post praefatum Capitulum Catalogum Provinciarum Reformatarum typo concredens, Provincias Reformatas Italicas Germanicis, familiae Cismontanae insertis, praeponere praesumat [1].

28. An. 1677 Brisgovia sub Gallicis armis ingemuit et ob Metropolim suam Friburgum, ab illis expugnatam, vestem luctus attraxit. Adrianus Hueppher, Minister Provinciae Tyrolensis, a Guardiano Friburgensi et Kenzingano rogatus, ut ob notabilem benefactorum deficientiam numerum Fratrum diminueret, inter saxum et sacrum haesit. Novitios (licet sub expressa conditione ad S. Habitum admissi fuerunt, ut, si gravamina belli invalescerent, ex Tyrocinio cederent) nolebat sua religiosa vita privare et mundo concredere, spectans eos ut innocentes et quasi in cunis adhuc vagientes filios, quos paulo ante Christo genuerat. Econtra professos Fratres, ceu filios nativos ac consummatos, aliorsum et quasi in exilium ablegare, non minus durum erat. Medium tacturus, scripsit ad exteros Sueviae Con-

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. orb. Seraph. t. 4. p. 87 et 2 seq., nec non 228, 390 etc. uti et alii.

ventus, ut si qui sponte ad alias Italiae Provincias abire, ibique, donec meliora redierint tempora, subsistere vellent, hoc cum benedictione sua exequi possent. His auditis quatuor Fratres attendentes dilectae matris Provinciae angustias se voluntarie ad hoc exilium capessendum obtulerunt, et obedientia authentica instructi, Provinciam Mediolanensem petierunt, ibidem charitate recepti et ex ea post biennium laudabiliter traductum, cum foenore Italicae linguae redeuntes. Clarissae quoque Friburgenses circa idem tempus ob Monasterium, ab Austriaco milite ad meliorem civitatis defensionem ante quatuor annos solo aequatum, pretiosum vinctum a Gallis abolitum et rerum summam inopiam, gravibus premebantur miseriis. Minister praedictus sua paterna cura effecit, ut duae a Monasterio Monacensi in Anger et quatuor a Brixinensi fuerint receptae, illuc munificentia benefactorum, in via occurrentium, curribus vectae, et quatuor annis inibi sustentatae. In Congregatione intermedia, Oeniponte an. 1678 coacta, V. Definitorium decrevit: *Patres et Fratres non amplius patria, sed nativis suis agnominibus conformiter ad morem aliarum Provinciarum appellentur.* An. 1680 die 12. Maii, ubi Provincia Tyrolensis primum saeculum suae existentiae exhausit, in omnibus Conventibus Provinciae, conformiter ad mandatum Amandi Hermann, Prov. Bohem. Definitoris actualis, Commissarii Visitatoris Prov. Tyrol. Officium solemne una cum Hymno *Te Deum laudamus* decantatum est. In Comitiis, eodem an. die 28. Aug. Oeniponte habitis, constitutiones municipales huius Prov. (ex mandato V. Definitorii ante plures annos dato, ad incudem revocatae, revisae, ac compilatae) a PP. Vocalibus et novo Definitorio denuo acceptatae fuerunt. In Capitulo Provinciali Oenipotano an. 1683 praecedentia Definitorum habitualium, haud ita pridem introducta et a pleno Definitorio et Discretorio unanimiter acceptata et rata habita est. Turcico exercitu eodem an. Vindobonam properante plurimi Religiosi ex diversis Ordinibus ac Provinciis, saevitiam hostis formidantes, in Tyroli appulerunt, temporaneam sedem et sustentationem ibidem quaerentes. Utramque Provincia Tyrolensis pluribus Fratribus Provinciae Austriae et duobus Prov. Hung. S. Mariae subministravit; reliquis vero, numero potioribus in Italiam se recipientibus, charitatem hospitalem in transitu impendit [1].

29. Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis totius Ordinis FF. Minorum, Provinciam Tyrolensem sua praesentia an. 1685 beavit, Bulsani die 23. Iunii, Brixinae 3. Iulii, Oeniponte 6. Iulii, uti ex Monum. Prov. Tyrol. et Herzogio deducitur, appulsus et magno honore ubique exceptus. Die 7. et 9. Iulii ad colloquium Sereniss. Eleonorae, Poloniae olim Reginae ac Caroli, Lotharingiae Ducis ac Tyroleos Gubernatoris, coniugis, accitus fuit.

---

[1] Monum. cit. nec non Convent. Friburg. ac Kenzing. Franciscan. ac Parthenii Friburg. Clariss. ac Oenipont. Franciscan.

Die 11. Iulii Halam movit, et luce sequenti in navi secundo Oeno Vindobonam defluxit. Parte Provinciae Austriae, Hungariae S. Mariae, Bavaricae et Argentinensis perlustrata rediit, Conventum Oenipotanum die 17. Oct. attingens, inque eo visitationis actum die 18. inchoans. Die 19. Sacro in aula dicto, Reginam Poloniae, pane Eucharistico prius refectam, habitu Tertii Ordinis, conformiter ad sua vota, amicivit; exuviis S. Iacobi de Marchia, videlicet holoserico habitu cum cingulo, quo corpus praefati Divi ad tempus, uti fieri solet, vestitum erat, condonavit et visitationem Conventus complevit. Deus devotionem Seraphicam Reginae ocius grato praemio affecit, utpote quae Principem die 20. in lucem edidit, Iosephi nomine insignitum. Die 21. Minister Generalis in gratiarum actionem felicis partus solemne Sacrum, Hymmo *Te Deum laudamus* conclusum, decantavit. Tandem mente sua die 22. de actis visitationis promulgata, die 23. Oct. Oeniponte movit, per Brixinam, Bulsanum et alia loca Italiam repetens. Plurima ex his innotescunt ex litteris fati Ministri Generalis, in Conv. Veneto S. Bonaventurae an. cit. die 17. Nov. exaratis, in quibus de actis in reditu per Provinciam Tyrolensem haec habet: *Et hinc*[1] *Oenipontem pervenimus, ubi Serenissimae Reginae Poloniae, modernae Ducissae Lotharingiae, affectum (Austriacae domui congenitum nec non Seraphicae Religioni notissimum) ultra omnem sufficientiam experti sumus; cuius affectus Seraphici abundantiorem plenitudinem addere non potuisset, nisi cum iteratis precibus ac saepius factis instantiis Religionis Nostrae et Tertii Ordinis habitum quam devotissime a Nobis concedendum gratiosissime postularet, quem et in solita Archiducali sui Palatii capella, ipso die festivo S. Petri de Alcantara incidente, praevie peracto SS. Missae sacrificio sumptaque SS. Communione, e propriis Nostris manibus summa sua cum consolatione obtinuit, tantoque spiritus interioris ardore ac reverentia suscepit, ut signa manifesta relinqueret et quasi a cineribus mortuis vivas flammas, aut ardentissimos Regalis suae coronae in Nostrum Seraphicum Ordinem (ad imitationem S. Reginae Elisabeth, aut aliarum piissimarum Principissarum exemplum) veri amoris ignes resuscitare videretur; huius ardoris Seraphici approbavit valorem effectus diei subsequentis, dum illa luce felicissime genuit Principem, cuius gaudiosa nativitate non tam recreati, quam summo Numini obligati in Nostra Archiducali et Imperiali Ecclesia ad S. Crucem intitulata, sub Aulico concentu prius solemni Sacro et* Te Deum *intensiores Deo reddidimus gratias. Qua piissima functione ibi peracta ad Conventum Nostrum Nos contulimus, ubi de vita, moribus ac Regulari observantia illius Provinciae a PP. Definitorii sufficienter eruditi, eamdem pro Dei obsequio optime instructam invenimus; arctiorem vero Regulae perfectionem pro-*

---

[1] Intelligitur Conventus Augustanus, a quo Minister Generalis Tyrolim versus perrexit.

movere et inducere cupientes, decreta aliqua ad hanc salutaria pro fine reliquimus. Exinde viam Nostram Tridentum versus direximus, ubi in Nostro Monialium Monasterio de Brixinone[1], *Conventu Nostrae Seraphicae Religionis antiquissimo, divertimus, advertimusque eundem in omnibus pietatis officiis ac spirituali proventu perquam celebrem et aestimandum, eiusdemque incolas verissimas S. P. N. Francisci ac S. Matris Clarae vestigia sectantes*[2].

30. Praefatus Minister Generalis, Oeniponte degens, institit, ut Provincia conformiter ad voluntatem Innocentii XI. quasdam domus recollectionis seu recessus spiritualis, in quibus soli vitae contemplativae Fratres vacarent, erigeret. Iustinus Haltpruner, Minister Provincialis, ex mente Venerabilis Definitorii reposuit, totam Provinciam in omnibus Conventibus reformatam vitam ducere, et tales domos ob copiosos labores in vinea haud seligi posse, addens, proximo anno in Provinciam Commissarium Visitatorem venturum, cui proin rigidum mandatum imponi potest, ut circumeat totam Provinciam et vigili acie inquirat, an vel unus in ea moretur Conventus ad istum recessum aptus. Minister Generalis existimans rationibus his mentem Summi Pontificis satiari posse iussit, ut motiva allegatae impossibilitatis chartae mandarentur, et sigillo ac subscriptione V. Definitorii munirentur. Hoc sequenti modo ad effectum deductum est[3].

Reverendissime Pater Minister Generalis ac Superior longe Observandissime etc. Ex zelo ingenti, quo ardet Sua Reverendissima Paternitas erga tranquilliorem magisque contemplativam vivendi in Ordine Seraphico rationem, paterno prorsus animo, dum canonicam Caesarei Oenipontani Conventus nostri S. Crucis visitationem obiret, nobis intimavit, quod de mente Sanctissimi D. N. Innocentii XI. etc. et desiderio Eminentissimi Cardinalis Alderani Cybo, Protectoris nostri zelosissimi, recollectionem in pluribus Provinciis Germanicis iam acceptatam, etiam in nostram Provinciam Tyrolensem D. Leopoldi Reformatam velit et cupiat introducere et solidare. Profitemur nos humillimos et obsequentissimos S. R. E. et Reverendissimae P. V. iuxta solemnia Ordinis vota, ac Regulam nostram subditos ac filios; sed liceat nobis (obnixissime precamur) brevi ac veridica relatione argumenta et rationes exponere, quae operi huic, alias plurimum devoto ac sancto, perarduas difficultates imo impossibilitatem manifestam iudicio nostro opponunt ingeruntque: et primo quidem omnibus notum est, Fratres Min. tribus ali modis, videlicet ex liberaliter oblatis, ex humiliter mendicatis et tandem ex ho-

---

[1] Indicatur Monasterium Brixinense.

[2] Monum. citata. Herz. parte 2. p. 141 et seq. et alii.

[3] Cont. orb. Seraph. t. 5. p. 318 etc. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

nesto et religioso laboritio comparatis; horum autem trium modorum si tollatur tertius, laborum scilicet praesertim spiritualium proventus et stipendia, duo primi nostris in partibus, ipsamet experientia docet, non sunt nobis sufficientes; talibus enim in amplis et locupletibus non vivimus civitatibus, et oppidis, ut Conventus vel unicus, excepto forte Oenipontano, ex liberaliter duntaxat oblatis et mendicatis sustentari posset. Nec fundationes, aut paupertatis sufficientia in aliis Conventibus subsidia habemus. Operosae proin Marthae, et non solius contemplativae Magdalenae officium exercere debemus, iuxta tritum illud Breviarii de S. P. N. Francisco: Non sibi soli vivere, sed et aliis proficere vult Dei zelo ductus, quem certe in finem in omnibus huius Provinciae locis recepti et introducti sumus; monumenta adsunt. Hinc moesti, incarcerati, capitis rei et aegrotantes spiritualem a nobis implorant consolationem. Moribundi diu noctuque sacramentalem absolutionem, in agone assistentiam, et animae exigunt recommendationem. Haeredes defunctorum in Parochiis et Ecclesiis, ubi exequiae celebrantur, frequentes petunt Missas pro anima defuncti legendas. Existentes quoque in periculis, in partu et in itinere vovent Missas ad certos Sanctos et Sanctas variis in Ecclesiis ad intentionem suam legendas etc., *quo ex motivo ipsamet nostra Statuta municipalia Romae approbata agnoverunt, nos ob devotionem populi a Missis extra Conventum dicendis abstinere non posse; concesserunt etiam, ut pro satisfactione nobilium et benefactorum, absque tamen inutili discursu, Fratres emitti possint. Si ergo aliquis Parochus sit aeger, si iusta ex causa ad alium profiscatur locum, si moriatur, et tantisper nostrae vicariae requirantur vices, si quis Comitum, Baronum et Nobilium in festivitatibus desiderat confiteri et sacram Synaxim sumere, nosque propterea ad pagos et castella evocent, sine eorum gravi offensa, et sacrae eleemosynae praeiudicio servitia nostra spiritualia iis denegare non valemus. Ut tamen exeuntium nimiae distractioni, et absentiae a Choro, et Exercitiis spiritualibus caveatur, plures in Conventibus poni debent Patres, qui mutari possint. Civitatum, pagorum et oppidanorum publicis testimoniis demonstrare facile foret, quot et quos labores concionando, confessiones excipiendo, catechesi iuventutem instruendo, infirmos visitando Patres nostri obeant, quantamque messem in Ecclesiae Romanae granaria inferant; certe Simonis rete alicubi locorum prae copiosa piscium multitudine rumperetur. Alibi vero saeviente praesertim sanguinolento Marte, uti nuper in Bello Gallico primum experti fuimus, per multas noctes nec retia locari, nec prendi aliquid posset, fugientibus praesertim Dominis Plebanis, nisi hae nostrae sociae et vicariae adessent adiutrices operae. Haereticos quoque non paucos ad ovile Christi reducimus; horum enim solum in Conventu ad Danubium Ehinganum plusquam trecenti fidem Catholicam amplexi sunt. In eodem quo-*

que Conventu, viginti quatuor tantum in universum enumerante Fratres, anno superiori 22000 fidelium sacra Synaxi refecti, et quadraginta publicae Parochiales Processiones ad B. Virginem, quae inibi colitur, factae sunt. Nuper quoque in solis festis Natalitiis Christi Domini prope triginta millia, scilicet 29816 fidelium in aliquibus tantum civitatibus, (nam tertia pars labores hos sacros scientiae Dei voluit reservatos), sacramento poenitentiae animas expiarunt. Si ergo haec in solis Natalitiis Christi Domini, et tempore tam frigido (horrende enim tunc alget patria nostra) facta sunt, quilibet prudens coniectare potest, quot tempore paschali, et per totam anni periodum confiteantur. Profecto in pluribus locis non modo omnibus diebus Dominicis et festis, non unus, duo, tres vel plures in Conventualibus vel Parochialibus Cathedris concionantur, sed etiam aliis temporibus, quibus necessarium concedendum est tempus studendi, praesertim cum quidam eorum annuatim 70, 80, 90 habeant conciones. Taceo labores piarum confraternitatum, et labores illos, quibus fungimur, si communitatum armenta et pecora morbis, si apri, prata, alpes nocivis vermibus aliisqae infestentur insectis animalibus et bestiolis, tunc passim a nobis petuntur sacrae benedictiones, aspersiones, preces, cerae pulveresque consecrati. Hinc quodam in loco striges vi tormentorum coactae fassae sunt, longe plura, quam hactenus intulerunt viciniae, fuisse illaturas damna, si Patrum nostrorum recensita antidota sibi impedimento non fuissent. Per haec ergo nostra recensita spiritualia Exercitia fidelium roboratur fides, frequentantur Ecclesiae sacramenta, propagatur cultus Divinus, et devotio erga sacratissimam Eucharistiam et sacratissimum Missae sacrificium, quod vicini haeretici, inter quos in Suevia, Brisgovia et ad Necarum versamur, tantopere abominantur. Defenditur itaque articulus Purgatorii, quod iidem Romanae Ecclesiae hostes figmentum Papistarum proclamant. Augetur insuper eadem devotio erga preces, Sacramentalia, Benedictiones Romanae Ecclesiae, quas heterodoxi superstitiones appellant; confunduntur insuper iidem haeretici, qui Religiosos de otiositate vitae insimulant, dum cernere debent nos iugiter in obsequiis fidelium spiritualibus esse occupatos; imo ipsimet simpliciores haeretici promoventur, ut a nobis clanculo postulent aquam, salem, ceram benedictam adversus maleficia, quibus infestantar; neque tamen ita studemus saluti proximorum, ut propriae obliviscamur, vivimus secundum declarationes Nicolai III. et Clementis V., nec solius Marthae, sed etiam Magdalenae functiones et munus exercemus, quod inde constat, quod singulis diebus post Matutinum, quod per integrum annum media nocte persolvimus, vel summo mane iuxta mutationem temporis integram, et post Completorium mediam horam meditationi impendamus, addentes insuper ante cubitum quartam horae partem pro examine conscientiae faciendo, sed et octiduana recessuum exercitia iuxta Statutorum

municipalium praescriptum apud nos observantur. Quod igitur ex his adductis et aliis motivis recollectio in hoc rerum statu Provinciae nostrae non modo perquam difficilis, sed etiam impossibilis sit, Reverendissimae P. V. patescet ex relatione, quam haurire poterit ex A. R. P. Commissario, sequenti anno, prout rogabimus, pro visitatione Provinciae et celebratione Capituli Provincialis delegando etc.

31. Sereniss. Lotharingiae Dux Carolus, Gubernator Tyroleos, Heros lauris in campo martio decerptis nobilissimus, proxime mortuus ad sua castra, et Budam acri obsidione cincturus, an. 1686 ad Cosmam Wettin, Ministrum Prov. Tyrol., litteras propria manu exarare dignatus est. In iisdem illi ad munus, recenter commissum, aggratulans, ac se suosque in omnia sacra commendans. Deus suspiria Provinciae, nec non totius orbis Christiani, copioso numero repetita, suspexit, Budam, armata manu a Caesareo milite die 2. Sept. expugnatam, Augustissimae domui Austriacae restituens. Nuntio huius rei die 5. Sept. Oeniponte appulso, ocius Ecclesia aulica omnium campanarum compulsu (Ecclesiis ceteris hunc actum prosequentibus) laetissima haec nova promulgavit, et Chorus coeleste Numen solemni *Te Deum laudamus* (cui Regina Poloniae, Victoris coniux, una cum filiolis Principibus et frequentissimo populo intererat) veneratus est. Die 8. Sept. in Ecclesia Conventus S. Crucis Missa solemnis, a musica aulica fulcita, tormentis bellicis sub ea reboantibus, decantata fuit, per illuminationes, ex fenestris civitatis noctu productas, excepta. Regina per litteras Serenissimi Coniugis edocta, post Deum B. V. Auxiliatrici ac S. Antonio Patavino ob Budam captam gratias esse agendas, die 12. Sept. in Ecclesia Franciscanorum novennae in honorem S. Antonii initium fecit, mandans, ut singulis diebus Martis in altari eiusdem Sancti solemne Officium a musicis aulicis cantaretur. Minister Provincialis, ne Provincia sibi commissa vel lato ungue a lege gratitudinis deviet, per litteras circulares omnibus Conventibus (demto Friburgensi in gallica potestate constricto) iniunxit, ut ob Budam expugnatam in gratiarum actionem Missam solemnem cum *Te Deum laudamus* decantent, postridie vero non impedito solemni Requiem militibus in castris mortem oppetentibus, parentent. Die 17. Nov. Serenissimus Victor Oeniponte appulsus, variis honoribus et laetitiae signis a Civitate et Conventu aulico exceptus est. Piissima conthoralis eiusdem in festo B. V. Mariae praesentatae, Duce, ac Rev. D. Francisco Devart, Equite S. sepulchri, Caeremoniario et Epheborum praefecto praesentibus, in manus P. Cosmae Wettin, Ministri Provincialis, in anteriori Oratorio prope altare maius professionem in Regulam tertiam S. Franc. emisit [1].

32. Serenissimus Lotharingiae Dux, Oeniponte moram trahens, varia pietatis exempla produxit. Singulis ferme diebus Ecclesiam aulicam invisit,

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Franciscan.

ibique uni, alterique Missae interfuit; diebus vero festivis et Dominicis totum propemodum mane, Missas et conciones auscultando impendit. Die 4. Aprilis hora secunda pomeridiana an. 1687 unacum coniuge et duobus filiolis maioribus adstitit Responsorio Antoniano, a Choro Franciscano cantato, eoque finito vere humilis Dux omnibus et singulis Patribus et Fratribus huius Conventus a minimo usque ad maximum porrecta manu vale dixit, se in omnium preces commendans, veniam, quod sua praesentia labores auxerit, petens, ac die sequenti Oeniponte Vindobonam movens. Provincia interea variis devotionibus, praesertim feria III. elicitis, pro felici armorum Christianorum successu, Serenissimi Ducis ac ceterorum Heroum, contra Ottomannos in aciem descendentium, incolumi conservatione apud Deum institit, ac ex mandato Ministri Generalis singulis mensibus in quolibet Conventu duas Missas, unam contra paganos, et alteram pro defunctus militibus dixit. Preces istae, aliorum piorum precibus suffultae, ter optatum effectum nactae sunt, Turcis ad Mohazium cruenta clade affectis, ac Essekino, Agria nec non toto Transylvaniae Principatu eiectis. Gloriosus Dux, ex castris redux, die 13. Decemb. Oeniponte appulit, postridie variis laetitiae signis honoratus. Idem ac Regia coniux Ministro Provinciali, ad Comitia Generalia Romana abituro, litteras concrediderunt, affectum erga Provinciam Tyrolensem ac bonum statum eiusdem promulgantes. Omissis litteris Reginae, sisto Ducales ex gallico idiomate ad latinum traductas[1].

MI DOMINE PATER.

Patri Cosmae Wettin, D. Leopoldi Provinciali, Romam ad vestrum Capitulum Generale proficiscenti has commisi litteras, non solum, ut vobis aestimationem, quam vestro Ordini defero, testarer, verum etiam ut fidem facerem, hanc Provinciam unam esse ex magis regularibus observantium totius Germaniae; in ea enim virtus, et scientia aequaliter vigent. Disciplina monastica ita aliis praevalet, ut apud omnes exemplo sit. Haec itaque omnia me movent, ut illos vobis commendem omni meliori modo, rogemque, quatenus vobis non tantum Provincialis, sed etiam omnis Provincia cordi sit, et ea omnia, quae eis fient, mihi ipsi imputabuntur, quaeramque occasiones, et modum vobis ostendendi. Quod sim

Oeniponte, 11. Aprilis 1688.

Affectionatissimus Amicus
CAROLUS DUX LOTHARING.

---

[1] Monum. citata. Cont. orb. Seraph. t. 5. p. 320 et seq. Herz. part. 2. p. 146 ac seq. nec non alii.

33. Anno 1688 die 27. Oct. Serenissimus Lotharingiae Dux unacum sua coniuge Oenipontem rursus attingens, ac ingressum ad aulam per Ecclesiam Franciscanorum instituens, ob nimiam infirmitatem, ex febri contractam, manibus suorum sustentatus, ad altare maius gradum fecit et litaniis interfuit. Infirmitate hac diutius urgente, et vix non omnem spem reconvalescentiae praescindente, plures hinc inde devotiones pro ea amovenda peractae sunt. Provincia huic Heroi summe obstricta ultra alia media spiritualia, pro eius sanitate adhibita, Benedictionem B. Salvatoris ab Horta, miraculis celeberrimi, infirmo impertita est, qui proin in illius honorem suo aere imaginem eiusdem Beati depingi, ac prope altare B. V. M. in Ecclesia aulica appendi curavit. Duce desiderante, ut sibi applicentur Reliquiae S. Antonii Patavini, Minister Provincialis iisdem illi Benedictionem elargitus est; exin unacum Regina, hoc petente, septem Psalmos poenitentiales recitavit. His persolutis, Deo propitio, devotissimus Dux convalescere coepit, et mortis periculum evasit. Inter haec Mars Gallicus in theatro Germanico apparet, varia loca in Palatinatu Rhenano et terris vicinis subiugat, ferro et igne funesta vestigia passim notat, et per Ducem Sequiers Sueviam et Franconiam gravibus exactionibus torquet. Cosmas Wettin, Minister Provincialis, bono Fratrum consulturus, a Carolo Francisco Varesio, Commissario Generali familiae Cismontanae obtinuit, ut in casu necessitatis aliquos suorum ad alias Provincias dimittere posset. Haec tamen licentia, Deo tempestatem mitigante, in praxin non abiit. Ne vero erga Moniales Tertiarias quidpiam de paterna charitate negligeret, a Praefecto militari fortalitii Friburgensis Gallicis Liliis genua flectentis, litteras immunitatis elicuit, quarum adminiculo salvae et incolumes persistiterunt. De cetero Dux Lotharingicus an. 1689 Moguntiam et Bonam Gallis eripuit, et an. 1690 Oeniponte Vindobonam profectus, Velsae in Austria superiore, brevi detentus aegritudine, cum luctu Provinciae Tyrolensis piissime ad triumphum aeternum, uti pie credendum, translatus fuit[1].

34. Progredior ad Conventus, Provinciae Tyrolensi a tempore Reformationis adiectos. Ex his adest 1. *Reuttensis*, relate ad primam positionem lapidis an. 1628 inchoatus. 2. *Füessensis*, attenta Ecclesia nobis consignata, an. 1629 obtentus, et sequenti substantialiter absolutus. 3. *Lucaviensis*, olim dimissus, an. 1633 de novo acceptatus, et 1635 denuo relictus. 4. *Caldariensis*, an. 1638 acceptatus, 1640 immissione primi lapidis ceptus, ac 1643 primo Guardiano donatus. 5. *Halensis*, per modum Residentiae, in loco Scheibenegg prope Oenum an. 1635 et in loco, vulgo Gensbichl dicto, 1644 fixae, obtentus, et 1649 primo Guardiano instructus. 6. *Echinganus*, ad modum Residentiae iuxta Ecclesiam B. V. Mariae (ab

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. Herzog. part. 2. p. 147. Anonymus in vita Leopoldi Caesaris ad ann. 1688, 1689 ac 1690 ac alii.

an. 1630 Fratres habitabant iuxta Monasterium Monialium) solemniter acquisitae, an. 1638 obtentus initiis structurae formalis 1650 et primo Guardiano 1652 donatus. 7. *Horbensis*, Residentiae instar an. 1650 inchoatus, et ad dignitatem Conventus formati 1657 elatus. 8. *Waldseensis*, ad modum Residentiae an. 1649 acquisitus, et 1657 ad honorem formalis Conventus promotus. 9. *Kenzinganus*, ad modum Residentiae an. 1630 acceptatus, 1639 dimissus, 1649 de novo recuperatus, in moderno solo cruce 1651 fixa, ac lapide primo 1657 posito, inchoatus, et an. 1661 primo Guardiano decoratus. 10. *Sulgaviensis*, an. 1646 ad modum Residentiae obtentus, 1663 in forma regulari inchoatus, et 1668 primo Guardiano instructus. 11. *Inticensis*, post Residentiam an. 1691 concessam et seq. stabilitam, an. 1693 in forma regulari inchoatus, et dignitatem Conventus formalis 1698 adeptus. Addi potest Residentia Tetnangensis, an. 1659 primos incolas adepta, an. 1664 relicta. Quod attinet Monasteria Monialium, Provincia ex parte eorum diminuta fuit. Monasteriis Weldensi ac Günzburgensi Episcopo Augustano an. 1636 extraditis, Silchensi cum Rottenburgensi unito, ac duobus Horbensibus, Eitingano ac Nordstettensi in unum Horbense, ex dictis n. 23 congestis [1].

35. Intra annum 1625 et 1700 sequentes viri ad dìgnitatem Ministrorum Provincialium assumpti sunt. *Henricus Seyfrid* in Conventu Oenipontano Praeside Antonio de Galbiato, Provinciae Refor. Bavariae Ministro ac Germaniae superioris Commissario Generali actuali, an. 1627 die 6. Nov. clavo Ministerii Provincialis secunda vice munitus. Idem an. 1630 die 5. Nov. Praeside Ambrosio de Galbiato [2], Provinciae Bavariae Ministro Provinciali ac Commissario Generali Germaniae superioris, pro Reformatione magis stabilienda, Oeniponte reelectus. *Fridericus Gailer* seu *a Monachio*, Monacensis Bavarus, Oeniponte an. 1635 die 9. Februarii, Praeside Augustino Mundulpho, alias Mundolpho, Provinciae Tyrolensis et Bavaricae Commissario Generali, Apostolico Provinciae Marchiae filio. *Wolfgangus Grindl*, ibidem eodem Praeside an. 1638 die 16. Aprilis. *Fridericus Gailer* seu *a Monachio*, ibidem an. 1641 die 23. Oct. Praeside Francisco Maxentio ab Arco, Commissario Generali Germaniae superioris ac Provinciarum Reformatarum Tyrolis ac Bavariae Commissario Visitatore Generali, secunda vice, nec non an. 1644 die 27. Iunii Praeside Ioanne a Curte Nova, Provinciae Brixiae alumno, Provinciae Tyrolensis ac Bavaricae Commissario Visitatore Generali, tertia vice huic officio admotus, et ob litem de valore motam, per Breve Apostolicum Innocentii X. Minister

---

[1] Auctores innotescent in locis, in quibus coenobia haec delineabuntur.

[2] Protocol. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 221, acta huius capituli sistens. Sane Antonius de Galbiato Comitiis his non praesedit; etenim tunc temporis Commissarius Generalis familiae Cismontanae extitit.

Provincialis declaratus. *Isidorus Kern ab Aiblingen* Praeside Petro Paulo de Burgo, Provinciae Hetruriae seu Tusciae alumno ac Commissario Visitatore Provinciae Tyrolensis, Oeniponte an. 1647 die 15. Iulii. *Wolfgangus Grindl* seu *a Monachio,* Praeside P. Bernardino a Lugano, Lectore ac Concionatore Generali, ibidem an. 1650 die 27. Iulii iterato selectus. *Fridericus Gailer* Praeside Dominico a Tarvisio, Provinciae Venetae S. Antonii Ministro Provinciali emerito, Suazii an. 1653 die 19. Sept. quarta vice electus. *Ruffinus Laxner* seu *a Bludento,* Rhaetus, Bulsani an. 1656 die 16. Oct. Praeside Hieronymo a Tuderto, Prov. Reform. S. Francisci seu Seraphicae Custode actuali. *Isidorus Kern* seu *ab Aiblingen*, Bavarus, Oeniponte (ubi et ceteri in hoc n. succedentes electi sunt) Praeside Archangelo a Bresciano, Prov. Refor. Tusciae Ex-Ministro, an. 1659 die 20. Nov. secunda vice assumptus. *Mathias Schmidlin* seu *a Rhenofelda,* Rauracus, an. 1662 die 14. Iulii, Praeside Ioanne Iacobo de Alzana, Prov. Brixanae Lectore Generali. *Pirminius Ziegler* seu *a Zirla,* Tyrolensis, an. 1665 die 25. Augusti Praeside P. Bernardino Latke, Prov. Reform. Bohem. Ministro Provinciali emerito. *Ruffinus Laxner* an. 1668 die 7. August. Praeside Hilario Andreae, aliis Andrae, Prov. Aust. Lectore et Praedicatore Generali, secunda vice electus. *Mathias Schmidlin* an. 1671 die 11. August. Praeside Maxentio Eisner, Prov. Aust. Diff. actuali, secunda vice huic muneri admotus. *Iustinus Kaltpruner* seu *a Suazio,* Tyrolensis, an. 1674 die 6. Aug. Praeside Angelico a Mediolano, Prov. Mediolanensis Custode actuali. *Adrianus Hueppher* seu *a Bulsano,* Tyrolensis, an 1677 die 25. Aug. Praeside Narcissso Hietl, Prov. Aust. Ministro Prov. emerito. *Mathias Schmidlin,* an. 1680 die 28. Aug. [1] Praeside Amando Hermann Prov. Bohem. actuali Diffinitore, tertia vice huic muneri admotus. *Iustinus Kaltpruner*, an. 1683 die 5. Iunii [2] Praeside Bernardo Sannig, Prov. Bohem. Ministro emerito, secunda vice electus. *Cosmas Wettin Tramінensis,* Tyrolensis, an. 1686 die 23. April. Praeside Wolfgango Plöckner, Prov. Aust. Diffinitore actuali. *Adrianus Hueppher,* an. 1689 die 9. Maii, secunda vice electus, Praeside Francisco Caccia, Prov. Aust. Diff. actuali. *Vigilius Salvoti,* Bulsanensis Tyrolensis, an. 1692 die 30. Iunnii [3] Praeside Sebastiano Schambogen, Prov. Bohem. Lectore iubilato. *Ioannes Evangelista Eichperger,* Bulsanensis Tyrolensis, an. 1695 die 20. Iunii, Praeside Fortunato Hueber, Prov. Bavariae Ministro emerito. *Eustachius Kracher,*

[1] Protocoll. Prov. Tyrol. Francisc. t. I. p. 672.

[2] Protocoll. cit. p. 700.

[3] Protocoll. cit. p. 790. Capitulum hoc quidem pro die 19. Maii indictum fuit; at licentia Commissarii Generalis familiae Cismontanae, Roma absentis, debito tempore non adveniente, differri debuit.

Kirchbergensis, Suevus, an. 1698 die 26. Maii, Praeside Bernardino Tach, Prov. Austriae Guardiano Vindobonensi actuali [1].

§ 5.

Status Provinciae Tyrolensis ab anno 1700 usque ad praesens tempus.

36. Anno 1703 miles Bavaricus vallem Oenanam, Gallicus vero Athesinam invasit, uterque ab initio aleam fortunae calculo albo, mox vero atro pro se notatam, expertus et post varia sinistra discrimina ubique in fugam actus. Maximilianus Emanuel, Elector Bavaricus, Bavaricarum copiarum Archistrategus, ob virtutem bellicam aestimatissimus, Kuefsteinio, Rattenberga et Hala facili negotio occupatis Oenipontem die 2. Iulii ingressus ad valvas Ecclesiae aulicae descendens et cantatis Litaniis rediens, a Patre Ioanne Evangelista Aichperger, Guardiano, ac eius subditis consueta reverentia exceptus, istos patria voce sic affari coepit: *Patres! Sie wissen, dass ich Ihr Religion alzeit vor anderen geliebt. Sie sollen versichert seyn, dass ich ihnen werde Gutes thuen.* Exin quidam Maiores Provinciae Electorem ad aulam secuti, ad eius praesentiam mox admissi fuere; istos ille mira comitate et mansuetudine excepit ac, variis favoribus exhibitis, hisce affatus est: *Anbelangt euer Fundation, werde ich solche nit nur allein euch geniessen lassen, sonderen selbe und noch mehr. Zu dem erfreuet es mich, dass sie meine Nachbaren seyn und ich sie nachend bey mir habe.* Quamdiu Oeniponte morabatur, Officiis divinis in Ecclesia aulica interfuit. Tandem ex caede multiplici suorum et copioso inquilino Tyrolensi contra exercitum suum ubique in armis imminente, perterrefactus, die 27. Iulii [2] Oeniponte movit, et itinere versus Scharnizium directo in Bavariam rediit, locis omnibus, quae occupaverat excepto Kuefsteinio, amissis. Comes Heisterus ad initium Octobris anni eiusdem copias suas (quibus quidam Patres ex Conventu Suazensi sua servitia spiritualia detulerunt) fortalitio Kuefsteinensi admovit, et civitate in suam potestatem redacta, arcem quoque omnibus viribus subiugare conatus est: ast irrito conatu; quippe chorus Bavarici militis, in 6 circiter millibus stans, die 13. Nov. adveniens, Austriacis fugatis, civitatem recuperavit, ac novo et potiori milite arcem instruxit [3].

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. cont. orb. Seraph. t. 5. p. 377 et seq. Chronicon parvum Prov. Tyrol. Franciscan. p. 20 etc. circa quasdam circumstantias subin a veritatis tramite aberrans.

[2] Dies hic de abitu completo et finali intelligendus est, ad quem die 26. Iulii in festo S. Annae initia (quae civitas Oenipontana annua gratitudine excipit) posita sunt.

[3] Monum. Prov. Tyrol. Conventus Oenipontani ac Halensis Franciscani, ac varii auctores Bellum Bavarico-Tyrolense tangentes.

37. Iosephus I., Romanorum Imperator, ad preces Provinciae, a D. Francisco Holer eius medico propositas, omnia privilegia Provinciae Tyrolensi a Praedecessoribus collata, diplomate, Vindobonae an. 1706 die 4. Sept. exarato, rata habuit. In eius Conventibus pro nobili domino Michaele Dinsl, Conventus Inticensis fundatore, Brunopoli an. 1706 mortuo, pro perpetuo lumine coram SS. Altaris Sacramento arsuro 500, et pro bis mille Missis a Provincia legendis 1000 florenos legante, nec non pro Excellentissima et Illustrissima D. D. Maria Catharina Comitissa de Fugger, nata Baronessa a Bemelberg etc., in vita ad necessitates Provinciae mille florenos sine omni onere destinante, exequiae habitae sunt. Benefactoribus his annectendus venit D. Matthias Zwerger, Bavarus, in castris momentosas divitias nactus, caelebs Oeniponte defunctus, qui pro oleo lampadis Telfsii coram Sanctissimo haerentis, 500 florenos et reliqua bona Franciscanis, Servitis et Capuccinis pro Missis legendis consignans, istos sibi arcte devinxit [1].

38. Quidam Eremicola Tertii Ordinis S. Francisci, in Tyroli morans, spiritu ambitionis exagitatus, nomine suo ac ceterorum Fratrum eiusdem Ordinis in Tyroli degentium, a Clemente XI. an. 1707 supplex petiit, ut praefatis Eremicolis dignetur facultatem concedere unum spiritualem Commissarium ex suis pro suo arbitrio et voto eligendi, illique electo tantam auctoritatem impertiri, ut omnibus possit imperare, quemlibet confratrem publice vel scandalose peccantem efficaciter punire, illumque, si post correctionem et poenam in scandalosa sua vita perseveraret, omnino ex communitate sua et vicinia Tyrolensi eiicere. Sacra Congregatio Concilii, ad quam Sanctissimus has preces remisit, ab Eminentissimo Protectore Ordinis petiit, ut auditis Ministro Generali tertii Ordinis, ac Commisario Generali familiae Cismontanae S. P. Francisci relationem formet, et votum suum aperiat. Eminentissimus Protector, ut solidius hac in re procederet, etiam votum Ministri Provinciae Tyrolensis, videlicet Iusti Redn, exquisivit, qui hoc ocius dedit, gravibus motivis ostendens, nullam esse necessitatem vel utilitatem hujus Commissarii, et ex eius institutione varia inconvenientia timenda. Votum hoc informativum, plenum ingressum in Curia Romana sortitum, subito machinam ambitiosi Fratris subvertit [2].

39. 1711 die 20. Nov. Carolus VI., Iosephi Imperatoris frater, paulo post ad fasces Romani Imperii elatus, Oeniponte advenit et die 24. Officio solemni in Ecclesia aulica interfuit, Metropolim Tyrolensem usque ad diem 4. Decembris sua praesentia beans. Intra lapsum huius temporis ad instantiam Eustachii Kracher, Ministri Provincialis, privilegia Provinciae Tyrolensis vivae vocis oraculo rata habuit. Clemens. XII. Bulla *Exponi Nobis nuper fecit*, an. 1731 lata, indulgentias Viae Crucis confirmavit, conce-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

[2] Monum. citata.

dens, ut in Conventibus et Ecclesiis propriis ac alienis a Fratribus Min. de Observ. regulari et strictiori Via Crucis erigi possit. Provincia Tyrolensis hoc eximio favore usa, illam paulo post in suis domiciliis ac Ecclesiis, ac successive in aliis, vix in numerum redigendis, cum foenore salutis spiritualis amplissimo erexit. An. 1737 vitae huic ultimum vale dixit praenobilis, ac strenua D. Maria Francisca Praun, Proviciam legato 500 florenorum in suis necessitatibus adiuvans. Gratitudini ergo pro hoc beneficio et aliis pluribus in omnibus Provinciae Conventibus pro anima defunctae uno Sacro, ac Officio Defunctorum parentatum fuit [1].

40. Anno 1740 Sereniss. Maria Theresia, Caroli VI. Imperatoris filia, coniux Francisci, ex Ducum Lotharingicorum prosapia oriundi, habenas terrarum Austriacae domui subiectarum capessivit, mox ubique a numerosis hostibus petita, a Deo tamen mirabiliter defensa. Haec, bello [2] inter domum Austriacam et Bavaricam fervente, decretum, Ministro Provinciae Tyrolensis an. 1743 insinuatum cudit, quo ei inhibuit, ne candidatos, ex Bavaria oriundos suscipiat, aut susceptos ad officia Superioratus promoveat. Viaticum, quo Franciscani et Capuccini per Tyrolim iter facientes, in quibusdam Tyroleos hospitiis ab immemorabili tempore munificentia Augustissimae domus Austriacae fruebantur, ob dura belli tempora anno 1745 cessavit. An. 1746 Benignissima haec Austriacarum terrarum Domina gratias, Coenobiis Franciscanis in Austria, Styria, Carniolia, Carinthia et Tyroli concessas, sequenti decreto, a me ex Germanismo ad Latinismum traducto, munivit [3].

NOS MARIA THERESIA.

Dei gratia Romana Imperatrix, Regina Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc., *Archiducissa Austriae, Ducissa Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wurtenbergensis, Comitissa Habsburgica, Flandriae, Tyroleos, Goritiae ac Gradiscae. Ducissa Lotharingica et Barensis. Magna Ducissa Tusciae.*

Confitemur pro Nobis, Nostris haeredibus et posteris publice hoc diplomate et votum facimus omnibus, quod Nobis venerabilis Religiosus, dilectus ac devotus Antonius Frizenstein, Ord. S. Francisci Reform. Strict. Observantiae in Austria Minister Provincialis, per fide digna apographa humillime exposuerit, quod potentissimus ac invictus Princeps et Dominus Carolus VI. gloriosae memoriae Roman. Imperator, Hispaniae, Hungariae ac Bohemiae Rex etc., Archidux Austriae, Noster in Domino

[1] Monum. citata et varii auctores de Via Crucis agentes.

[2] Hoc an. 1741 initium, et an. 1745 finem habuit.

[3] Monum. Prov. Austriae, ac Tyroleos Franciscan. relationes intra an. 1740 et 46 emanantes.

beatissime quiescens et aestimatissimus Dominus ac Pater, omnibus et singulis Coenobiis in Nostra Austriaca Provincia tam in Styria, Carinthia, Carniolia, quam Austria inferiori et superiori ante Onasum nec non in Comitatu Tyroleos situatis, privilegia, fundationes, exemptiones a teloniis et aliis exactionibus, protectionem, s. eleemosynam auctam circa ligna, vinum, salem et alias res, litteras et his similes gratias plusquam ante ducentos annos a Nostris gloriosissimis Praedecessoribus, Romanis Imperatoribus, Regibus et Archiducibus Austriacis concessas et saepius roboratas, adhuc anno 1713 die 13. Ianuarii gratiosissime confirmarit et ratas habuerit, humillime exorans, ut et Nos, ceu actu regnans Regina, Domina et haereditaria Princeps Austriacorum principatuum et regionum, talia privilegia ac gratias confirmare, ac roborare gratiosissime dignaremur. Iam vero, dum ex una parte gratiose intuemur Antonii Frizenstein humillimas preces, nomine totius Austriacae Provinciae fusas, et ex altera perpendimus singularem devotionem et exacta officia divina ab Religiosis istis in memoratis Coenobiis Austriacae ditionis diu noctuque ad bonum et augmentum totius christianae fidei, ad conservationem et propagationem Nostrae serenissimae Archiduc. Domus celebrata, nec non exemplarem vitam in cantando, psallendo, concionando, orando, ieiunando et aliis Deo gratis operibus relucentem, honorem Dei ac B. V. Mariae promotum, devotionem erga S. P. Franciscum auctam, christianum gregem aedificatum et benedictionem divinam per tales actus super Nos et regna Nostra haereditaria, uti confidimus, advocatam et stabilitam.

Nos igitur, petita a Nostro N. 6. Regimine et Camerae inspectione ac obtenta approbatione, cum animo plene deliberato, bono consilio et solida scientia, iis omnia et singula successive obtenta privilegia, fundationes, gratias, exemptiones a teloniis et aliis exactionibus, protectionem, eleemosgnam auctam circa ligna, vinum, salem et alias res cuiuscumque nominis, in genere et pro quolibet in hac Austriaca Provincia situato Claustro (in quantum quiete possident et fruuntur), ceu modo regnans Domina et haereditaria Princeps in Austria, similiter clementissime scienter innovamus, confirmamus et stabilimus, ex plena Regia et Principali potestate Nobis competente, ordinamus et volamus, ut omnia et singula a Nostris gloriosissimis Antecessoribus, speciatim ab Imperatore Carolo V. Bruxellis in Brabantia an. 1521 die 27. Septembris, ab Imperatore Ferdinando I. Lincii an. 1531 die 13. Augusti, ab Imperatore Ferdinando II. Vindobonae an. 1622 die 20. Augusti, Imperatore Ferdinando III. Vindobonae an. 1651 die 24. Octobris et 1656 die 22. Aprilis, Imperatore Leopoldo an. 1659 die 16, Iunii, Imperatore Iosepho an. 1706 die 5. Maii et ultimate ab Imperatore Carolo VI., Nostro piissimae et gloriosissimae memoriae Domino ac Patre, Vindobonae an. 1713 die 31. Ia-

nuarii, Monasteriis Franciscanorum huius Austriacae Provinciae in genere, aut cuilibet in specie nova concessa, aucta aut confirmata privilegia, gratias, protectionem, eleemosynas salis et alias resolutiones desuper factas, litteras, decreta et diplomata in omnibus articulis, punctis, clausulis contentis et sensibus plane, acsi de verbo ad verbum hisce inserta essent, in suo robore persistant, conserventur, ac omnia Monasteria et personae dictae Provinciae Austriacae iis quiete et sine ullo impedimento gaudere et frui possint, attamen cum gratioso beneplacito Nostro, haeredum ac posterorum, ac sine praeiuditio iurium Nobis, Successoribus et aliis competentium.

Mandamus proin omnibus et singulis Nostris status ecclesiastici et politici Superioribus, speciatim modernis et futuris locum tenentibus, regionum Marschalis, capitaneis, administratoribus, cancellariis regiminis et camerae, consiliariis in omnibus regionibus Austriacis, Praelatis, Comitibis, Baronibus, Equitibus, Servis Vice-Dominis, Satrapis, Praefectis, Administratoribus, Burggraviis et Landgraviis, Provinciae iudicibus, praetoribus, consulibus, iudicibus, senatoribus, civibus et plebeis, vectigalium et aliarum rerum receptoribus, inspectoribus et aliis officialibus subditis et fidelibus, cuiuscumque status ac conditionis sunt, gratiose et serio, ut fatos Religiosos et Conventus FF. Min. Reformatorum S. Francisci in Austria, Styria, Carinthia et Carniola, nec non Nostro Comitatu Tyrolensi iuxta Nostrum beneplacitum, suis acquisitis et auctis privilegiis, libertatibus, gratiis, donis, fundationibus, eleemosynis et salis beneficio, nec non ista confirmutione quiete uti et frui permittant, ac circa ea defendant nec admittant, ut a quocumque desuper inquietentur.

Si quis contrarium egerit, Nostram gravem indignationem et poenam incurret et ad poenam in diplomatibus taxatam, in 50 marcis auri in bonum dictorum Coenobiorum applicandis stantem, toties quoties contrarium egerit, adstringetur.

Haec volumus serio isto diplomate, Nostro Caesareo-Regio et Archiducali sigillo munito, et Vindobonae in Nostra Metropoli ac Residentia expedito die 28. Ianuarii anno 1766, regnorum nostrorum sexto.

MARIA THERESIA M. P.

|L. S.|

CAES. PENDUL.

41. A. R. P. Arbogastus Krassnigg, Minister Prov. Tyrol., coram Reverendiss., Celsiss. ac gratiosiss. Abbate Principe Menrado celeberrimi Monasterii Imperialis ad S. Blasium in Silva Hercynia an. 1754 supplex apparuit, humillime rogans, quatenus, decretis Austriacis introductionem lingnarum Hebraicae ac Graecae in Provinciis Deligiosorum, in Dominio

Austriaco morantium, urgentibus, unum alterumve Patrem ex nostra Provincia acceptare dignaretur, ut in his linguis, ibidem in florido statu vigentibus, instruerentur. Gratioso adnutu obtento illuc an. seq. destinavit duos Patres, qui ex beneficentia Celsissimi Principis sustentati, ibidem per annum haeserunt et de utraque lingua fundatam notitiam, aliis filiis Provinciae Tyrolensis subin communicatam, (hebraica etiam in Provinciam Austriacam transfusa), suxerunt. Provincia, hoc beneficium ter magnum recognitura, fato Monasterio tres litteras suffragiorum communicativas, videlicet generales, speciales Terrae S. ac Provinciae nostrae praesentavit. Clemens XIII. PP. Bulla, an. 1762 lata, singulis septenniis renovanda, Domiciliis Provinciae subiectis, pro festo S. Leopoldi, eius Patroni, plenarias indulgentias, ab omnibus fidelibus lucrandas, impertitus est. Augustissimi coniuges Franciscus ac Maria Theresia, Sereniss. Iosephus, Romanorum tunc temporis Rex, et Leopoldus, istorum filii, Maria Anna et Christina, eorundem filiae, Carolus, Lotharingiae Dux ac Magister Grandis Equitum Teutonicorum, Charlotta, eius soror, Oenipontem sua praesentia an. 1765 intra diem 16. Iulii et diem 1. Sept. beantes, Officiis divinis saepius in Ecclesia nostra interfuere, et Augustissimus eiusque filii ac frater subin cum Fratribus nostris Vesperas cantare dignati sunt. Caesare die 18. Augusti apoplexia ante horam decimam noctis tacto, Conventus in choro apparuit, et coram SS. Venerabili exposito multiplices preces fudit. Augustissima, Marito expirante, copiosas Missas in eo ac aliis Provinciae Domiciliis litandas expetens, pingui stipendio pro iis satisfecit, et munificam eleemosynam Conventui ante suum discessum contulit. Ipsissima Capellaniam in novo sacello aulico fundatam, eidem addixit[1].

42. Provinciae Tyrolensi ab an. 1700 usque ad praesens tempus Conventus Sigmaringanus seu Hedinganus, olim Provinciae Bavariae annexus, nec non duo Monasteriola, seu Hospitia Fratum adiecta sunt, videlicet Telfsense, cruce an. 1703 fixa, ac Selbacense, actu possessorio an. 1732 producto; ultra haec ab an. 1722 in Asceterio Bernstainensi Tertiariorum Pater, ad eorum confessiones excipiendas et alia servitia spiritualia deputatus, residet. Prope Monasterium Seggingense sedem habent duo Patres, videlicet Confessarius ordinarius ab an. 1749 et extraordinarius ab an. 1751 et tot prope Halense Clarissarum, nempe Confessarius ordinarius, et Concionator earum, an. 1763 stabiliter admissi. Monasteria Clarissarum Provinciae Tyrolensi aucta sunt per Monasterium Halense, relate ad actum possessorium an. 1720 obtentum. Coronidem imponit Monasterium Seggingense Tertii Ordinis S. Francisci, quoad curam spiritualem Provinciae Tyrolensi a Reverendiss. Nuntio Apostolico Lucernensi (qui est ordinarius

---

[1] Monum. citata.

iudex huius Monasterii, hocque per alumnum Prov. Tyrolensis visitare solet) an. 1749 consignatum[1].

43. Provincia Tyrolensis D. Leopoldi[2] in Familia, uti nos vocamus, Cismontana, ordine vigesima nona est, sequens Provinciam Terrae Laboris Observantium Regularium, et praecedens Provinciam Calabriae eorundem, quod si quis in Familia nostra Provincias Reformatorum qua Reformatas inspicere vellet, Provincia Tyrolensis prima a Rege est; enim vero ante se unicam intuetur almam Provinciam Bavariae, vi literarum an. 1625 die 1. Martii in Provinciam Reformatam redactam; hanc autem immediate secuta est Prov. Tyrolensis, quae post prima incunabula, an. 1580 correspondentia, Novitiatum Refomationis ex dictis No. 18. et 19. an. 1625 in mense Augusto ingressa, cum an. 1627 absolvit, in sui[3] exordio pro sigillo elegit crucem maioris figurae, cuius utrique brachio ac pedi tres erant clavi affixi, et in transversa ad ipsius caput tabella obviabant hae literae: *I. N. R. I.;* ad pedem crucis S. Patriarcha Franciscus genuflexus, iunctisque manibus, sed extensis, apparebat: in ora vero sat pulchra stabant haec verba: *Sigillum Ministri Provinciae Tyrolensis Fratrum Minorum de Observantia.* Introducta Reformatione[4], ubi Provincia S. Leopoldum, Marchionem Austriae, pro suo Patrono selegit, in eius sigillo exprimitur crux, coelestibus radiis ac tribus clavis ornata, ex cuius una parte S. Franciscus cum codice inferius iacente, ex altera vero Leopoldus cum pileo Ducali, sceptro et gladio in terra repositis, in genua demissi sistuntur, his in orbe exaratis verbis: *Sigillum Ministri Provinciae Reform. Tyrol. S. Leopoldi Fr. Min. Observ. Reform. Discalc.* Currente an. 1779 Provincia ista[5] a 366 Sacerdotibus, 47 Clericis, et 88 Laicis professis et non professis, summatim a 501 personis primae Regulae Seraphicae addictis incolebatur. Clarissae in ea 114, Tertiarii Religiosi 12, Tertiariae Religiosae, eidem iure ordinario subiectae, 119 numerabantur. Accedunt 22 huius sortis sponsae Christi Parthenii Seggingensis ex potestate delegata ab ea dependentes. Calculo de his omnibus ducto 768 personae confluunt.

44. Succedit series Ministrorum, Provinciae Tyrolensi ab an. 1700 usque ad praesens tempus ius dicentium. *Paschalis Guetschmuer* Oenipontanus Tyrolensis, Praeside Petro Francetich a flumine, Prov. Carnioliae Definitore habituali, in Conventu Oenipontano (in hoc quoque ceteri ad hanc dignitatem ascenderunt) an. 1701 die 3. August. electus. *Ioannes Evange-*

---

[1] Monum. citata, et scriptores suis in locis tangendi.

[2] Orb. Seraph. t. 4. p. 396, et Chronol. Ord. t. 3. part. 2. in catalogo Provinciarum.

[3] Gonz. in Prov. Tyrol. p. mihi 610. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 321.

[4] Cont. Orb. Seraph. cit. ac Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

[5] Monum. citata.

lista Aichperger, Bulsanensis Tyrolensis, secunda vice an. 1704 die 19. Maii, Praeside Francisco Caccia, Prov. Austriae filio, per Imperium Romanum Commissario Generali Terrae sanctae. *Iustus Redn,* Brixinensis Tyrolensis, an. 1707 die 9. Maii, Praeside Marcellino a Clesio, Prov. Tridentinae Ministro emerito. *Eustachius Kracher,* Kirchpergensis Suevus, secunda vice an. 1710 die 30. Iunii, Praeside Castulo Martin Prov. Bohemiae Exministro. *Paschalis Guetschmuer,* an. 1713 die 22. Maii secunda vice assumptus, Praeside Brunone Prenner, Provinciae Aust. Ministro emerito. *Benno Wenzl,* Halensis Tyrolensis an. 1716 die 18. Maii, Praeside Francisco Hausen, Prov. Aust. Definitore emerito. *Candidus Zangerle,* Silzensis Tyrolensis, an. 1719 die 5. Iunii, Praeside Michaele Hervatina, Prov. Croatiae Carnioliae Definitore emerito. *Carolus Leopoldus Plateoner,* Halensis Tyrolensis, anno 1722 die 1. Iunii, Praeside Wolfgango Sailer, Prov. Aust. Excustode. *Benno Wenzl,* secunda vice an. 1725 die 2. Iulii, Praeside P. Bernardino Gregoritsch, Provinciae Croatiae Carnioliae Ministro emerito. *P. Gabriel Bonaventura Preiss,* Friburgensis Brisgoius, Praeside Thoma Cantuariensi Pruggmair Prov. Bav. Definit. actuali, an. 1728 die 14. Maii electus et an. 1729 die 7. Sept. defunctus; tempus eius Carolus Leopoldus Plateoner ut Vicarius Provincialis explevit. *Dismas Mayrl,* Bulsanensis Tyrolensis, an. 1731 die 23. Aprilis, Praeside Mauritio Steizinger, Prov. Austriae Custode actuali. *Innocentius Hofer,* Bulsanensis Tyrolensis, an. 1734 die 24. Maii, Praeside Malachia Amhof, Prov. Austriae Definitore actuali. *Anacletus Weiller,* Inticensis Tyrolensis an. 1737 die 13. Maii, Praeside Ludovico Schafer a Medio Coronae, Prov. Tridentinae Definitore habituali, ac Guardiano in Conventu Tridentino ad S. Bernardinum actuali. *Dismas Mayrl,* secunda vice an. 1739 die 9. Nov., Praeside Pio Basenella a Pressano, Secretario Generali, Prov. Tridentinae assecla. *Innocentius Hofer,* secunda vice an. 1742 die 13. August., Praeside Marco Kloz, Prov. Aust. Exministro. *Anacletus Weiller,* secunda vice an. 1745 die 24. Maii, Praeside Victorio a Cavalesio, Provinciae Trid. Lectore emerito. *Adalbertus Kleinhans,* Latschensis Tyrolensis, an. 1748 die 17. Iunii, Praeside Bennone Waldreich [1], Prov. Croatiae Carnioliae Exministro. Viro hoc 1751 die 23. Febr. e vivorum numero sublato, P. Dismas Mayrl ceu Vicarius Provincialis residuum tempus in regimine supplevit. *Innocentius Hofer,* tertia vice an. 1751 die 17. Maii, Praeside P. Carolo Bonaventura Rigotti a Roboreto, Prov. Trid. filio, ac Lectore Generali; morte hunc virum an. 1753 rapiente, P. Dismas Mayrl Vicarius electus est, et residuum muneris absolvit. *Arbogastus Krasnigg,* Bulsanensis Tyrolensis, an. 1754 die 13. Maii, Praeside P. Cypriano Knauer, Prov. Aust. Ministro emerito. *Guilielmus Altstetter,* Oenipontanus Tyrolen-

---

[1] Sors haec ei obvenit, P. Theophilo Hueber Prov., Aust. Definitore habituali et Guardiano Feldspergensi actuali in actu visitationis fatis concedente.

sis, an. 1757 die 9. Maii, Praeside Dalmatio Kickh, Prov. Bavariae Exministro ac Custode actuali. *Iacobus de Marchia Praun*, Friburgensis Brisgoius an. 1760 die 28. Iulii, Praeside Theobaldo Buchs, Prov. Bav. Lectore ac Definitore emerito. *Caesarius Prandstetter*, Milsensis Tyrolensis, Praeside P. Iacobo de Marchia Schöpfer, Guardiano actuali Conv. Monacensis, Prov. Bav. alumno, 1763 die 27. Iulii. *Epiphanius Magginger*, Inbacensis Tyrolensis, Praeside Lamberto Riedl, Prov. Austriae Definitore habituali ac Guardiano ad S. Hippolytum actuali, an. 1766 die 16. Iunii. *Iacobus de Marchia Praun*, Praeside Edmundo Schmaus, Prov. Bavariae Definitore actuali, an 1769 die 12. Iunii secunda vice. *Caesarius Brandstetter*, Praeside Humile Ermblich, Prov. Austriae Definitore, an. 1772 die 25. Maii secunda vice, cui an. 1773 die 25. Ianuar. obeunti, Epiphanius Magginger, et isto quoque an. 1774 die 9. Nov. exspirante, Vigilius Greiderer, ceu Vicarii Provinciales suffecti fuere. *Arsenius Camerer*, Bulsanensis Tyrolensis, Praeside Elzeario Kinsky, Prov. Bohemiae Custode ac Exministro, 1775 die 22. Maii. *Simon Widmann*, Brixinensis Tyrolensis, Praeside Simeone Burger, Prov. Croato-Carnioliae filio, 1778 die 25. Maii electus [1].

CAPUT II.

CONVENTUS ACTUALES FRATRUM

sub regula S. P. Francisci militantium, Provinciae Reformatae Tyrolensi substrati.

45. Provincia Reformata Tyrolensis D. Leopoldi ramos suos per Austriam anteriorem ac paulisper per circulum Suevicum extendit; in sua iurisdictione quindecim Conventus Fratrum, tria Monasteriola seu Hospitia formata eorundem, tria Monasteria Clarissarum, unum Monasterium Tertiariorum ac septem Monasteria Tertiariarum, iure ordinario sibi subiecta, coarctans. Ex Conventibus Tyroleos, ordine geographico tento, Oenipontanus, Halensis, Suazensis, Inticensis, Bulsanensis, Caldariensis et Reuttensis; in Suevia Austriaca vero Friburgensis, Kenzinganus, Horbensis, Ehinganus, Sulgaviensis ac Waldseensis obviant. In circulo Suevico Sigmaringanus ac Füessensis sedem habent. Ex Hospitiis Brixinense et Telfsense in Tyroli, Seelbacense in Brisgoia, Austriae anterioris particula, cubant. Ex Monasteriis Clarissarum Tyrolis Brixinense et Halense; Brisgoia vero Friburgense sibi vindicant. Monasterium Bernstainense Tertiariorum, et Monasteria Tertiariarum Horbense, Rottenburgense, Ehinganum, Munderkingense, Warthu-

[1] Conf. Orb. Seraph. t. p. 378. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 37. et c. Monum. istius Provinciae.

sianum ac Waldseense in Suevia Austriaca, et Oglspirense in circulo Suevico prostant. His addi potest Monasterium Seggingense Monialium, in in anteriori Austria situm, Fratribus Prov. Tyrol. quoad curam spiritualem commissum. Caput praesens de Conventibus, caput III. de Hospitiis, caput IV. de Monasteriis secundi et tertii Ordinis acturum est. Descriptio fiet ordine in Provincia Tyrolensi consueto, et unice ea instrumenta, quae maioris momenti sunt, adducet. De Personis virtute, sanguine aut dignitate praeclaris, in his Domiciliis sepultis, capite IV. ac VII. sermo recurret.

§. I.

Conventus Oenipontanus ad S. Crucem.

46. Oenipons, aliis *Oenipontum*, vulgo *Innsbruck*, Metropolis Tyroleos, nomen a ponte Oeni nacta, Dioecesis Brixinensis, ditionis Austricae, in valle Oenana inferiori ad ripam fluvii Oeni, partem suburbii ab urbe et altera parte suburbii secantis, castra metata est. Ex oppido, Monasterio Veldidenae olim substrato, per munificentiam Ottonis, Ducis Meranensis ultimi, an. 1239[1] ad dignitatem civitatis formatae ascendit. Principibus in Tyroli morantibus, haud raro ut Residentia inservit. Splendorem eximium a Gymnasio an. 1606 inchoato, ab Universitate a Leopoldo I. Caesare an. 1677 fundata; a schola Equestri, a tribus Dicasteriis, videlicet excels. Gubernio, aulico Consilio et Regimine, Ecclesia ista olim, Residentia Archi-Ducali, Collegio Illustrium, splendidis palatiis, largis et nitidis suburbiis, magnificis Ecclesiis, solario auro obducto, iuxta excelsae Camerae palatium strato, expensis Friderici, Austriae Ducis de Vacua Pera dicti, an. 1425 extructo, numeroso Nobilium globo, praestantibus Monasteriis et aliis fontibus attrahit. Ecclesia Parochialis, S. Iacobo Ap. sacra, magnificentiam eximiam praesefert et de imagine gratiosa B. V. Mariae Auxiliatricis, pretiosis oblationibus ditatae, ingens gaudium alit. Succedunt Ecclesiae status Religiosi, Monasteriis annexis decoratae, videlicet Franciscanorum ad S. Crucem, Capuccinorum ad S. tres Reges; ad SS. Trinitatem, Servitarum ad S. Iosephum, Vestalium Parthenonis Archiducalis, vulgo *Regelhaus*, ac Servarum Marianarum ad B. V. Mariam praesentatam, et Ursulinarum ad B. V. Mariam visitantem. Wilthinae, loco prope Oenipontem sato, olim Veldidena dicto, Collegium D. D. Canonicorum Regularium sacerrimi Ord. Praemonstrat. ad S. Laurentium moratur, doctrina ac regulari disciplina celeberrimum; huius curae commissa est Ecclesia Parochialis B. V. Mariae sub quatuor columnis,

---

[1] Clariss. Roschmann in Veldidenae Hist. p. 150. hoc ex Autographo evincit; unde cadit an. 1234 ab aliis allegatus.

miraculis clarissimae. Coronidem nectunt variae aliae Ecclesiae Cleri saecularis, puta 1. SS. Trinitatis olim Iesuitarum; 2. S. Spiritus in Hospitali civitatis; 3. Trium SS., videlicet Sebastiani, Pirminii et Rochi; 4. Sepulchri D. N. I. Christi ad 7 Capellas; 5. SS. Viti et Annae in Coemeterio; 6. S. Ioan. Nepom.; 7. S. Mauritii; 8. S. Mariae Auxiliatricis; 9. S. Nicolai. Succedunt variae Capellae consecratae, puta B. V. M. dolorosae, Patronae Sacelli novi aulici, nec non Crucis in aula, S. Georgi M. in aedibus Provinciae, et plures aliae, quas brevitatis ergo omitto. Residentiae, ex munificentia Augustissimae M. Theresiae Reginae restauratae, Collegium Illustrium Domicellarum, ad certa statuta adstrictarum et ab eadem novissime fundatarum, adiacet. Trans pontem ad ripam Oeni Domus olim castigatoria nunc fabricaria dicta, pomposa figura congesta, considet; haud procul Oeniponte caput effert arx, *Amras* dicta, rebus antiquissimis, rarissimis et pretiosissimis repleta. An. 1292, 1340 ac 1390 iuxta D. Mohr vulcanus urbem hanc dirissime vastavit. In ea Maximilianus I. Caesar cum Blancha, Ducissa Mediolanensi, an. 1494 Ferdinandus II. Caesar cum Eleonora, Ducissa Mantuana, an. 1622 Leopoldus, Archidux Austriae, Francisci I. Caesaris filius, cum M. Ludovica, Hispaniae Regis filia, an. 1765 solemnes nuptias inierunt. Elector Bavaricus istam an. 1703 occupans, ex ea mox iterum discessit. Franciscus I. Caesar in hac civitate, ad maiorem splendorem ante paucos annos elata, an. 1765 vita functus, eam veste ter lugubri amicivit [1].

47. Ferdinandus I., Romano-Germanicus ac Bohemo-Hungaricus Rex, Administrator Regionum intra metas circuli Austriaci contentarum, Lincii an. 1532 die 12. Sept. instrumentum pro Collegio Oeniponte cum Ecclesia extruendo, ac a Praeposito nec non 30 Canonicis inhabitando, erexit. Hoc per aliud, Pragae an. 1543 die 1. Iunii expeditum, immutavit, decernens, ut in isto Collegio 20 Canonici, quorum 16 Sacerdotali, alii Diaconatus, aut Subdiaconatus charactere, et ex omnibus saltem duo laurea suprema Theologica insigniti, nec non 20 pauperes studiosi, statum Ecclesiasticum affectantes ac in lingua latina versati, ponantur; varia insuper pro eorum victu et vestitu, functionibus spiritualibus ordinans ac Collegium ab omni telonio et exactionibus eximens. Idem in Codicillo, an. 1547 die 4. Febr. confecto, haeredes obstrinxit, ut aedificio post suam mortem initium dent, istudque intra 4 annos absolvant. Exin, tempus initii corrigens, voluit, ut se vivente fabrica inchoetur, et epistola, ad Dicasterium Austriae anterioris an. 1554 die 27. Iulii directa, modum Collegium et Tem-

[1] Burglechner Aquila Tyrol. MS. Brandeis in Corolla eius. Mohr in Chron. MS. Tyrol. Granelli in Topograph. Germaniae Austria aucta part. I. p. 219. etc. Lex. Basil. Catalogus Dioec. Brix. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 321. etc. Chron. parv. Prov. Tyrol. Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. Franciscan, et plures alii.

plum exstruendi praescripsit. Manus prima fabricae vel an. 1550, ut P. Iustinus Kaltprunner Collectanea Bulsanensia Troieri citans asserit, vel paulo post praedictam epistolam admota est. Aedificium Ecclesiae ac Collegii in eleganti ac magnifica forma ad culmen perfectionis an. 1562 circiter pervenit. Georgius Drascovicius, Ep. Quinque-Ecclesiensis [1], an. 1563 Ecclesiam cum suis Altaribus consecrationis favore et consuetis Indulgentiis affecit, uti haec inscriptio prodit: *Anno Domini MDLXIII. Dominica Sexagesimae, quae fuit quarta decima mensis Februarii, praesentibus Invictissimo Romanorum Imperatore Ferdinando, Serenissimo Romanorum Rege Maximiliano eius filio, et quinque filiabus, ex indulto Apostolico (videlicet sub Romano Pontifice Pio IV. Mediolanensi) Reverendus Dominus Georgius Drascovicius, Episcopus Quinque-Ecclesiensis Hungarus, in honorem S. Crucis consecravit, singulis Christi fidelibus in die anniversario huiusmodi Templi et singulorum eius Altarium consecrationis, ipsum Templum visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiastica consueta concedens. Infra scriptae Reliquiae in tribus suis Ecclesiae Altaribus inclusae sunt. In Summo Altari S. Crucis: eiusdem S. Crucis portiuncula, et Beatorum Thomae Apostoli et Martini Episcopi ossium portiunculae. In Altari B. Deiparaeque Virginis Mariae: eiusdem gloriosae Virginis cinguli et pepli portiunculae, et S. Andreae Apostoli pars ossis. In Altari S. Ioannis Baptistae: eiusdem Sancti ac Beati Iacobi Maioris ossium et Terrae sanctae portiunculae* [2].

48. Iam asserto meo compilatores Protocolli Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. Franciscan. nec non Gonz., Wad. et alii scriptores iam citati opponuntur, a quibus Maximilianus I. Imperator fundator Collegii istius ac Templi, in ultimis tabulis ista decernens, promulgatur, et Ferdinando I., Rom. Regi, unice aedificatio attribuitur. Repono 1. In ultimis tabulis Maximiliani I. Caesaris (vir eruditissimus eas perlustrans hoc attestatur) et in synopsi earum, a Fuggero aucta p. 1364 adducta, nihil de hac fundatione occurrit; ergo iam ruit tota basis, cui scriptores isti innituntur. 2. In literis a me allegatis, quarum originalia in Archivo Archiducali Oenipontano, et copiae authenticae in Archivo nostrae Prov. extant, Ferdinandus I. non solum nullam memoriam de hac ultima voluntate Maximiliani I. facit, sed insuper expresse ait, se hoc pium opus ex proprio motu, ad Religionem Catholicam contra novas sectas stabiliendam, ad augenda sua

---

[1] In Conc. Trid. vices oratoris Caesarei pro Regno Hungariae sustinuit, subin Ep. Zagrabiensis, Archi-Ep. Colocensis ac Cardinalis evasit, Vindobonae an. 1587 decessit, et Iaurini in Ecclesia Cathedrali conditus est. Eggs in Purpura docta l. 5. p. 322 etc. ac alii.

[2] Monum. cit. Gonz. in Prov. Tyrol. Conv. I. Reinec. in Thalete l. 3. c. 2. p. 474, et Hueb. in Chron. col. 627 etc. Wad. Cont. t. 19. an. 1560 n. 53. Cont. Orb. Seraph. cit. p. 322. Chron. parv. Prov. Tyrol. p. 94 etc. Burglechner cit. l. 13. c. 16. fundat. ad an. 1549 revocans; fors de instrumento confirmatorio explicandus erit. Granelli cit p. 220, et alii.

merita ac salutem suae animae moliri. 3. Idem non solum expensas pro fabrica praestitit, sed etiam omnia ad eius conservationem ac alimentationem Canonicorum decrevit; ergo non unice titulum aedificatoris, sed et fundatoris meretur. 4. In Tyroli, ac aliis circuli Austriaci Terris Maximiliano I. non Ferdinandus I., sed Carolus V., eius frater, aetate potior, successit; ergo, si in ultimis tabulis haec obligatio fuisset expressa, ista non immediate Ferdinandum, sed Carolum affecisset. 5. Ex una parte Maximilianus I. iam an. 1519 fatis concessit, et ex altera Carolus V. et Ferdinandus I., eius nepotes, erant Principes a pietate eximia commendati; ergo non est fide prudenti dignum, istos hanc ultimam volutatem, si re ipsa talis fuisset, tamdiu distulisse. 6. Ferdinandus in primis instrumentis sancivit, ut hoc Collegium primum post suam mortem exstruatur; ergo nullam obligationem, ex testamento Maximiliani I. ortam, agnovit. 7. Inscriptio antiquissima, n. seq. alleganda, unice Ferdinando I. hoc Coenobium adscribit, et motivum fundationis, ad Maximilianum I. nullum nexum habens, adducit. Compilatores Protocollorum mihi obiecti, non sunt coaevi, et manum suam apposuerunt, antequam prima originalia instrumenta oculis Provinciae nostrae obiecta, et ex iis copiae authenticae confectae fuere; nobis Reformatione introducta traditae. Scriptores, post hunc annum in publicum prodeuntes, nullam de his Ferdinandi instrumentis mentionem faciunt; unde aut Archivum Provinciae nostrae non serio lustrarunt, aut ab aliis, aequalis culpae reis, decepti sunt. Similem censuram meretur ille, qui inscriptionem, n. 56. tangendam, excogitavit. Leopoldus I. Caesar, in ea expressus, satis innuit, quod recens sit. Hoc lubens do, quod Ferdinandus I. hoc sacrum aedificium exstruendo, et Mausoleum Maximiliani I. inchoando, suum avum, et Ferdinandus II., Tyrolensis dictus, Ferdinandi I. filius, suum proavum, Mausoleum consummando honorare voluerint et reipsa honorarint.

49. Intentio prima istius Caesaris in hoc Collegium (ob novam structuram vulgo *Neu-Bau*, nec non *Bau* dictum) Canonicos introducendi, ob eorum penuriam ad effectum non devenit; unde ad Ordinem Seraphicum de Observantia, quem *medullam orbis Christiani* appellare consueverat, animum adiiciens, P. Francisco Zamorae, Ministro Generali, ad se adscito, Claustrum obtulit. Isti oblationi subscribere nolenti, eo quod Fratres, novo Coenobio immittendi, non ostiatim mendicando, sed ex certis proventibus in praeiudicium S. Regulae alendi essent; Imperator reposuit: « *Quid times mi Pater? tantum abest, ut contra Regulam vestram ire velim, cum Institutum hoc velut totius orbis Christiani medullam amen et complectar. Veniant Fratres tui ad me foresque meas quotidie non aliter, quam mendicatim pro more suo; ego, et quidem large et libenter, victum et amictum pro Dei amore tribuam* ». Ministro Generali his verbis acquiescente, Caesar oblationem factam stabilivit, et Georgio Drascovicio, Ep. Quinque-Ecclesiensi ac tunc temporis ad Cathedram Zagrabiensem trans-

lato, in mandatis dedit, ut Fratres Tridento Oenipontem Caesareis sumptibus ducat, ibi Conventui immittendos. Prius constat ex rescripto Ministri Generalis, ad Caesarem an. 1563 directo, ita incipiente: « *Sacra Caesarea Maiestas sua innata liberalitae Provinciae Divi Antonii Ord. Min. Reg. Observ. donat in perpetuum Ecclesiam et Coenobium S. Crucis intra Oenipontis moenia a sua Maiestate Caesrea erectum, et constructum a fundamento* ». Posterius ex rescriptis Caesareis an. cit. die 18. Nov. ad Ministrum Generalem, et die 20. ad excelsum Regimen datis innotescit. Ferdinandus Archidux, Ferdinandi I. Caesaris filius, ei, an. 1564 die 25. Iulii ad patres abeunti, in Tyroli et aliis Terris, ad Austriam exteriorem revocatis, succedens, primitias sui regiminis solenni introductione Fratrum decorari exultavit. Pater eius quidem anhelaverat, ut 40 Sacerdotes Monasterio novo immitterentur; at, cum tot mitti non potuerint, 33 Fratres, ex quibus 20 charactere Sacerdotali eminebant, ex Provincia Veneta S. Antonii de Observ. a Francisco Zamora, Ministro Generali, ablegati, et in Coenobium an. 1564 die 13. Augusti solemniter ab Antonio Perrenot, Ep. Atrebatensi, introducti sunt. Eruitur hoc ex scriptura aurea, nigro lapidi marmoreo supra ianuam Refectorii inserta, cuius hic tenor [1].

D. O. M.

Postquam cruenta proelia atque dissidia, universumque Orbem Faustissimus ac Clementissimus Divus Ferdinandus, Rom. Imperator, Germ. Hung. Bohem. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis etc., cuius memoria in benedictione est, favente Numine ad pacem reduxerat. Denique coelesti erga orthodoxam fidem ardore succensus, ad extremum vitae suae hoc Coenobium et Templum fieri curavit, Ordinique S. Francisci de Observantia munifice dedicavit; quod Reverendissimus P. Fr. Franciscus Zamora, Generalis Minister almae Divi Antonii Provinciae sedulo connexit. Frater Ludovicus Malumbra Venetus, primus Guardianus, ad Poster. monumenta P. C. Anno D. MDLXIV. die XIII. Augusti.

50. Conventus in primo ortu Provinciae Venetae S. Antonii de Observantia, primos incolas, ob vitam probatam omnibus gratissimos suppeditanti, ex iussu Francisci Zamorae, Ministri Generalis, annexus fuit. Isto intra arctam temporis intercapedinem probis et idoneis Fratribus destituto, Chri-

---

[1] Monum. cit. Gonz. Reinec. in Thalete, et Wad. Cont. citati. Cont. Orb. Seraph. cit. pag. 322 etc. Hueb. cit. col. 328 etc. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 96 etc. Mohr in Chron. M. S. Tyroleos, perperam introductionem Franciscan. ad an. 1563 revocans. Wolckenstein in Chron. M. S. Tyrol. l. 13. p. mihi 275 etc. eundem errorem committens, et male Maximiliano I. Imperatori initium fabricae attribuens. Burglechner mox cit.

stophorus de Capite fontium, Minister Generalis totius Ordinis Seraphici, Ioanni Naso, concionatori Apostolico, ac intrepido contra haereticos pugili, in mandatis dedit, ut eundem a Prov. S. Antonii avellat, et Argentinensi adiungat; quod hic an. 1571 [1], Italis libenter cedentibus, faustis aquilis ad effectum deduxit. An. 1576 alma Provincia Argentinae Comitia Provincialia hic coegit, Georgio Kneer ad clavum Ministerii assumpto. In Capitulo Provinciali an. 1580 die 12. Maii ibi a Provincia Tyrolensi, noviter erecta, celebrato, Conventus Oenipontanus isti affixus, ac primarius Provinciae constitutus est. An. 1582 Franciscus Gonzaga, Minister Generalis, Conventum hunc sua praesentia recreavit; in eo Comitia Provincialia, varia pro bono eiusdem statuens, habuit, et Ferdinandus, Archidux Austriacus Ferdinandi I. filius, Tyroleos Princeps, die 14. Maii in Ecclesia Conventus secundum matrimonium cum Serenissima Anna Catharina, Mantuana Ducissa, iniit. Iste perpendens penuriam Fratrum, qua Provincia Tyrolensis in suis incunabulis laborabat, literis an. 1584 die 7. Nov. datis, a Ministro Generali Ordinis petiit, ut aliquot viros probos ac exemplares mitteret. Conformiter ad hoc petitum destinati sunt decem Fratres, unacum Francisco Spello Guardiano, viro maturo, pio ac religioso, qui Oenipontem an. seq. in Bacchanaliis attigerunt, cum quibusdam Germanis remanentibus incolatum prosecuti. Ab hoc tempore usque ad an. 1603 Conventus in principalioribus punctis sub Ministro Generali, aut Commissario familiae nostrae immediate stetit. Tempus manifeste docuit, hunc modum providendi bono Conventus obviare, et ad varios motus, ut Conventus restituatur in pristinum statum, ansam dedit, quibus an. 1603 faustus exitus correspondit; in hoc enim Franciscus Sofa, Minister Generalis Ord. Seraphici, Oenipontem advenit, et ad efficacem instantiam Maximiliani Archiducis, Tyroleos Moderatoris, gravibus causis fulcitam, Italos a suis officiis absolvit; novum Guardianum, et novum Conventus concionatorem (ex Provincia Argentinae desumptos) deputavit, Bernardum Rast, Custodem Prov. Tyroleos, eiusdem Commissarium Generalem cum plenitudine potestatis instituit; Conventum Germanicae nationi addixit, ac Provinciae Tyrolensi immediate subiecit. Praefatus Archidux decreto, an. 1604 die 28. Aug. lato, et ad Guardianum Conventus Oenipontani directo, Ministri Generalis voluntatem firmavit, volens, ut nullus alius secluso suo consensu in Conventu Oenipontano stabiliter ponatur, ni in Germania superiori Ordini Seraphico nomen dederit. Idem decreto, unacum priori in Monum. Prov. reposito, an. 1605 die 22. April. signato, ad eundem Guardianum misso, inhibuit, quatenus Fratres Oenipontem semel destinati, inde absque suo assensu non removerentur. Tandem Cathedram aulicam,

---

[1] Constat ex Tabula Capitulari impressa. Protocoll. Prov. nostrae, an. 1572 allegans, ad decretum latum alludere videtur.

ex morte D. Antonii Cleselii evacuatam, iam olim a Ioanne Naso provisam, Franciscanis eodem adhuc an. concredidit [1].

51. Ferdinandus II. Caesar an. 1622 die 2. Februarii cum Eleonora, Ducissa Mantuana, in Templo huius Conventus solemnes nuptias iniit. Leopoldus Archidux, Tyroleos Princeps, gravissima aegritudine an. 1623 correptus, ab Henrico Seyfrid, Ministro Prov. Tyrol., qui ipsi summe cordi erat, consilium expetens, ad B. Paschalem de Baylon, Minoritam Discalceatum miraculis praeclarum, directus, prima facie (forte Deo ad maiorem Beati gloriam disponente) aeger huic consilio non acquievit; at, ingravescente morbo, in ipso festo SS. Corporis Christi, occurrente eo anno festo fati Servi Dei, mente scrutatus, quae P. Henricus ab eo exoptaverat, statim ipsum accersere iussit, eique SS. Missae sacrificium coram se litandum, indixit. Hoc persoluto Princeps cordis vota ore expressit, particulam caputii, quod Beatus vivens detulerat, collo admovit, et eam per dimidiam fere horam devotissime retinuit. Mirabile dictu! Archidux pene instantanee fugato morbo sanitati restituitur, ad Officium vespertinum eiusdem diei sese confert, et votum de Altari in honorem B. Paschalis in Ecclesia S. Crucis exstruendo edit. Idem an. 1626 die 19. April. cum Serenissima DD. Claudia, Ferdinandi I. Magni Hetruriae Ducis filia, Friderici Ubaldi Ducis Urbinensis vidua, in Ecclesia Conventus Praeside Rvndiss. ac Celsiss. DD. Paride a Ladron, Archiepiscopo Salisburgensi, in manus nuptiales convenit, et die 21. Sept. decretum n. 18. tactum, in gratiam huius Conventus exaravit. Gratiosa D. Elisabetha Lindtnerin, nata Schaidin, vidua ditissima, Clarissa sub nomine Clarae Iacomae Brixinae effecta, vota solemnia an. 1641 nuncupans, et Conventui aedes suas et hortum transcribens, varias necessitates, Provinciam tunc temporis prementes sustulit. Sereniss. Archidux Carolus Ferdinandus, Austriae anterioris Dominus, an. 1646 die 10. Iunii, cum Serenissima DD. Anna, filia Cosmi II. Magni Hetruriae Ducis, s. matrimonii vinculo hic coniunctus fuit. Innocentius X. PP. an. 1649 Indulgentias plenarias Ecclesiae Conventus Oenipontani pro festo S. Leopoldi indulsit, et Bullam Clementis VIII., n. 11. allatam, novo robore affecit [2].

52. Sacristia et Refectorium in nova, et ampliori figura an. 1650, ac murus infimus horti inferioris an. 1654 ad suum esse pervenerunt. Sereniss. Anna, Archiducis Caroli Ferdinandi coniux, Vice-Commissarios Terrae S., Oeniponte anno 1654 ac seq. sedem stabilem figere tentantes, repulit. Se-

---

[1] Monum. citata. Gonz. et Cont. Wad. iam citati. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 314. Hueb. in Chron. col. 561, 628, 688. Chron. cit. Prov. Tyrol. p. 9. Chronol. Ord. t. 1. p. 430. Tabula Capitul. an. 1574.

[2] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipontani Franciscan. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 330 etc. Chron. cit. Prov. Tyrol. p. 104.

reniss. Christina, Regina Sueciae, filia unica Caroli Gustavi Sueciae Regis, Oenipontem sua praesentia an. 1655 [1] die 31. Oct. (in computo Calendarii Gregoriani) recreavit, magna pompa a Ferdinando Carolo, Principe Tyroleos, Anna eius coniuge, Archiduce Sigismundo, Ep. Augustano ac Tridentino, Nobilitate, Cive ac Rustico, in armis apparente, sub 50 tormentorum boatu excepta. Ista in Ecclesia huius Coenobii die 1. et 2. Nov. Divinis interfuit, et solemni fidei Catholicae professione die 3. eius, circa horam undecimam in manus Lucae Holstenii, Legati Apostolici, ibidem coram Altari summo in cornu Evangelii emissa, consuetam absolutionem recepit. Hanc concio sub themate: *Audi filia et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum Patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum*, secuta est; isti Officium solemne, a Nuntio Apostolico cantatum, et huic Hymnus Ambrosianus sub tubarum ac tympanorum clangore, et 50 tormentorum reboatu successit. Actui huic, usque ad horam secundam pomeridianam protracto, praeter allegatas personas Archiducales ac Nuntium Apostolicum Legatus Hispanicus Pimentel, al. Pimentelli, Praelati duo, Mitris ac Pastoralibus nitentes, densa Nobilitas ac numerosissima plebs adstabant. Eodem die, quo hic actus productus est, P. Ioannes Baptista Guemes, al. Gueinmes, vir insignis Ordinis S. Dominici, apud Reginam (quam iam antea Bruxellis fidei Catholicae inseruerat) in foro externo officium Secretarii, in interno vero Confessarii et Consiliarii gerens, habitus religiosi attractu statum suae Professionis publice insinuavit. Regina ad Carolum Gustavum filium Ioannis Casimiri, Ducis Bipontini, ac Catharinae, sororis Caroli Gustavi Sueciae Regis, ac in Regno resignato successorem, literas, in lingua gallica exaratas, et in latina mox sistendas expedivit, et die 8. Nov. Oeniponte Romam movit [2].

«*Mi Domine Frater! faustis hic appulsa aquilis, inveni consensum et mandatum Sanctissimi, ut extrinsecus prodam id, quod intrinsecus a largiori tempore tenui. Propter obedientiam, ei deferendam, beatam me duxi, et hanc gloriam praetuli gloriae, tibi ex gubernatione tot potentium Civitatum obvenienti. Actum hunc approbare debes, etsi putes me sinistre elegisse, hoc ipso, quod sit aeque utilis ac gloriosus. His non obstantibus, uti sincere attestor, immota manet pietas, consanguinitati appignorata, uti et amor Regno Sueciae debitus. Conservabo hunc cum illa ceu meam vitam, et incessanter perseverabo*».

MEI DOMINI FRATRIS.

Oeniponte 3. Nov. an. 1655.

Soror et amica, summe affecta,

CHRISTINA.

---

[1] Pro hoc an. stant Monum. citata, literae Christinae, ac potissimi auctores; unde annus 1654, a quibusdam assignatus, attentionem nullam meretur.

[2] Monum. citata. Lequile in libello huius actus p. 10 etc. Hueb. in Chron. col. 957 etc. Lex.

53. Sereniss. Sigismundus Franciscus, Archidux Austriacus, Ferdinandi Caroli an. 1662 vita functi successor, decreto, an. 1663 die 7. Nov. signato, numerum Fratrum, sumptibus Austriacis in Conventu Oenipontano alendorum, diminuit; et alio, die 15. Nov. lato, Sacra a Fratribus cantanda aut dicenda, ac alias functiones spirituales assignavit; methodum Fratres alendi, vestiendi, et aliis necessariis providendi praescripsit; soli nationi Germaniae superioris aptitudinem ordinariam adiudicavit, et ut ceteri negotiorum causa aulam suam accedentes, per Guardianum Oenipontanum insinuentur, voluit. Ministro Provinciali roganti, ut a constituto numero aegri, utpote a communibus exercitiis absoluti, eximantur, die 3. Decemb. annuit, et exorata vitae subsidia ad ieiunium Regulare cum restrictione subministrari iussit. Augustiss. Leopoldus I. Caesar Oeniponte an. 1665 die 2. Oct. appulsus, pluries sua prasentia Ecclesiam aulicam illustravit et die 26. Oct. Vindobonam regressus, ibi an. 1666 die 16. Ianuarii eleemosynam annuam pro Conventu Oenipontano iuxta decretum Sigismundi Francisci ratam habuit. An. eodem die 6. Iunii imago miraculosa S. Antonii Patavini, olim ex pago Zirlensi Oenipontem translata, ex Capella peristylii ad Altare S. Ant. obtenta licentia Episcopali promota fuit, cuius haec in compendio origo. Anno 1661 die 17. Maii nocturno tempore atrocissima flamma in pago Zirla[1] exsiliit, ultra 100 domos cum suis appertinentiis in cineres redigens. Inter domos, flammis in praedam cedentes, numerabatur aliqua, alta domus nuncupata, tribus contignationibus coagulata, nobili domino Octaviano Alsonsen, in rationibus reddendis Camerae Archiducalis Consiliario et Castellano, propria. In huius tertia contignatione morabatur Capella, ex lateribus constructa; supra Altare eius portatile, ligneae cistae innixum, imago S. Antonii, in tela oleaceis coloribus expressa et lignea peripheria cincta, ex muro haerebat. Haec, esto vorax flamma omnia ornamenta Altaris, ligneam cistam, et sellas omnes unacum inferioribus cubiculis ac tota suppellectili consumpserit, unacum peripheria lignea et duobus pendulis telis, ex serico rubro contextis, ab igne illaesa permansit, et numerosum populum ad sui venerationem attraxit. Archidux Ferdinandus Carolus, de hoc miraculo edoctus, statuit Oratorium in honorem huius Divi construere, et per duos Franciscanos imaginem hanc Oenipontem deferri, ac in Capella S. Francisci, in peristylio Conventus sita, poni fecit. Ferdinando Carolo, ac fato Consiliario; paulo post vita defunctis, istius vidua imaginem repetiit; at ad nostram instan-

Basil. tit. Christina. Hazart. in hist. Eccles. Germ. p. mihi 208 etc. Kolb. in Compend. Orb. p. 391. Theatr. Europ. part. 7. an. 1655, p. 745 etc. Imhoff, in Aula hist. novae edit. part. 4. p. 1114, et alii.

[1] Pagus hic, vulgo Zirl dictus, inter Telfsium et Oenipontem Oeno assidet, ab utroque loco tribus horis seiunctus.

tiam, et quorumdam Sacrorum pro ipsa et viro suo litandorum oblationem, eam Conventui cessit[1].

51. Sereniss. Claudia Felix, Ferdinandi Caroli ac Annae Medices unica superstes Gnata, an. 1673 die 5. Sept. in aedibus Augustalibus seu novo Palatio solemni ritu sponsa Leopoldi I. Caesaris denunciata, magna pompa solitos inter plausus ad Templum S. Crucis deducta, ibique a Sigismundo Alphonso de Thun, Episc. Brixinensi ac Tridentino, 4 Abbatibus, numeroso Clero ac Conventu Fratrum cincto, excepta est, Officio solemni ac Hymno Ambrosiano sub tormentorum reboatu assistens. Sereniss. Carolus, Lotharingiae Dux, toro Eleonorae, Leopoldi I. Caesaris sororis, Neostadii an. 1677 admotus, Oenipotem cum ea an. 1678 die 3. April. nec non 1679 die 27. Augusti solemniter ingressus, solitis solemnitatibus a tribus Abbatibus ac Conventu, in occursum properantibus, in Ecclesia aulica exceptus fuit. Conventus, piissima eius coniuge gravissimo periculo in partu an. 1679 die 11. Sept. exposita, trina vice (Deo auxilium suum differente) supplex coram coelo apparuit. Prima vice expositus fuit Christus sub sacris velatus speciebus, coram quo Dux cum tota fere Aula, Fratribus ac aliis, ardentibus precibus pro salute Reginae institit. Secunda vice in Choro Litaniae cum Responsorio D. Antonii Patavini a Fratribus cantatae. Tertia vice Officium solemne in Altari S. Antonii Patavini decantatum, et dein flexis genibus Litaniae Lauretanae cum Responsorio fati Thaumaturgi a Fratribus repetitae sunt. His faustus correspondit effectus: Regina Principem, Leopoldi nomine insignitum, feliciter enixa. Conventus vix assidens mensae, de hoc certior redditur, surgit, in Chorum ocius volat, et sub compulsu omnium campanarum *Te Deum laudamus*, cui Dux cum tota Aula interfuit, gratis affectibus decantat. Princeps infans, nedum medium emensus annum, gravi correptus infirmitate, Parentes movit, ut eum S. Antonio commendarint, et votum de habitu ab eodem per dimidium annum in honorem eiusdem Divi gestando, si per huius intercessionem a morbo sit eximendus, emiserint. Deo haec desideria exaudiente, de eorum voluntate an. 1680 die 11. Martii Mathias Schmidlin, Minister Prov., Principem sanitati restitutum, Franciscano ambivit habitu. Idem Dux, Vindobonae an. 1682 tabifico et letifero languore afflictus, in honorem S. Antonii Patavini (cuius icon eidem transmissa) votum ad sepulchrum eiusdem peregrinandi, ac amictum cinericiae tincturae per anni circulum gestandi fecit, moxque e mortis faucibus ereptus est. An. 1685, uti n. 29. dictum, Marinus Sormanus Conventum hunc sua praesentia beavit. An. 1688 ex favore et munificentia Leopoldi I. Caesaris reparatio eiusdem initium, et an. seq. finem

[1] Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 978. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 330. Chron. parvum Prov. Tyrol. p. 103 etc. Libellus Confraternitatis Antonianae, 1752 editus, p. 23 et pluribus seq.

obtinuit. An. 1696 die 27. Iunii primus lapis pro infirmaria, expensis excelsae Camerae restauranda, positus est [1].

55. Anno 1713 die 24. Maii Elisabetha, Caroli VI. Imperatoris (de istius adventu alibi actum) lectissima contoralis, Officio solemni in Ecclesia aulica huius Conventus cantato interfuit. Pars anterior Conventus hippodromum spectans, et ad ruinam vergens, intra an. 1719 et seq. ad modernam magnificam formam impensis Austriacis traducta est, P. Candido Zangerle, Ministro Provinciali Prov. huius, primum lapidem an. 1719 die 5. Iunii ponente; Nostrates, contra splendidum excipientes aedificium, pro responso retulerunt: *Decet Monasterii huius fundatores semper Augustos, sapientes id ipsum probare, insipientes non esse curandos.* Occasione hac habitaculum Provincialatus ad superius dormitorium translatum, et in inferiori ambulacrum, a communi dormitorio separatum, structum est, R. R. P. P. Iesuitis pro transitu serviens. Decretum, an. 1723 latum ac a Caesare firmatum, methodum modernam Fratres hoc in Conventu ex pietate Austriaca alendi induxit, ac loco musicorum aulicorum saecularium Seraphicos substituit. Anno 1740 Maria Theresia, Franciscus Magnus Hetruriae Dux, istius mater, frater ac soror Oenipontem sua praesentia bearunt, et saepius divinis Officiis in Ecclesia hac adstiterunt. Anno 1747 Novenna S. Antonii Patavini, in festo eius inchoanda, initium habuit. Anno 1749 die 7. Martii Augustiss. Maria Theresia, Regina nostra, eleemosynam Conventui dandam quoad omnia integre confirmavit, et, ut Fratres loco musicorum saecularium Psalmum *Miserere* cantent, voluit. Anno 1754 Novenna S. P. Francisci primos fructus tulit. Gloria et laetitia Conventui ex praesentia Augustiss. Francisci I. Caesaris, M. Theresiae eius coniugis, et aliarum Sereniss. Personarum an. 1765 accrescens, et tristitia ex Augustissimi morte sequens, n. 41. tactae fuerunt. Professores Universitatis Oenipontanae, ex hoc selecti Conventu, n. 384. adducentur. Cathedra aulica festivalis, Iesuitis an. 1772 suppressis, ad Conventum rediit [2].

56. Ecclesia vestibulo, marmoreis sustentato columnis, exornata, S. Cruci devota, decem grandioribus columnis, ex rubro marmore sectis, innititur, et testudine triplici navi distincta, gloriatur. Anniversarium consecrationis, de qua iam actum, Dominica Sexagesimae celebrat; tectum eius, uti etiam turris ac vestibuli ex cupro coaluit. Supra portam Ecclesiae ab intra haec obviat inscriptio, circa fundatorem defectuosa: *Templum S. Crucis Ma-*

---

[1] Monum. citata. Herzog part. 2. p. 133 ac 142. Libellus Confraternitatis Anton. p. 28. Wagner in hist. Leop. I. Caesaris part. 1. p. 441 etc.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. Franciscan. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 323. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 108.

ximilianus primus fundavit. Ferdinandus primus aedificavit. Leopoldus primus exornavit; infra hanc prostat hoc metrum:

Cernitur hic triplex primus, cur nemo secundus?
Scilicet affectant primitias superi.

Ara maior, S. Cruci sacra, olim ex ligno affabre confecta, ab an. 1758 ex marmore polito surrexit, et a Reverendiss. D. D. Ferdinando Comite de Sarenthain, Suffraganeo Brixinensi, Ep. Hypsopolitano, an. 1761 die 27. Iulii inaugurata fuit. Imago eius, ab Augustissima Imperatrice Maria Theresia Ecclesiae dono data, exprimit Christum Cruci affixum. Latera eius ex una parte S. Franciscus, ex altera vero S. Theresia stipant. Inter Aras laterales, descendendo ex cornu Evangelii, occurrit 1. Ara B. V. M. in coelos assumptae, quotidie privilegiata, in moderna figura 1775 apparens; quiescit in hac imago B. V. M. Auxiliatricis, quam Illustriss. D. D. Catharina Lucretia Baronessa de Schwendi, nata Comitissa de Spaur etc., an. 1661 Cal. Aug. defuncta, Conventui una cum aurea Cruce Caravacensi, SS. Reliquiis intus repleta, exterius autem 21 adamantibus ac 13 rubinis ornata, ex catenula aurea pendula, in ultimis tabulis transscripsit, attestans, esse primam copiam originalis in Parochia Oenipontana prostantis. 2. Ara S. Hyacinthi, munificentia Serenissimi Caroli Lotharingiae Ducis, Austriae anterioris Gubernatoris, ob victoriam de Turcis prope Strigonium an. 1685 die 15. August. partam, excitata, Fer. IV., VI. et Sabbato ex favore an. 1688 impenso, olim privilegiata, et a Reverendiss. D. Guilielmo Vintler, Episcopo Megariensi, Suffraganeo Brixinensi, an. 1686 die 26. Sept. consecratione affecta. Ex cornu Epistolae stat 1. Ara S. Ioannis Baptistae, cum tempore communius S. Antonii nuncupata, eo quod ab an. 1652 pro Altari Confraternitatis S. Antonii selecta fuerit, istius imagine in medio Arae, imagine vero S. Ioannis Baptistae in summitate eius delineata. Surrexit an. 1775 et seq. in nova forma, sedemque ab an. 1666 imagini S. Antonii, in incendio Zirlensi illaesae, praebet, de qua plura n. 53. disserui. 3. Ara S. Petri de Alcantara, liberalitate Eleonorae, fati Lotharingici Ducis coniugis, exstructa, unacum Ara S. Hyacinthi sacris liquoribus perfusa. In medio Ecclesiae infra Mausoleum Maximiliani I. Caesaris surgit Ara S. Paschalis Baylon, Minoritae Discalceati, ex voto Leopoldi Archiducis, integrae sanitati repente an. 1623 ex dictis n. 51. restituti, an. 1628 exstructa, et an. 1629 die 30. Iunii consecrata. Deus fidelibus ad Divum hunc recurrentibus varia contulit beneficia, de quibus unicum adduco. Halae an. 1629 filius Ursulae Hueterin, praegrandi tumidoque ulcere afflictus, graviter decumbebat. Mater, Oeniponte degens saluti filii consultura, illuc chirurgum misit. Interim noctu in somnis excitata, ad D. Paschalem vota direxit, et mane facto, oblata cerea imagine Ss. Missae

sacrificium ad eius gloriam dici curavit. Chirurgus adolescentem Halac invisens, eumque suaviter dormientem inveniens, excitat; nec ulcus, nec tumorem invenit, sed solum cicatricis signum deprehendit. Hanc ob rem existimavit se delusum; ast de pio recursu matris certior redditus, Divi opem una cum aliis extulit[1].

57. In Ecclesiae introitu ex parte dextera scala marmorea surgit, viam ad Sacellum Virginis Immaculatae (ob statuam istius ex argento confectam, in Ara expositam, ac symbola, eius praerogativas insinuantia, ex simili materia congesta, argenteum nuncupatum) pandens; esse suum debet Ferdinando, cognomento Magnanimo, Ferdinandi I. Caesaris filio, Austriae anterioris Domino; consecrationem primam a Ioanne Thoma de Spaur, Episcopo Brixinensi, an. 1578 die 13. Decemb. retulit. Gregorius XIII. Bulla Idibus Ooctobr. an. eodem signata, Aram gratiis et privilegiis affecit, et Sixtus V. Bulla: *Omnium saluti*, an. 1586 Calend. Iunii eandem perpetuo privilegio pro singulis diebus in Defunctorum solatium donavit. Ioannes Nasus Minorita Observans, Episcopus Bellinensis, Sacello, in ampliorem figuram extenso, secundam consecrationis gratiam an. 1587 die 8. Sept. impendit. In pariete ex cornu Evangelii cubat suave organum ex ligno cedrino compactum. Ante Aram Immaculatae Virginis, noviter ob mutationem factam, an. 1629 die 30. Iunii consecratam, fatus fundator conspicitur: Cataphracta, in bello eiusdem usui inserviente, et suis caligis sericis nigri coloris indutus, in genua demissus, ac candelam in manu tenens. Sacellum exuvias eiusdem fundatoris ac Philippinae, eius primae coniugis, uti in decursu huius L. pluribus pandam, complectitur. In festis semi-duplicibus aut Feriis pro defuncto fundatore Missa de Requiem, aut, si incidant in diem Sabbati, Missa votiva de Immaculata Virgine in hoc Sacello regulariter cantatur. Anniversarium solemne pro eodem hic die 25. Ianuarii, praemisso pridie toto Officio Defunctorum, habetur. Iuxta Altare summum Ecclesiae maioris intra parietem e cornu Evangelii Oratorium aulicum considet, Altare B. V. Mariae, Iesulum tenentis habens. In peristylio, rubro ac nigro lapide distincto, Sacellum domus Capitularis, S. P. Francisco sacrum, an. 1587 die 4. Sept. a Reverendiss. Ioanne Naso, Ep. Bellinensi, consecratum, ac ex sepulturis personarum sanguine aut dignitate clararum gloriosum, obviat. Prope aedificium Conventus Infirmaria quiescit, aliquot passibus ab hoc avulsa, speciali Capella, Refectorio ac horto sat amoeno, ac octo cellis instructa. In horto maiori Conventus, sat prolixo caput effert sepulchrum Christi Domini, ad normam Ierosolymitani congestum. Inter

---

[1] Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 629, 977 et seq. Cont. Orb. Seraph. p. 323, 330 ac seq. Chron. cit. p. 99, 101 etc.; porro Auctores, structuram Arae S. Paschalis ad an. 1625 referentes, lapsum faciunt; nam, uti ex Monum. authent. constat, an. 1625 unice mandatum Sereniss. Archiducis, Rubeaci signatum, ad D. Ioannem Balthasarum Schlögl directum, emanavit.

Reliquias sacras in Ecclesia prostantes, veniunt particulae S. Crucis, SS. Sebastiani M., Leopoldi Confess., Annae, Ioachim, Reliquiae SS. Luciae V. et M. Syracus., Andreae Ap., Elisabethae Reg. Hung., Bartholomaei Ap., Theresiae V., S. Blasii Ep. et M., veli B. V. M., pallii S. Iosephi, Petri Ap., Pauli Ap., Francisci de Paula, tunicae S. Francisc. Seraph., de ossibus S. Antonii de Padua, dens molaris S. Apolloniae V. et M., de ossibus et carne S. Petri Regalati, de ossibus S. Ludovici Ep. Tolos., Paschalis Confess., Ioannis Bapt., Zenonis M., Columbae V. et M., Luciani M., Romedii Conf., caput S. Palmerinae; Reliquiae SS. Maximi M., Saturnini M., Paulini M., Valerii M., Caroli Borromaei, de societate SS. Ursulae ac Mauritii, Athanasii Ep. et Eccles. Doct., Valentini M. et Vincentii M.; crines S. Christinae V. et M., caputium caput S. Iacobi de Marchia ad tempus obtegens. In Capella argentea asservatur corpus S. Palmerinae V. et M., exceptis capite et quibusdam ossibus, in Ecclesia extantibus. Accedunt Reliquiae SS. Columbae V. et M., Luciani M., caput Zenonis Mart. cum aliis Reliquiis eius sociorum [1].

58. Redeo ad Ecclesiam aulicam, et residua memoratu dignissima sisto. Primatum sibi vindicat Mausoleum Maximiliani I. Caesaris, manu Alexandri Colini Mechliniensis [2] an. 1577 tanta exactitudine excisum, ut quot peritos spectatores, tot admiratores nactum sit. Figura eiusdem externa ex marmore nigro, politissimo, raso et in quadrum secato coaluit. Superius in quatuor angulis virtutes Cardinales exprimuntur, opere fusili affabre confectae, in medio earum Maximilianus I. flexis genibus ac manibus versus Altare summum, SS. Eucharistiae sedem, erectis orans, exprimitur; in circuitu haec verba, aureis literis maioris figurae formata obviant: *Imperatori Caes. Maximiliano Pio, Felici, Aug. Principi tum pacis, tum belli artibus omnium aetatis suae Regum longe Clarissimo, sub cuius felici imperio inclyta Germania, dulcissima ipsius Patria, tam armis, quam litterarum studiis plusquam unquam antea florere, caputque super alias nationes extollere coepit. Cuius insignia facta, tabellis inferioribus, quamvis sub compendio, expressa conspiciuntur. Imp. Caes. Ferdinandus Pius, Felix, Augustus, Avo Paterno perquam colendo ac bene merito pietatis atque gratitudinis ergo P. natus est die 27. Martii* [3] *anno Domini MCCCCLVIIII. obiit anno Domini MDXIX. die 12. mensis Ianuarii.* In ipso Mausoleo gesta praecipua Maximiliani I., 24 marmoreis tabulis rara omnino ac mira arte illata, cernuntur. In 1. exhibetur matrimonium Maximiliani cum Maria, Burgundiae ac Belgii Domina 1477. In

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 331 etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 105 etc. et 108. Wolkenstein. cit. p. 276 etc. Monum. cit.

[2] Diem supremum an. 1612 clausit, apud tres Sanctos sepulturae illatus.

[3] Celsiss. Martinus Gerbert in Taphographia Austr. part. I. notat, pro isto die esse substituendum diem XXII. Martii.

2. victoria de Gallis ad Guinegatum 1479 reportata. In 3. Atrebatum, Artesiae metropolis, per strategema Gallis 1492 (al. seq.) erepta. In 4. electio et coronatio Maximiliani in Regem Romanorum 1486. In 5. Roboretum, a milite Maximiliani I. et Sigismundi Archiducis expugnatum, et Venetorum copiae fusae 1487, al. 1488. In 6. Austria inferior Mathiae Corvino, Hungariae Regi, erepta 1490. In 7. Alba Regalis, celebris Hungariae urbs, occupata 1490. In 8. pax cum Carolo VIII., Galliae Rege, inita, et Artesiae recuperatio 1493. In 9. victoria de Turcis, Croatiam et regna vicina infestantibus, an. 1493 relata. In 10. foedus cum Alexandro VI., Summo Pontifice, Rege Hispaniae, Duce Mediolanensi, ac Venetis an. 1494 (Fugg. teste) cusum, et recuperatio Neapolis 1496 completa. In 11. matrimonium secundum cum Blanca Maria, Galleacii Mariae, Ducis Mediolanensis filia, 1494. In 12. Philippi, ipsius filii, cum Ioanna Hispaniarum haerede coniugium, 1496 (iuxta Fugg.) ad effectum deductum. In 13. victoria de Bohemis in bello Boico prope Ratisbonam obtenta 1504. In 14. Kuefsteinium cum arce Gerolzeck, ei adiacente, expugnatum 1504. In 15. Arnhemium seu Arenacum, Geldriae civitas, 1504 subacta, et pax Carolo, Geldriae Duci, 1505 data. In 16. foedus cum Iulio II. Papa, ac Regibus Galliae ac Hispaniae adversus Venetos 1509. In 17. expugnatio Patavii, Vicentiae et parte Fori Iulii a Caesare, Brixiae vero a Gallis ad effectum deducta 1509. In 18. foedus cum Iulio II. PP. et Helvetis, atque expulsio Gallorum ex Ducatu Mediolanensi, Maximiliano Sfortiae restituto, 1512. In 19. foedus cum Angliae Rege, et victoria de Gallis Guinegatae altera vice reportata 1513, al. 1515. In 20. Terovana, aliis Ternana, Artesiae civitas, contrita, ac Tornacum, Flandriae urbs, ad deditionem adacta 1513, al 1515. In 21. Bartholomaeus Livianus, Venetorum Dux, profligatus 1513. In 22. Maranum, vulgo Marano, Fori Iulii (Merania, Tyroleos civitas, hic non intelligitur) civitas, mari adiecta, dolo ab Austriacis subacta, et contra Venetos strenue defensa 1514. In 23. congressus cum Regibus Hungariae et Poloniae, Vindobonae habitus, nexusque geminus per gemina sponsalia, Domui Austriacae summe proficuus 1515. In 24. urbs Verona a Germanis adversus Gallos et Venetos strenue defensa an. 1516 [1].

59. Mausoleum 28 statuae, vix non septem pedibus altae, ex metallo opere fusili artificiose coagulatae, circumstant, personas Austriacae stirpis aut alias, ad eam saltem indirecte referibiles, praesentantes. In cornu Evangelii stationem habet: 1. *Ioanna,* Ferdinandi V. Catholici, Hispaniarum Regis et Isabellae filia, Philippi I., Archiducis Austriaci (Maximiliani I.

[1] Topographia cit. p. 273 etc. 275 etc. Reinec. in Thalete l. 3. c. 1. p. 374 et seq., nec non in Centuria Sereniss. Mul. p. 100. et pluribus seq. Hueber in Chronic. col. 629 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 323 etc. Chron. parv. Prov. Tyrol. Reform. p. 99 etc. Monum. cit. Binner in apparatu eruditionis part. 7. p. 62 etc. Wolckenstein cit. p. 276. Granelli cit. p. 221.

filii) throno Regni Hispanici admoti, uxor, Caroli V. ac Ferdinandi I. Caesarum mater, † 1555. 2. *Ferdinandus V.*, Rex Aragoniae dein totius Hispaniae, ob Maurorum et Iudaeorum ex hoc Regno eliminationem *Catholicus* nuncupatus, † 1516. 3. *Cunegundis*, Friderici III. Caesaris filia, Maximiliani I. soror, Alberti IV. Bavariae Ducis uxor, exin Parthenii Bittricensis tertii Ordinis S. P. Francisci incola, † 1520. 4. *Margaretha*, ob os deforme *Maultaschia* dicta, filia Henrici, Carinthiae Ducis ac Comitis Tyroleos nec non ad tempus Bohemiae Regis, uxor Iodoci Marchionis Moraviae, dein Ludovici Brandenburg., Bavariae Ducis, † Vindobonae 1369, et in Conventu FF. Minorum condita fuit. 5. *Maria*, Caroli Burgundiae Ducis filia ac haeres, Maximiliani I. Imperatoris prima uxor, † 1482. 6. *Elisabetha*, Sigismundi Imperatoris filia, Alberti II. Caesaris uxor † 1443. 7. *Godefridus Bullionius*, aliis *Bovillonius*, filius Eustachii II., Comitis Bononiensis in Picardia, Lotharingiae inferioris Dux, *Christianorum Hercules* vocatus, Ierosolymorum Rex, eo armorum ornatu ac proceri corporis maiestate, uti olim Ierosolymis effigies eius visebatur, expressus, † 1100. 8. *Albertus* I. Caesar, Rudolphi I. Caesaris filius, *Triumphator* dictus, Austriae Dux, † 1308. 9. *Fridericus* cognomento *cum vacua Pera* filius Leopoldi Probi, Austriae Ducis, Comes Tyroleos, † 1439. 10. *Leopoldus*, Austriae Dux, cognomento *Probus*, in proelio Sempacensi an. 1386 interemtus. 11. Ex opinione aliquorum *Carolus*, Calabriae Dux, filius Roberti Siciliae Regis, maritus Catharinae, Alberti I. Caesaris filiae † 1334. 12. *Leopoldus Gloriosus*, filius Alberti I. Caesaris, Dux Austriae, † 1326. Pro Duce hoc stat effigies in Speculo Austriaco Fuggeri p. 299 expressa, statuae omni ex parte conformis. Ferdinandus I. Caesar per hanc statuam designari nequit, sicut nec per priorem Carolus V. Caesar; reclamat enim effigies utriusque, et fusor statuarum in sua instructione nil de horum statuis habet. 13. *Fridericus* III. (in aliquorum calculo IV.) cognomento *Pacificus*, aliis *Placidus*, Maximiliani I. Caesaris Pater, † 1493. 14. *Albertus*, qua Dux Austriae V., qua Imperator II., Rex Bohemiae et Hungariae, † 1439[1].

60. Transeo ad cornu Epistolae, in quo, mensura a parte inferiori Ecclesiae sumta, in occursum venit: 1. *Clodoraeus*, primus Franciae Rex Catholicus, † 510, al. 511. 2. *Philippus I.*, Hispaniarum Rex, Maximiliani I. Caesaris filius (neutiquam frater), Caroli V. ac Ferdinandi I. Caesarum Pater † 1506. 3. *Rudolphus*, Comes Habsburgicus, qua Romanorum Imperator I., † 1291. 4. *Albertus Sapiens*, aliis *Contractus*, Austriae Dux,

---

[1] Reinec. in Thalete l. 3. c. l. p. 394 etc. in Cent. Mul. p. 110 et seq. Hueb. in Chron. col. 634. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 325. Monum. cit. Granelli cit. p. 220 etc. De Personis, hoc N. tactis, Lex. Basil. Fugger in Genealog. Austriaca, et plures alii a me inspecti, tractant. Topograph. cit.

† 1358. 5. *Theodoricus, Veronensis* dictus, Gothorum orientalium in Italia Rex, Odoacri successor, † 526; al. seq. locum hic habere censetur, quia Reges Hispanici a Gothis, et ex his subin Austriaci Principes prodierunt in linea materna. 6. *Ernestus Ferreus,* Dux Austriae, filius Leopoldi Probi, avus Maximiliani I. Caesaris, † 1424. 7. *Theobertus,* al. *Thietbertus* aut *Theodobertus,* iuxta Lex. Basil. Rex Austrasiae et Burgundiae, iuxta Reinec. Comes Provinciae, Dux Burgundiae, Comes Habsburgicus, an. 612, uti Lex. Basil. ex Fredegar astruit, interfectus. 8. *Artus* seu *Arturus,* Rex Britanniae, cognomine dictus *Mabuter* et *Artus,* id est: *filius horribilis,* et *ursus terribilis,* variis victoriis de Saxonibus et aliis gentibus relatis, inclytus, qui circa annum 542, prout quidam volunt, naturae tributum solvit. Scriptores quidam varia acta huius Regis fabularum calculo inferunt. 9. *Sigismundus,* Archidux Austriae, Comes Tyroleos, † 1496. 10. *Blanca Maria,* Galeacii Mariae (neutiquam Ioannis, utpote Blancae Mariae fratris) Sfortiae, Mediolanensis Ducis filia, Maximiliani I. Caesaris secunda uxor † 1511. 11. *Margaretha,* al. *Margarita,* Maximiliani I. Caesaris filia, primitus Ioannis Aragoniae Regis, dein Philiberti Sabaudiae Ducis uxor, subin Gubernatrix Belgii, † 1530. 12. *Cymburgis,* al. *Cimburgis* Zemoviti Mazoviae Ducis filia, uxor Ernesti Ferrei, Austriae Ducis, † 1429. 13. *Carolus,* Burgundiae Dux, cognomento *Audax* aut *Pugnax,* pater Mariae, Maximiliani I. Caesaris primae coniugis, † 1477. 14. *Philippus* IV. al. III., cognomento *Bonus,* Burgundiae Dux, filius Ioannis Intrepidi, Burgundiae Ducis, et Margaritae, Ducissae Bavariae, pater Caroli Pugnacis, mox tacti, avus Mariae, Maximiliano I. Caesari nuptae, † 1467 [1].

61. Praeter has statuas tres viginti minores bipedalis altitudinis in medio Ecclesiae dorso plantatae sunt. Ex his numerantur 17, de quibus Personae praesentatae solide innotescunt; inter has conformiter ad inscriptionem a fusore factam, venit: S. *Aldegundis,* Comitissa Hannoniae. 2. *Ablebertus,* aliis *Adelbertus* aut *Emebertus,* iuxta quosdam Comes Brabantiae. 3. S. *Doda* Saxonica, ex toro Ducissa Mosellana. 4. S. *Ermelindis.* 5. S. *Guido,* Lotharingiae Dux. 6. S. *Simpertus,* nepos Caroli Magni, Episcopus Augustanus. 7. S. *Iodocus,* Britanniae Regis filius. 8. S. *Landricus,* Comes Hannoniae, Episcopus Metensis, exinde Abbas Sonnegiensis et Altmontensis. 9 *Clodovaeus,* Franciae Rex. 10. S. *Oda* Sueva, Arnulphi Bugiosi I., Mosellani Ducis, uxor. 11. S. *Pharaildis,* Theodorici, Lotharingiae Ducis, filia. 12. S. *Richardus,* Rex Anglo-Saxonum. 13. *Reinbertus,* al. *Reimprechtus,* Brabantiae Comes. 14. *Rolandus,* Comes Cenoma-

---

[1] Reinec. in Thalete cit. p. 399 etc., nec non in Centur. cit. p. 116 et plur. seq. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 325 et seq. Monum. citata. Granelli mox cit.; accedunt Lex. Basil. Fugger. Lequile in Geneal. Austriaca, et plures alii.

nensis, filius Caroli Magni. 15. S. *Stephanus*, Hungariae Rex. 16. S. *Venantius*, miles, dein Eremita. 17. S. *Waldetrudis* Hannoniae Comitissa[1].

62. Succedunt sex aliae statuae, de quibus ex meris coniecturis Personae, iis indicatae, constant. Per primam, Episcopalibus insignibus et pisce in manu laeva instructam, vero similius intelligitur S. *Arnulphus*, S. Dodae maritus, subin Metensis Episcopus, mediante annulo in aquas proiecto, et post plures annos in pisce invento, de remissione peccatorum certior redditus, et anno 640 ex vivorum numero sublatus. Per secundam S. *Clodulphus*, istius Arnulphi filius, fidei Catholicae strenuus defensor, subin Episcopus Metensis. Per tertiam S. *Gudula*, aliis *Gudila*, Witgeri et S. Amelbergae filia. Per quartam *Pipinus de Landis*, Dux Brabantiae, Carolomanni Principis et Aemegardis filius, Caroli Hasbaniensis Comitis nepos, Maior domus in Austrasia eximia virtute donatus, qui iuxta Bolland. an. 646 obiit, et primitus Landis sua patria, dein Nivellis conditus fuit. Per quintam intelligitur S. *Trudo*, Hasbaniae Apostolus, virtute inclytus, an. 693 defunctus. Per sextam S. *Vincentius* seu *Madelgarius*, miles, maritus et tandem piissimus Monachus. Si quis modum, quo Personae, hoc aut priori N. tactae, expressae sunt, scire anhelat, continuatorem Orbis Seraph. consulat, aut ipsam Ecclesiam aulicam invisat; qui vero plura de actis Personarum, hoc et priori N. adductarum, desiderat, Surium, Haraeum, Bollandistas et alios scriptores, acta plurium ex istis fusius exhibentes, adeat[2].

63. Conventus hic, Aulicus nuncupatus, in tota Provincia primatum tenet. In eo pro honore Dei et salute proximi sudat: 1. Verbum Dei a Concionatore aulico primario ac secundario festivali regulariter ante meridiem, et a Concionatore Conventus post meridiem diebus Dominicis ac festivis declamatum. 2. Archiconfraternitas S. P. Francisci, circa annum 1602 inducta. 3. Archiconfraternitas S. Michaelis, Monacensi adiuncta. 4. Confraternitas S. Antonii Patavini, subin mortis seu Oratorii dicta, in bonum agonizantium et animarum defunctorum, pio zelo Ferdinandi Caroli, Austriaci Archiducis ac Austriae anterioris Principis, an. 1652 instituta, et die 7. Iunii fati anni iuxta libellum, de hac Confraternitate novissime editum, introducta. Haec Archiconfraternitati mortuorum, Romae exsistenti, sub Alexandro VII. an. 1665 absolute aggregata et ut talis ex pulpito an. 1666, veluti literae authenticae nos securos reddunt, in Ecclesia nostri Conventus promulgata fuit. Nomen huic primitus dedere Ferdinandus Carolus et Sigismundus Franciscus Archiduces, Anna Medicaea, illius coniux, unacum suis duabus filiabus, Claudia et Magdalena. 5. Via crucis, an. 1632 erecta. 6. Obsequia

---

[1] Monum. citata. Reinec. in Thalete cit. p. 410 etc., et Centur. cit. p. 124 etc. Cont. Orb. Seraph. cit. p. 326 etc. et alii.

[2] Reinec. in Thalete p. 411. Lex. Basil. Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 329 etc. nec non alii.

spiritualia Ill. Canonissis Regiis delata. Fratres, hoc in Conventu ad patres abeuntes, ordinarie in peristylio condi solent. De praesenti in Universitate Oeniponte unus nostratum Theologiam moralem, et alius linguam Hebraicam tradunt. In Conv. praeleguntur a quatuor Lectoribus Theologia, Eloquentia et Philosophia. Pro Fratrum vestitu Pannificium operas suas locat, pro eorum sanitate Pharmacopaea in promptu adest. Fratres, quorum 54 circiter in hoc Coenobio regulariter recensentur, potissimum ex annua eleemosyna Augustissimae Domus Austriacae vitae suae consulunt; ut autem grato animo hanc munificentiam recognoscant, Chorum diu noctuque Deo pro bono antefatae Domus offerunt, singulis diebus solemne Officium, sat crebro Tertiam, Vesperas, Litanias et alia cantant; quatuor Sacra quotidie applicant, ac alia pia exercitia peragunt. Sigillum Conventus stat in cruce, corde decorata; in eius orbe haec versantur verba: *Sigill. Guard. Conventus S. Crucis Oenipont*[1].

§ 2.

Conventus Friburgensis ad S. Martinum.

64. Friburgum, vulgo *Freiburg*, de praesenti primaria Brisgoviae civitas, Dioecesi Constantiensi inserta, ad radices Silvae nigrae iuxta fluvium Treisam considet. Ex pago in civitatem iuribus Coloniensibus donatam, an. 1118 iuxta Monum. Friburg. et scriptores magis exactos, benignitate Bertholdi III. Zaehringensis Ducis, ampla privilegia ei attribuentis, transiit, et a Bertholdo IV., Zaehringensi Duce Conradi filio, ad ulteriorem perfectionem deducta fuit. Bertholdo V., istius filio, an. 1218 obeunte, Comitibus Fürstenbergicis (subin Comites de Friburgo sese nuncupantibus) obvenit. Sub horum dominio, acerrimis litibus referto, haesit usque ad an. 1368, quo Austriacae Domui, viginti millia Marcarum argenti Egoni IV., Comiti Friburgensi, loco civitatis pro hoc quanto cum isto pro libertate paciscentis, numeranti sese submisit. Friderico cum vacua Pera, Austriae Duce ac Austriae anterioris Domino, a Papa et Caesare an. 1416 proscripto et suis terris exuto, Imperio Romano cessit, illi post reconciliationem ad effectum deductam, restituta. Varia tempore belli subiit fata. An. 1633, 1634 ac 1638 a Suecis occupata fuit, ab Austriacis an. 1633, 1634 et 1644 iterum recuperata. An. 1677 Gallis, 1697 Austriacis, 1713 Gallis, 1715 Austriacis, 1744 Gallis, an. seq. Austriacis, quibus de praesenti subest, cessit. Decorem eximium attrahit ex Universitate, ab Alberto

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 330 etc. Monum citata. Chron. parvum. Prov. Tyrol. p. 102 etc. et 110. Libell. Confrat. S. Ant. p. 9. etc. et 20.

VI.[1], Austriae Duce, Friderico III. Imperatore, et Sigismundo, Austriae Duce ac Tyroleos Comite, opem conferentibus, an. 1457 (insistendo diplomati) fundata, et a Pio II. PP.[2] an. 1463 confirmata. Splendori eius Templum primarium Deiparae assumtae Parochiale (vulgo Münster), turri elegantissimae figurae instructum, novos radios addit. Pro ulteriore intensione faciunt Ecclesiae, et Monasteria status Religiosi, videlicet omnium Sanctorum Canonicorum Reg. S. Augustini, S. Erhardi Augustinianorum Eremitarum, Sanctorum Ioannis Bapt. et Evang. Dominicanorum, S. Martini Franciscanorum, B. V. M. Immac. Capuccinorum, S. M. Immac. olim Iesuitarum, S. Catharinae Dominicanarum, ex Adelhausen translatarum, S. Clarae Clarissarum, S. Crucis in fossa Dominicanarum, tertiae Regulae addictarum, S. Annae Silvae viridis Augustinianarum, B. V. M. ad Nives Ursulinarum. Civitati Carthusia, media hora ab ea semota adiacuit. Praenobilis Parthenon vallis Güntheri, Ord. Cisterc., parva hora ab ea abest. Adiungendae veniunt quaedam aliae Ecclesiae Clero saeculari adpropriatae, uti S. Spiritus Parochialis, et S. Antonii Abbatis, et B. V. M. Visitantis (tribus distinctis Xenodochiis addictae), S. Michaelis Archangeli in Coemeterio, et B. V. Lauretanae extra urbem. Friburgum ex sphaera fortalitiorum primae Classis, in qua olim ob fossas, propugnacula fortissima ac tres arces, dorso montis iuxta civitatem instratas versabatur, a Gallis an. 1744 et seq. deturbata fuit. Solent in ea celebrari congressus trium statuum Brisgoviae, videlicet Ecclesiastici, Equestris ac Tertii, seu urbium ac regionum. Insuper hoc in loco et eius vicinia degunt artifices, granatos, crystallum et alios lapides in varias figuras affabre elaborantes. Plateas urbis rivuli in momentosum commodum transsecant[3].

65. Scriptores varii initia Conventus Friburgensis, pro Fratribus Minoribus absolute talibus primitus excitati, ad tempora S. Francisci revocant. Facem iis praetulit Gonzaga, illi primum locum in Provincia Argentinensi attribuens, de Sacello S. Martini asseverans: *Videtur, fere ipsis temporibus Seraphici P. N. Francisci Ordini esse oblatum.* Eiusdem mentis est Bernardinus Schubert Friburgensis, Prov. Tyrol. alumnus, Protocolli antiqui Conventus Friburgensis compilator. Wad. Monumentis Prov. Colon. innixus, ortum huius Conventus an. 1226 affixit, plures sequaces hac in re nactus. Asserto huic, si de Claustro formato intelligendum sit, suffragium

---

[1] Nentiquam Carolo.

[2] Chron. Prov. Austr. ant. Capuc. perperam hunc Iulium II. nuncupat; hic enim Pio III. an. 1503 defuncto, successit.

[3] Mynsterus p. 773 etc. Fagg. p. 590. Kolb. in compendio Orbis p. 146 etc. Urstis. t. 2. ex fragmento Hist. Aust. incerti p. 83. Continuat. Orb. Seraph. t. 5. p. 332 etc. Chron. Prov. Tyrol. Reform. p. 111 etc. Lex Basil. Binner part. 8. p. 452 etc. Chron. Prov. Austr. ant. Capuc. p. 105 etc. Monum. cit. ac Conv. Friburg. Franciscanorum. Iustin. Kaltpruner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Franciscan.

dare nolo, his rationibus motus. Archivum civitatis et Conventus de hac structura pro fato tempore alte silent. Literae Archivi Conventus, S. Martini Capellam et locum pro structura Claustri Fratribus assignantes, primum an. 1246 emanarunt. RR. PP. Dominicani, Friburgi primitus an. 1236 introducti, in actibus publicis praecedentia prae Franciscanis fruuntur. Gonzaga primatum Conventui Friburgensi in Provincia Argentinensi adiudicans, certo certius fallitur, si loquatur (uti loqui ad praesentem materiam tenetur) de Provincia Argentinensi (olim Alemannica vocata) FF. Min. absolute talium; enimvero varii recensentur Conventus, uti decursus mei operis dabit, in ea ante Conventum Friburgensem nati. Compilator Protocolli Friburg. an. 1650 istud congessit, et nullas literas in suum favorem adducere valet. Tandem Monumenta Coloniensia in quodam libello Chronologico, incerto tempore congesto, se fundantia, tantae virtutis non sunt, ut elidant instrumenta authentica Archivi Conventus Friburgensis, de ortu Monasterii aliter discurrentia. Opponi potest: Gregorius IX. PP. Bulla *Cum dilecti filii Fratres Minores* Perusiae Pontif. an. secundo X. Cal. Martii, sicque 1229 (electus fuit an. 1227 die 19. Martii et, uti Sbaralea ait, die 21. eiusdem coronatus) lata, mandavit Episcopo Constantiensi, ut Ecclesiam Minoritarum, Friburgi noviter exstructam, a malignis Synagoga Iudaica derisorie nuncupatam, ocius consecret, et munus praedicationis illis committat. Repono: Haec Bulla non concernit Gregorium IX. sed X. Ratio: Ex una parte ipsamet a quoto Gregorio abstrahit, et ex altera adsunt circumstantiae graves, pro Gregorio X. stantes. Sane, si ad an. 1226 initia Conventus revocentur, an. 1229 non licuisset mirari, quod Ecclesia nedum consecrata fuerit. In instrumentis mox tangendis, an. 1246 et 1247 (sicque post mortem Gregorii IX.) exaratis, s. Aedes, Minoritis Friburg. consignata, mera vocatur Capella. Intra an. 1249 et 1265 plures emanarunt literae Apostolicae, n. seq. insinuandae, fidelibus ad fabricam Ecclesiae vel Claustri istius opem conferentibus Indulgentias tribuentes; quin ipsemet Eberhardus, Ep. Constantiensis, Indulgentias pro die dedicationis dictae Ecclesiae an. 1248 elargitus est. Tandem Bernardinus Lackner, et compilator Protocolli Friburg. literas Apostolicas et alias in synopsi ordine chronologico exhibent; at post literas Innocentii IV. sistunt illas Gregorii; ergo perperam eum IX. vocant, aut sibi ipsis contradicunt. Ex firmioribus fulcris ita discurro. Conradus, Comes Friburgensis, bono spirituali proprio et parentum consulturus, habita licentia Henrici I. de Thann [1], Episcopi Constantiensis, Capellam S. Martini Friburgensem, in quam ius Patronatus alebat, cum omnibus pertinentiis an. 1246 VIII. Cal. Iunii instrumento mox allegando Minoritis cessit, annexo onere, ut, si isti locum

---

[1] Cathedram conformiter ad seriem Ep. Constant. an. 1234 conscendit, et an. 1248 Eberhardus II., Dapifer de Waldburg, ei successit.

sine spe revertendi derelicturi sint, ius Patronatus ad se revertatur, et tractus Sacello adiunctus, in bonum pauperum, ex quorum eleemosyna fluxit, impendatur. Eodem anno die 29. Iunii Pl. R. D. Hermannus, Decanus in Guzbach, qui 40 annis Sacellum istud possederat, limites territorii eidem Sacello addicti literis suis exposuit. Innocentius IV. cessionem Capellae S. Martini Brevi: *Iustis petentium desideriis*, propediem exprimendo, an. 1247 die 7. Iunii ratam habuit[1].

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Omnibus praesens scriptum audientibus seu cernentibus, salus sit in omnium Salvatore. Cum humanae provisionis ordinatio semper in umbra dormiat oblivionis, ac huius rei causa series veritatis multoties opprimatur, noverint praesentes et posteri, quod Nos Divina provisione Conradus Comes de Freyburg, extremorum praememorati suspiriorum, in remedium animae Nostrae nec non parentum Nostrorum, accedente consensu V. Patris Nostri Henrici, Constantiensis Episcopi loci Dioecesani, Capellam S. Martini sitam in dicta civitate Friburgi, cuius ius Patronatus ad Nos spectare dignoscebatur, et quatuor adiacentia Cyrcilia viris Religiosis Fratribus Minoribus cum omnibus suis pertinentiis pleno libertatis iure conferimus perpetuo possidendam, tali conditione, quod si dicti Fratres voluntarie sine spe revertendi loco cesserint memorato, praefatae Capellae Patronatus ad Nos praesentatione pristina revertatur, praelibata siquidem Cyrcilia de pauperum eleemosyna comparata, per procuratores Fratrum et dictae civitatis Nostrae Consules in usus pauperum redigantur. Huius igitur collationis Nostrae donatio, ne cuiuscunque possit calumnia molestari, Nos nomine Nostro Nostrorumque haeredum in his omnibus iuris ac legum renunciamus auxilio, praecipue statuto Imperiali, Civili regnorum omnium ac civitatum, omnique totaliter exceptioni novae seu veteris constitutionis, cuius vel quorum suffragio praesens scriptum a quocunque valeat infirmari. Ut autem haec inconcussa permaneant, et stabili gaudeant firmitate, hanc paginam sigilli Nostri civiumque Nostrorum munimine roboramus. Acta haec sunt anno Domini 1246.

Dat. apud Friburgum, octav. Calend. Iunii, indictione quarta, praesentibus his testibus Rudolpho, Plebano de Eistat, Domino Eberhardo, cognomine Sparhardt etc., et aliis quamplurimis idoneis et discretis.

---

[1] Gonz. in Prov. Tyrol. Conv. 2. Wad. t. 6. an. 1318, n. 38. Hueb. in Chron. col. 41. Suev. Eccles. p. 333. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 333 etc. Chron. parvum Prov. Tyrol. Ref. p. 115. Monum. Conv. Friburg. et Prov. Tyrol. Ref. Franciscan. Bullar. Franciscan. t. I. p. 462. Kallpruner cit.

Innocentius etc.

Dilectis filiis Guardiano et Fratribus Minoribus de Wirimburch Constantien. Dioecesis[1] *salutem et Apostolicam benedictionem.*

Iustis petentium desideriis dignum est etc. Exhibita siquidem Nobis vestra petitio continebat, quod plebanus de Wirimburch, Constantien. Dioecesis, Capellam Sancti Martini loci eiusdem sine animarum cura ad suam collationem spectantem, ac ipsius loci universitas quemdam locum adiacentem ipsi Capellae, prout spectabat ad eos, vobis voluntate et consensu Ven. Fratris Nostri... Episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Constantien. liberaliter contulerunt, prout in literis inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc pie ac provide factum est, ratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Lugduni VII. Idus Iunii Pontificatus Nostri Anno IV.

66. Varii status Ecclesiastici Magnates operam suam pro promovenda fabrica ac bono Conventus, nec non Ecclesiae maioris loco Sacelli S. Martini erigendae, locarunt. Innocentius IV. PP. Brevi: *Quoniam, ut ait Apostolus*, Lugduni II. Nonas Decembris an. VII., seu an. 1249 die 4. Decembris, et alio eiusdem initii, Assisii Kal. Iunii an. X., sicque an. 1252. expedito, fidelibus, ad aedificationem Ecclesiae aut Claustri in Prov. Alemannica, Custodiae Basileensi attributi, opem laturis, 40 dies de iniuncta poenitentia relaxavit. Hugo, S. Sabinae Presbyter Cardinalis, Apostolicae Sedis in Germania Legatus, an. 1251, Pontificatus citati Papae an. XI., nec non Clemens IV. an. 1265 IV. Idus Iulii, an. Pontif. I., 100 dierum Indulgentias fidelibus, ad structuram Ecclesiae inservientibus, impertiti sunt. Plures Superiores Ecclesiastici fidelibus Ecclesiam Minoriticam huius Conventus devote visitantibus, Indulgentias in I.^{mo} Ordinis saeculo elargiti fuerunt. Eberhardus II., Dapifer de Waldpurg, Ep. Constantiensis, VI. Idus Martii 1248 dierum 40 Indulgentias pro ipso die Dedicationis[2], Anniversario istius, ac Octava dedit. Hugo, tit. S Sabinae Presbyter Cardinalis, Lega-

---

[1] Clariss. Sbaralea in suis notis ad hanc Bullam non bene concludit, per hunc Conventum intelligi septimum Custodiae Bavariae, Verimberch dictum. Ratio: Hic coincidit cum Norimbergensi, Dioecesi Bamberg. adscripto, et Custodia Bavariae in saeculo XIII. aut seq. Conventum nullum in Dioecesi Constant. recensuit. Sentio ergo, quod indigitetur Conventus Friburgi inferioris, tertium locum in Custodia Basileensi apud Pisanum occupans.

[2] Ex instrumento, a me et aliis viso, hoc constat; unde corruit an. 1242, ab uno alteroque Scriptore allegatus.

tus Apostolicus, diplomate, Leodii V. Nonas Maii 1253 signato, 60 dierum Indulgentias pro quatuor B. V. Mariae, Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes et S. Francisci festivitatibus, ac Octavis earum concessit. Alexander IV. P. P. Bulla, Anagniae an. 1255 (Pontif. II.) exarata, 100 dierum Indulgentias pro festis SS. Francisci Seraphici, Antonii Patavini ac Clarae, et ipsorum Octavis impendit. Conradus, Comes Friburgensis, instrumento, in fine huius N. loco primo sistendo, Friburgi an. 1262 [1] signato, domum et aream nobilis dominae Mechtildis Michterin pro extructione Chori Minoritis loci impendit. Henricus, Ep. Tridentinus, cum consensu Episcopi Constantiensis an. 1270 XIII. Cal. Sept. 40 dierum Indulgentias fidelibus, deposita Confessione fatam Ecclesiam in festis maioribus B. V. Mariae, nec non SS. Franc. Assis., Clarae et annuae dedicationis devote frequentantibus, addixit. Gregorius X. P. P. an. 1273 die 20. Febr. Breve, in synopsi N. priori tactum, suis terminis in fine huius N. loco secundo obiiciendum, expedivit. Conradus, Comes Friburgensis, an. 1273 Idibus Maii domum et aream Henrici Morhardi ac eius fratrum Minoritis Friburgensibus consignavit. Albertus, Ep. Insulanus S. Mariae, Christianos inopiam eorum sublevantes, Indulgentia 40 dierum a criminalibus et unius anni a venialibus an. 1281 affecit. Viri quidam status Equestris recensentur in saeculo XIII., dimissis uxoribus Clarissarum Institutum amplexis, Regulae S. P. Francisci hoc in Conventu, in Prov. Alemanniae Custodiae Basileensis adscripto, nomen dantes [2].

Universis praesentem paginam inspecturis, seu audituris. Conradus Nobilis Comes de Friburg subscriptae rei notitiam cum salutis Auctore. Altissimo Creatori creaturarum omnium, Deo gratum et placentissimum obsequium exhibere non ambigimus, si loca divino cultui mancipata, largiori munificentia Nostra cupiverimus ampliare, et eorum affectionibus intendere cum effectu; noverit igitur praesens aetas et futura posteritas, quod Nos dilectorum Fratrum Minorum necessitate inspecta, spe mercedis aeternae, domum et aream D. Mechtildis dictae Michterin ipsis Fratribus offerimus pleno libertatis iure, ut ibidem sibi Chorum construant et alia, quaecunque eisdem placuerint, ordinandi, renunciantes in his nomine Nostro, ac haeredum Nostrorum iuris ac legum auxilio, regnorum et civitatum omnium, omnique totaliter exceptioni cuiuscunque contrarietatis et litis contestationis cuiuslibet, quorum suffragio praesens scriptum a quocunque valeat infirmari; ut autem haec Nostra dona-

---

[1] Gonz. iam cit. Wad. cit. nec non t. 9. an. 1400, n. 12. p. 223. Hueb. in Chron. col. 41. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 334. Chronic. cit. Prov. Tyrol. p. 115 etc.

[2] Monum. citata, et Parth. Friburg. Clarissarum. Pisan. Conform. XI. fol. 127. Kaltprunner cit.

tio inconvulsa permaneat, ac pleno iure gaudeat libera, Nos praesentem paginam sigilli Nostri munimine roboramus.

Datum in Castro Nostro in Octava Assumptionis B. Virginis anno ab incarnatione Domini 1262.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Episcopo Constantiensi salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum dilecti Filii Fratres Minores, non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi quaerentes, lucrifacere Deo desiderent animas singulorum, et eas ad poenitentiam, quantum eo permittente sibi est possibile, revocare, Tu et alii Ecclesiarum Praelati, ut in vestris Dioecesibus homines sic Deo accepti valeant propagari, tanto magis laborare tenemini, quanto ipsorum opera digniora conspicitis, et magis accepta in oculis Salvatoris. Cum igitur iidem Fratres iuxta Friburgum, cuius Dioecesanus exsistis, quandam Ecclesiam habere dicantur, quae nondum est consecrationis munere dedicata, et propter hoc a quibusdam malignis hominibus in Dei et ipsorum contemtum Synagoga Iudaica derisorie appelletur, Nobis humiliter supplicarunt, ut eidem Ecclesiae saltem ad tam contumeliosam ignominiam abolendam per Te faceremus munus consecrationis impendi et eis, quibus suffragatur praedicandi scientia, et hoc a Ministro Ordinis est indultum, id exsequi per tuam Dioecesim de Nostra permissione liceret. Nos igitur attendentes, preces eorum eo esse favorabilius admittendas, quo magis apparet, quod ex hoc non sibi solummodo, sed utilitati consulitur singulorum, Fraternitati tuae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus ob reverentiam Apostolicae Sedis et Nostram sine alicuius difficultatis obstaculo eis postulata concedas, ut semen serere valeant, quod non perit, et messem in aeterna horrea congregare. Praeceptum Nostrum taliter impleturus, quod iidem non cogantur propter hoc ulterius ad Sedem Apostolicam laborare, nec Nos Tibi vel alii aliter scribere compellamur.

Datum Perusii X. Calend. Martii, Pontificatus Nostri anno secundo.

67. Ioannes de Rheno, Episcopus Valaniensis, Vicarius Generalis Episcopi Constantiensis, anno 1314 XVI. Calend. Maii easdem Indulgentias, ac Albertus, Episcopus Insulanus, pro benefactoribus Conventus dedit. Ioannes XXII. PP. an. 1318 Officiali Friburgensi, Priori Praedicatorum, et Minorum Guardiano, commissionem quandam attribuit. Anno 1354 Fratres Conventus a quibusdam personis status Clericalis et Laicalis haud leves sustinuere calamitates. Ioannes, Episcopus Argentinensis, ex voluntate Papali una cum Archi-Episcopo Moguntino, et Episcopo Herbipolensi, iudex

et conservator iurium et privilegiorum Minoritarum, in Provincia Alemanniae superioris morantium, constitutus, Praelatum Basileensem S. Leonardi, ac Friburgensem omnium Sanctorum, diplomate, Selestadii an. 1351 die 8. Maii signato, deputavit, ut illos omni modo et iure defendant. An. 1378 inter R. R. P. P. Augustinianos Eremitas, Dominicanos ac Minoritas conventio circa conservationem privilegiorum de s. tribunali Poenitentiae, sepulturis et aliis obiectis obtentorum, facta est. Leopoldus de Chieregatis, decretorum Doctor, Episcopus Concordiensis, Alexandri VI.[1] PP. Referendarius domesticus, orator in Germaniam missus, fidelibus pro reparando et conservando Conventu hoc ac eius Ecclesia opem ferentibus, ac in septem B. V. Mariae, S. Annae, S. Martini, Sebastiani, S. Francisci et Dedicationis festis devote illam visitantibus, 40 dierum Indulgentias a criminalibus, et unum annum de venialibus peccatis an. 1498 III. Calend. Octobr. concessit. Anno 1506 die 23. August. Thelamonius, aliis Tilmannus, Episcopus Tripolitanus[2], Suffraganeus Basileensis, Ord. Eremitarum S. Augustini, Aram S. Annae expensis nobilis ac strenui militis Theodorici de Blumeck ac Margarethae de Landeckh, eius coniugis, exstructam, in honorem S. Annae, nec non SS. Florentii, Romani, Eucharii, Fridolini et Elisabethae Thuringianae consecrationis favore excepit, Indulgentia 40 dierum addita. Leo X. PP. Bulla, an. 1513 VII. Cal. Iulii exarata, limites sepulturae, pro extraneis deputatae, definit, ac Coemeterium novum extra muros situm, *Campus sanctus* aut *Haceldama* nuncupatum, exstrui voluit[3].

68. Incolae Conventus Friburgensis ab initio Minoritae, aut Franciscani aut Nudipedes nuncupati, lapsu temporis ad laxiora deflexerunt, et agnomen Conventualium attraxerunt. Maximilianus I. Caesar vita irreligiosa eorum offensus, Leonem X. PP. convenit, ut loco eorum Observantes introduceret. Iste negotium hoc debito ordine peracturus, Ministro Provinciali Provinciae Argentinensis Conventualium iniunxit, ut Fratres istius Conventus ad vitam reformatam reducat, minans, quod si hoc isti negligerent, Observantibus Conventus adiudicandus sit. Isto mandatum Sedis Apostolicae non exsequente, summus Pontifex Bulla, Romae 12. Ianuarii an. 1515 data, D. Laurentium Campegium, electum Feltrensem, Nuntium Apostolicum per Germaniam et Visitatorem Reformatorum primarium constituit. Sociam operam adiunxit ipse Caesar diplomate, Augustae an. 1515 die 22. April. signato, Senatui Friburgensi in mandatis dans, ut reformationem Conventus, per immissionem Observantium ad effectum deducendam, promoveat.

---

[1] Neutiquam IV., utpote iam an. 1261 e vivorum calculo amoti.

[2] Ita Monum. Conv. Friburg. In Suev. Eccles. p. 332. vocatur Ep. Hipponensis.

[3] Wad. t. an. 1318, n. 38. Suev. Eccles. p. 333. Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. Franciscan.

Legatus praedictus iustis ex causis motus, literis, Vindobonae an. 1515 die 23. Iulii signatis, munus suum Casparo Schazger, Provinciae Argentinensis de Observantia Vicario Provinciali[1], ac tunc temporis simul Guardiano Conventus Basileensis, nec non Reverendiss. D. D. Ioanni IV. Widel de Gerspach, Abbati celeberrimi Monasterii Schutterani Ord. S. Benedicti, consignavit. Die 6. Augusti, Christo transfigurato sacro, immissio Observantium effectum suum nacta est, uti prodit haec inscriptio supra ianuam domus Capitularis exarata: *Anno Domini 1515 in festo Transfigurationis Domini renovatus est Conventus iste Friburgens. auctoritate Apostolica Leonis X. ad instantiam Augustissimi Imp. Maximiliani I. per Reverendissimum D. Ioannem Abbatem in Schuttern, Ord. S. Benedicti, subque Vicariatu R. P. Fr. Caspari Schazger, qui eo die cum 27 Fribus hoc Reformat. Coenobium et locum humillime suscipiens et intrans Regularem inchoavit observantiam, quam Dominus perpetuo continuare dignetur. Amen.* In hac devolutione P. Wernerus Zachmann, Guardianus, 24 Fratribus ex 27 remanentibus ius dicens, Georgius Locherer Vice-Guardianus, Henricus Kastner Praedicator, Ioannes Haffenbach Lector evasit. Contra mutationem hanc exceperunt Conventuales, ad Sedem Apostolicam appellarunt, et subreptitio modo sequestrum bonorum suorum relictorum obtinuerunt. Motus hos Maximilianus I. Caesar, varias literas in favorem Observantium ad summum Pontificem, Ministrum Provincialem Conventualium, Regimen Ensishemiense et civitatem Friburgensem exarans, nec non ipsemet Papa, literis an. 1515 die 5. Novemb. ac an. 1516 die ultima Martii signatis, suffocarunt, istas ad effectum Ioannes Fridingér, utriusque iuris Doctor, Officialis Curiae Constantiensis et executor huius causae, ad eam unacum aliis deputatus, uti ex eius literis Constantiae an. 1516 die 13. Iunii exaratis eruitur, deduxit. Brevitatis et caritatis ergo omitto varias literas hac in re formatas, et ultimum diploma Papale, totius causae synopsin continens, adduco[2].

Leo Papa X.

Dilectis Filiis Fratribus Domus S. Martini oppidi Friburgensis, Ord. Min. de Observantia nuncupatorum Constantiensis Dioecesis. Dilectis Filiis salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum post pro parte charissimi in Christo filii Nostri Maximiliani, in Romanorum Imperatorem electi Illustris, Nobis expositum fuerat, quod tunc Fratres Domus S. Martini oppidi Friburgensis, Ord. Frat. Minor. Conventualium seu Clau-

[1] Nolo dicere: *Ministro Provinciali;* nam an. 1515 Observantes a meris Vicariis Provincialibus adhuc regebantur.

[2] Monum. cit. Gonz. in Prov. Tyrol. Conv. 2. Wad. mox cit. Hueber in Chron. col. 618 etc. Suev. Eccles. p. 333 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 4. p. 335 etc. Chron. cit. p. 115 etc.

stralium nuncupatorum, Constantiensis Dioecesis, Provinciae Argentinae, multis annis vitam admodum dissolutam, et a Religione et ipsius Ordinis Regularibus institutis alienam duxerant et ducebant, ac eorum vita et mores apud incolas et habitatores dicti oppidi scandalum generabant, et multi eorum pernicioso exemplo ducti illicita committere praesumebant, ac populi devotio divinusque cultus diminuebatur, nec non bona ipsius Domus dilapidabantur, et illius aedificia ruinam minabantur, ita, ut nisi de celeri remedio provideretur, Domus ipsa penitus corrueret, ac Minister et alii eorum Superiores et Visitatores ipsos reformare ac eorum excessus corrigere neglexerint et negligebant, nec spes verisimilis erat, quod illos unquam reformarent et corrigerent; sed si dicta Domus et illius Personae reformarentur, ac Fratres dicti Ordinis Regularis Observantiae in eam introducerentur, ex hoc profecto divinus cultus et Regularis Observantia in eadem Domo plurimum propagaretur, et Nos dicti Maximiliani, in Imperatorem electi, in ea parte stipulationibus tunc inclinati, Ministro Provinciali dicti Ordinis Provinciae Argentinae secundum morem eiusdem Ordinis, cui dicta Domus immediate subiecta existebat, aliis Nostris literis in forma Brevis dederamus in mandatis, quatenus ad eandem Domum personaliter accedens, et solum Deum prae oculis habens, Domum ipsam et illius singulares Personas in capite et in membris, prout iuxta ipsius Ordinis constitutiones et Regularia instituta expedire videret, reformaret, ac illius Fratres ad honestam vitam reduceret, ac decreveramus, quod si id facere recusarent, seu Fratres dictae Domus post reformationem faciendam ullo unquam tempore a reformatione huiusmodi deviarent, ex tunc dicta Domo perpetuo privati existerent, et ipsa Domus ad eos eo ipso devolveretur; pro parte praefati Maximiliani, in Imperatorem electi, Nobis postea etiam exposito, quod licet dictus Minister Provincialis pro parte eiusdem Maximiliani, in Imperatorem electi, ut Domum praedictam, uti praefertur, reformaret ac illius Fratres ad honestam vitam reduceret, requisitus fuisset, nihilominus cum dictus Provincialis, nescitur quo spiritu ductus, reformationem ipsam facere, et Regularem vitam illuc introducere neglexisset, et praefatos Fratres Conventuales contra intentionem Nostram et dictarum literarum continentiam, ac ipsius Maximiliani, in Imperatorem electi, pium desiderium in illorum damnabili et minus decente ac scandalosa vita, ac mala conversatione perseverare permisisset, in grave animarum suarum periculum et scandalum plurimorum, propter quod dicti Fratres Conventuales a dicta Domo amoti, et Fratres de Observantia in eam introducti fuerant, ac propterea inter ipsos Fratres Conventuales et vos, quatenus materia orta et causa super his recte Causarum Palatii Apostolici auditori commissa, et in ea ad nonnullos actus citra tamen conclusionem processuum extiterat, Nos tunc dicti Maximi-

liani, in Imperatorem electi, stipulationibus inclinati, causam ad Nos per alias Nostras literas, etiam in forma Brevis advocarimus, et litem huiusmodi penitus exstinguimus, ac eisdem Fratribus Conventualibus super dicta Domo et aliis praemissis perpetuum silentium imposuimus, certis desuper exsecutoribus, qui vos in possessione Domus huiusmodi tuerentur, manutenerent et defenderent, deputatis, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecistis, antequam dictae posteriores literae expedirentur, Fratres Conventuales, qui in dicta Domo erant, praetendentes se tunc per Abbatem Monasterii in Schutteren[1]*, Argentinensis Dioecesis Commissarium, super hac auctoritate Apostolica deputatum, a dicta Domo nullo iuris ordine servato eiectos et vos illuc introductos fuisse, causam, quam contra vos super praesente spolio huiusmodi movere intendebant dilecto filio Hugoni de Spina, Capellano Nostro et Causarum dicti Palatii auditori, cum illius advocatione, a quibusvis iudicibus partium illarum dummodo instructa non esset, ac potestate Nostra praetextu quarumcunque literarum Apostolicarum aliquid de facto innovare inhibendi, audiendi committi nulla de posterioribus literis facta mentione procuraverint et extorserint, et propterea ab aliquibus haesitari posset, an lis huiusmodi per easdem posteriores literas praedictas censeatur realiter exstincta, et exsecutores desuper deputati, praedicti ad illarum exsecutionem procedere possint, Nos, quorum intentionis fuit et exstitit, ut vos in dictam Domum, uti praefertur, introducti, in illa absque alicuius litis prosecutione tueamini et manuteneamini, omnem in praemissis ambiguitatis materiam de medio submovere, et ut liberius gratum Altissimo famulatum inibi exhibere possitis, profectui et quieti vestrae paterna charitate consulere volentes, vestris in hac parte stimulationibus inclinati, quascunque lites etiam super praesente spolio dictae Domus Friburgensis, etiam praetextu quarumcunque commissionum motas et movendas, cum perpetui silentii impositione fuisse et esse exstinctas, vosque et alios in praemissis vestros auxiliatores et fautores nullo unquam tempore eorum praemissorum*[2] *litibus impediri, seu molestari posse auctoritate praedicta tenore praesentium decernimus et declaramus, mandantes Venerabilibus Fratribus Basileensi et Argentinensi Episcopis, nec non Officiali Constantiensi, in dictis literis deputatis exsecutoribus, quatenus ipsi vel duo aut unus ex ipsis per se vel alium aut alios vobis praemissis aedificatis defensione, praesidio, auctoritate Nostra assistant, vosque tueantur et defendant, nec desuper per quoscunque quomodolibet molestari permittant, contradictores per censuras*

---

[1] Monasterium hoc, in Brisgovia prope Offenburgum situm, à continuatore Orb. Seraph. corrupte Schuttnov vocatur.

[2] Ita lego in literis, Archivo commissis. Continuator Orb. Seraph. termino *occasione* utitur.

Ecclesiasticas et alia iuris remedia compescendo, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis; Nos enim eisdem exsecutoribus in Romana Curia et extra eam, quibus et quoties inhibendum fuerit, inhibendi, ac sequestra quaecunque forsan ad instantiam dictorum Fratrum Conventualium super bonis dictae Domus, et illorum apposita, tollendi, relaxandi et amovendi, et illorum reparationem dictae Domui, et non in alios usus convertendi, plenam et liberam auctoritatem tenore praedictorum facultatem concedimus. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datae. Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die ultima Martii. Millesimo quingentesimo decimo sexto, Pontificatus Nostri anno quarto.

69. Vi litis ita decisae bona Conventualium Friburgensium ex mente summi Pontificis cesserunt civitati, adiuncto stricto mandato, ut fructus ex eis hauriendos pro reparatione Conventus, et aliis necessitatibus Fratrum impendat. Conventus exin militare coepit sub vexillo Provinciae Argentinensis, seu Germaniae superioris, in eadem Custodiae Rhenanae adscriptus. An. 1518 die 13. Octob. et seq. Reverendiss. Thelamonius, ex Monum. Conv. Friburg. Episcopus Tripolitanus, Suffraganeus Episcopi Basileensis, totum Conventum, Chorum, Ecclesiam ac eius Altaria, ambitum et coemeterium reconciliavit, sacristiam interiorem et exteriorem in honorem S. Alexii, et SS. Sepulchri Dominici, domum Capitularem in honorem sancti Hieronymi, unacum Altaribus eorum ac infirmariae, hoc anno noviter excitatae, consecravit, totum coemeterium ante portam, peristylium, domum Capitularem, Ecclesiae transitus ac sacristiam pro sepultura deputavit, ac Guardiano, eo quod SS. Patroni veterum Altarium ut plurimum certae notitiae non substarent, concessit, ut eosdem per coniecturas, ex picturis formatas, determinaret, aut etiam novos adiiceret. Hoc ipso tempore ordinatum, ut anniversarium dedicationis Ecclesiae Dominica, festum S. Ioannis Baptistae praecedente, celebretur. Nobilis Ioannes de Schönau in ultimis tabulis an. 1524 die 26. Feb. decrevit, ut in bonum Fratrum, quamdiu Observantiae addicti fuerint, annuatim 10 floreni pro comparando panno applicentur. Civitate Friburgensi coemeterium ad usum suum applicare tentante, Alexander Miller, ab Huebero Molitoris vocatus, Minister Provinciae Argentinensis de Observantia, unacum Conventu eidem an. 1527 restitit, protestans se, si vis inferatur, summo Pontifici et posteris rationem haud redditurum. An. 1535 et an. 1541 Ioannes Mieglich, civis Friburgensis, ratione fenestrarum eidem concessarum, et an. 1543 Sigismundus Keislin ratione tecti reversales dederunt. Gregorius XIII. conformiter ad mentem Tridentini iusserat, ut Monasteria Religiosi status visitarentur. Hoc in Conventu Friburgensi

an. 1573 die 30. Martii ex auctoritate Marci Sittici, Episcopi Constantiensis ac Cardinalis, ac ad instantiam Ferdinandi, Austriae Archiducis, Reverendiss. D. D. Christophorus Abbas Petri-husanus, Caspar San-blasianus, et Conradus Bebell Prior Augiae divitis, praestitere, ingentem consolationem de bono statu Coenobii reportantes [1].

70. Conventus Friburgensis, Gregorio XIII. PP. Pronvinciam Tyrolens. de Observantia an. 1580 die 16. April. erigente, eidem adiudicatus fuit. Exsecutio huius diplomatis die 6. Iulii an. fati contigit, quo Conventus iste a P. Henrico Sedulio, primo Ministro Provinciae Tyrol., Friburgi appulso, a Provincia Argentinensi avulsus, illi accrevit. An. 1594, quo in Ecclesia primaria Parochiali solemnis comprecatio occasione pestis instituta est, P. Bonaventura Stachl in Hospitali maiori, et alius in domo leprosorum Parochialia munera produxerunt. An. 1610 P. Antonius Wolff Concionator in Hospitali constitutus fuit, ibidem ad tempus Parochi vices sustinens. Inter an. 1616 et 1618 tota contignatio tecti, Ecclesiae exteriori et interiori [2] insidens, renovata, et quaedam alia pro bono et decore Ecclesiae confecta sunt. An. 1619 et seq. in Ecclesia exteriori quatuor Altaria suum esse acquisiverunt. Reverendiss. Sixtus Wernerus de Prasberg, Episcopus Constantiensis, conformiter ad vota Provinciae Tyrolensis, omnes proventus annuos, certos et perpetuos huius Conventus, ex anniversariis, legatis aut aliis fontibus fluentes, una cum obligationibus, ab aliis adimplendis, an. 1627 die 3. Maii ad Monasterium Clarissarum, inopia pressum, transtulit. Anno 1627 et seq. Conventus novam formam ex variorum benefactorum subsidiis induit. Ludovicus Fridericus Kanovski, aliis Chanoski, Regis Suecici ac exin Gallici Generalis Dux, fortalitii Friburgensis an. 1643 supremus militaris Praefectus, ob repulsam a P. Simone de Kilshaim Guardiano nefandis eius petitis datam, in iram actus, Fratribus exitum ad collecturas interclusit, et varia remedia adhibuit, ut Fratres ad deserendum Claustrum compelleret. Conatus effectu caruit, diversis benefactoribus inopiam Fratrum larga manu succurrentibus, et persecutore an. 1644 ad deditionem fortalitii ab Austriacis armis adacto, et subin misere Argentinae defuncto. Circa idem tempus haeretici exercitia suae sectae in Ecclesia Conventus producere conati sunt; quos tamen Senatus civicus, aiens, Ecclesiam esse senatoriam, a suo intento amovit. An. 1648 spiritualia servitia praenobili Parthenoni Vallis Güntheri, Ordinis Cisterciensis, in casu necessitatis a Conventu per 6 annos praestita cessarunt, et iterum ad Confessarium, ex celeberrimo Monasterio

---

[1] Monum. Conv. Friburg. Franciscan. ac Monast. Friburg. Clariss. Hueb. in Chron. col. 553 et 888. Orb. Seraph. Continuator, t. 5. p. 337.

[2] Per interiorem Ecclesiam pars Ecclesiae superior, Altari summo accumbens, per exteriorem pars eiusdem inferior, infra Chorum antiquum sita, venit. In introitu ab exteriori ad interiorem sub arcu olim duae columnae stabant, an. 1653 amotae.

Tennebacensi assumtum, redierunt. Instrumentum an. 1665 die 26. Decemb. datum, Fratribus huius Conventus servitia spiritualia in Ecclesia S. Ioannis Equitum Melitensium ponenda consignavit. Servitia haec, si non prius, certe desierunt eo tempore, quo Ludovicus XIV., Galliae Rex, Friburgo occupato, domum fatorum Equitum suppressit. Intra an. 1670 et 1672 Conventus ex liberalitate variorum benefactorum, praesertim Henrici Roden nati Friburgensis, Bulsani medici munus sustinentis, an. 1669 mortui, renovatus, et ad ampliorem ac meliorem formam elatus fuit. Anno 1681 die 17. Oct., quo Ludovicus XIV., Galliae Rex, et Maria Theresia, eius coniux, cum aliis Personis Regiis Friburgum inviserunt, fata Regina Vesperis solemnibus, in Ecclesia Conventus decantatis, ad genua demissa, erectis manibus interfuit. An. eodem servitia spiritualia militi praesidiario in arce superiori (in inferiori antea iam praestabantur) initium habuerunt. Ista subin Conventui sublata, relate ad arcem inferiorem an. 1684, relate ad superiorem 1694 eidem restituta, 1698, quo Friburgum Augustissimae Domui Austriacae exsecutive redditum, a Commissariis Austriacis, et an. 1699 a Leopoldo I. Caesare firmata fuere. Anno mox citando die 4. Maii Ecclesiola arcis superioris, S. Petro Apostolo devota, a Reverendiss. D. D. Conrado Ferdinando Geist de Wildegg, Suffraganeo Episcop. Constantiensis, Episcopo Tricalensi unacum Altari inaugurationis gratiam, nec non mandatum, ut anniversarium dedicationis Dominica quarta post Pascha celebret, retulit [1].

71. Anno 1708 sacristia iuxta parietem Epistolarem Ecclesiae excitata, schola cum cella unius Lectoris illi instrata, et Chorus ad posteriorem partem Ecclesiae translatus fuit. Exin sacristiae priori, iuxta parietem Evangelicam Ecclesiae moranti, nomen antiquae remansit. Chorus vero inferior, plene abolitus, ad formam concamerationis an. 1709 redactus est. Morbus acutus, Friburgi an. 1710 plurimos invadens, et Religiosis, praesertim Franciscanis amplum campum ad exercendam charitatem sistens, civitatem movit, ut in Ecclesia Conventus comprecationem per quatuor Ferias instituerit, et coram Christo Eucharistico in Ara S. Sebastiani exposito, Officium solemne cum Litaniis decantari curaverit. Anno 1713 spiritualia obsequia, Monialibus Ord. S. Augustini in Silva viridi a Fratribus ultra 40 annos praestita, RR. PP. Augustinianis Eremitis ultronee consignata, militi vero Austriaco, Friburgo a Gallis oppugnato et expugnato, ingenti charitate in fortalitio et Conventu exhibita fuerunt. Quotquot milites in Conventu decesserunt, ultima morientium praesidia retulerunt; nullus insuper ex Acatholicis, morbi vectigal solventibus, in falsa fide vitae periodum absolvit. Con-

---

[1] Monum. Conv. Friburg. ac Prov. Tyrol. Franciscan. Gonzag. iam cit. Hueb. in Chron col. 639. Sue. Eccles. p. 334 ac 337. Cont. Orb. Seraph. mox cit. Chron. parvum Prov. Tyrol. p. 112 et 116.

tagio Friburgi an. 1714 saeviens novam scenam charitati Seraphicae in Conventu hoc aperuit, et devotionem erga S. Sebastianum M. (in cuius Altari Sanctissimum usque ad cessationem mali Feriis IV. expositum, et Officium solemne decantatum) acuit. Intercessioni huius Sancti adscribitur, nullum ex tot Patribus infirmis assistentibus falci mortis succubuisse. Anno 1714 Sacerdos Conventus prima vice munus Confessarii apud RR. DD. Canonicos Regulares ad omnes Sanctos obiit. Munus hoc, subin interruptum, an. 1730 et 1741 de novo Conventui obvenit, et actu ab eodem sustinetur. An. 1716 die 26. Maii Reverendissimus DD. Conradus Ferdinandus Geist, supra tactus, Altari in Ecclesiola S. Petri superioris arcis moranti, consecrationem impendit. Anno eodem Directorium militare Oenipontanum motus, Franciscanis de servitiis in arcibus subtrahendis factos, compescuit. Intra an. 1717 et 1719 Ecclesia, ob vetustatem et tunsiones in obsidione anni 1713 acceptas, ruinam minans, ex munificentia Caroli VI. Caesaris, urbis Friburgensis et variorum aliorumque benefactorum, tum Ecclesiastici tum Politici status reparata, novo propylaeo ac organo decorata fuit. De hoc sequens inscriptio in tergo Ecclesiae prostans testimonium fert: *Beneficio urbis et orbis anno Domini M. D. CCXVIIII. hoc Templum, ab antiquitate et ultima obsidione ruinosum renovatum est, atque intus et foris in praesentem unacum propylaeo redintegratum formam ad maiorem Dei gloriam.* Anno 1719 a Directorio militari Oenipontano de privilegiis Patrum, militi in arcibus servitia locantium, literae favorabiles, an. 1725 firmatae, emanarunt. Reverendissimus D. P. Tonneman, militis Austriaci Capellanus castrensis supremus, literis an. 1629 ac pluribus aliis seq. datis, novum robur iisdem adiecit, et instrumento apposito totam iurisdictionis et gratiarum amplitudinem Patribus in arcibus competentem exposuit. An. 1730 turris nova supra Ecclesiam, et 1736 infirmaria nova surrexerunt. An. 1744, quo Friburgum a Gallis obsidione cinctum et subactum, magna charitate in Conventu ac arcibus militi tum infirmo tum vulnerato, nec non civi Friburgensi aut extero, ad Conventum se aut suas res transferenti, subventum est. An. 1762 ampliatio medii Chori, duabus columnis novis innixi, et structura novi *positivi* ad effectum deductae fuere [1].

72. Ecclesia istius Conventus a 12 grandioribus, et Chorus ab 8 minoribus columnis sustentatur. Positive quidem constat, uti innui n. 66., quod Ecclesia moderna, S. Martino sacra, 1248 VI. Idus Martii nedum sacris liquoribus perlinita fuerit. Ast tempus individuale, quo ex post hunc favorem retulit, certa monumenta haud suggerunt. An. 1518, uti n. 69. dictum, reconciliata, de die, quo anniversarium dedicationis celebrandum, instructa, et insuper sacristia cum domo Capitulari, infirmaria et earum Aris conse-

---

[1] Monum. citata.

crata fuit. Ara maior S. Martini Episcopi Turonensis, quotidie privilegiata, in moderna forma an. 1747 coaluit. In classe Ararum lateralium ex parte Evangelii occurrit 1. Ara B. V. Mariae Auxiliatricis (olim B. V. Mariae sine addito), SS. Catharinae et Barbarae VV. MM., an. 1620 ab honesta tribu sartoria renovata, an. 1709 ad modernam formam traducta; imago B. V. Mariae Auxiliatricis, Oeniponte submissa, isti an. 1666 illata, cognomen Auxiliatricis ei adiecit; de praesenti haud raro Ara S. Ioannis Baptistae, ob huius imaginem in frontispicio et infrà imaginem Altaris primariam locatam, vocari solet. 2. Ara B. Matris Dolorosae, ob gratias copiosas a fidelibus per plures annos ad statuam eiusdem obtentas, an. 1706 per modum portatilis erecta, an. 1716 die 1. Iunii a Reverendiss. DD. Conrado Ferdinando Geist, Constantiensi Suffraganeo iam tacto, unacum Aris SS. Petri de Alcantara et P. N. Francisci consecrata, et successive ex varia benefactorum manu ad modernam figuram elata. 3. Ara B. V. Mariae Immaculatae, expensis D. Mayr, Archigrammatei, ac eius uxoris an. 1709 excitata, et an. 1749 reparata. 4. Ara S Petri de Alcantara ex asseribus pictis modo mobili, si non prius, certe an. 1672 exstructa, in meliori et immobili figura ex munificentia perillustris DD. Annae Magdalenae ab Ostein Baronessae an. 1716 posita, an. 1716, uti iam dictum, consecrata et an. 1749 reparata. 5. Ara S. Margaritae de Cortona, olim S. P. Francisci, sub istius nomine an. 1709 in loco hoc erecta, an. 1716, uti iam retuli, consecrata, in praesenti forma an. 1751, S. Margarita Cortonensi loco S. Francisci ceu Patrona intrante, consummata. Ex parte Epistolae adest 1. Ara S. Sebastiani, antiquo tempore constructa, an. 1617 [1] expensis Confraternitatis S. Sebastiani renovata et erecta, ac 1694 [2] ad modernam formam promota, Fer. V. iuxta Monum. Conv. Friburg. pro alumnis Confraternitatis S. Sebastiani, cuius est sedes, privilegiata. 2. Ara S. Iosephi, liberalitate perillust. DD. Caeciliae Harschin natae de Pozzo, toro supremi fortalitii Friburgensis Commendantis admotae, an. 1709 erecta, an. 1749 ad praesentem figuram transmutata. 3. Ara S. Antonii Patavini, heic valde pretiosi, ex mandato Sereniss. Ferdinandi Caroli, Austriaci Archiducis ac Austriae anterioris Domini, an. 1653 lato, nec non ut plurimum expensis eiusdem ac suae coniugis coagulata, an. 1657 erecta, die 4. Iulii an. istius per Reverendiss. DD. Thomam Henrici, Episcopum Chrysopolitanum, Suffraganeum Basileensem, inclusis Reliquiis SS. Maximi M., Thomae Apostoli, Philippi Ap., Annae Matris Deiparae Mariae, Magdalenae et Marci Evangelist., consecrationis favore donata. Fer. VI. pro membris Confraternitatis

---

[1] Innotescit hoc ex inscriptione desuper affixa, t. I. p. 71 Protocolli Conventus Friburg. expressa.

[2] Pro hoc anno stat Protocoll. citat. pag. 603, cui cedere debet Cont. Orb. Seraph., an. 1692 allegans.

Antonianae privilegiata, an. 1749 complete reparata. 4. Ara S. Annae, expensis D. Theodorici de Blumekh ac eius coniugis (ex dictis n. 67.) exstructa, an. 1506 die 23. Aug. consecrata, an. 1709 ad inferiorem Ecclesiam translata, an. 1747 expensis honestiss. virginis Mariae Annae Tschackengin in forma praesenti innovata [1].

73. Pergo ad alia loca sacra Conventus, inter quae venit 1. Sacristia vetus, an. 1518 in honorem S. Alexii et SS. Sepulchri Dominici (ex dictis n. 64.) consecrata. 2. Domus Capitularis an. eodem (uti iam innui) unacum Altari suo, primitus honori S. Crucis triumphantis, SS. Hieronymi, Francisci Seraph., Andreae Ap. ac Helenae Imperatricis dicato, consecratione donata, addito mandato, ut anniversarium dedicationis Dominica, Festum omnium Sanctorum immediate praecedente, celebretur. Successu temporis loco Altaris istius novum, S. Paschali sacrum, exstructum fuit, cui Reverendiss. DD. Conradus Ferdinandus Geist, Suffraganeus Constantiensis, Episcopus Tricalensis, an. 1699 die 16. Maii sacros liquores affudit, pro anniversario istius Dominicam quartam post Pascha deputans. 3. Infirmaria, an. 1518 maxima ex parte expensis D. Verenae Riederin extructa, et Altari, in honorem SS. Gregorii Papae, Marthae et Clarae Virginum, nec non Elisabethae Viduae consecrato, instructa, in praesenti loco, Altari illese translato, an. 1736 excitata, et an. 1737 benedicta. Altare modo S. P. N. Francisco S. Stigmatibus insignito sacrum, anniversarium dedicationis Dominica ante Festum S. Ioannis Baptistae colit. 4. Altare S. P. N. Francisci, in peristylio an. 1707 plantatum, non consecratum. Succedunt variae Sanctorum Reliquiae, authentica instructae, fidelium devotioni hoc in Conventu expositae, videlicet corpus S. Maximi M., nunc in partes, pyramidibus et altariolis insertas, divisum; de cranio et crure S. Zenonis M., S. Paulini M., de cranio S. Palmariae V. et M., de capite S. Basillae V. Hae omnes ex liberalitate Annae Archiducissae, Ferdinandi Caroli coniugis, Conventui an. 1653 accreverunt. Accedunt tres particulae S. Crucis, quarum una illata est grandi et pretiosae cruci Ierosolymitanae, in processionibus Conventui praeferri solitae, altera capsulae, et tertia arculae; particula S. Antonii Patav., S. Margarithae de Cortona, cranii S. Sebastiani M. calici non consecrato annexa. Accedunt numerosa altariola, partim maiora partim minora, nec non octo capita, Episcopali figura congesta, Reliquiis Sanctorum aut locorum sacrorum referta. Ex his speciali memoria in Protocollo Conv. Friburg. afficiuntur: dens S. Ludovici, Episcopi Tolosani, particula S. Martini, Episcopi Turonensis, S. Mariae Magdalenae et S. Sebastiani M. Continuator Orb. Seraph. etiam mentionem facit de particula S. Petri Apostoli; at cum de ea nil invenerim, hoc asseverare nolo [2].

---

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 337. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 117 etc.
[2] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 338.

74. Conventus Friburgensis, antiquitate in Provincia primus, pro gloria Dei et bono proximi variis mediis sudat. Talia sunt: 1. Archiconfraternitas S. P. N. Francisci, zelo Henrici Seyfrid, Ministri Provincialis, an. 1629 die 5. Aug. hic plantata. 2. Confraternitas S. Sebastiani M., propria supellectili instructa, si non prius, certe an. 1480 nata. Henricus, Minister Provincialis Prov. Alemanniae superioris, seu Argentinensis FF. Min. Conventualium, literis an. 1480 Dominica quarta post Pentecosten Villingae datis, alumnos huius Confraternitatis suffragiorum, meritorum ac Indulgentiarum Ordinis, ac Provinciae suae participes reddidit. Franciscus Gonzaga, Minister Generalis totius Ordinis FF. Min., literis an. 1582 die 17. Maii datis, membris eius omnia bona opera Archiconfraternitatis S. P. N. Francisci, quin et Ordinis Seraphici sibi substrati, addita conditione, quamdiu in Ecclesia Franciscanorum Confraternitas ista mansura sit, communicavit. Innocentius X. PP. an. 1651 die 22. Maii varias Indulgentias iisdem impertitus est. 3. Confraternitas S. Antonii, an. 1710 die 8. Sept. hic plantata. 4. Verbum Dei, in Ecclesia Conventus diebus Dominicis ac Festivis, ac in Ecclesia Clarissarum certis Dominicis ac Festis expositum. 5. Via crucis, an. 1734 erecta. Intellectus Religiosorum iuvenum a duobus Lectoribus per SS. Theologiam excolitur. Fratres Coenobii istius (triginta duo circiter numero) ex eleemosynis, sive emendicatis sive sponte oblatis, aut Missarum stipendiis fluentibus, vitae suae consulunt. Qui ex iis vita hic funguntur, regulariter in Choro inferiori, infra summum Altare sito, conduntur. Sigillum exhibet S. Martinum, equo insidentem, pauperi stipem elargientem, his in orbe exaratis literis: *Sigillum Guard. Conventus Friburg. Brisg.* [1].

§. 3.

Conventus Bulsanensis ad S. Stigmata S. P. N. Francisci.

75. Bulsanum, olim *Bauzanum, Bolzanum*, Italice *Bolzano, Bolgiano,* Germ. *Bozen, Botzen,* civitas Comitatus Tyrolensis in valle Athesina intra limites Dioecesis Tridentinae plantata, a fluviolis Eisack et Talfer irrigata, fluvium Athesin ceu vicinum, ac Augustissimam Domum Austriacam ceu Dominam temporalem suspicit. Distat 5 mill. Germ. Brixina, 3 horis Caldario, et per quatuor solemnes nundinas, singulis annis celebrari solitas, per copiosa vineta, per numerosos agros diversas frumenti sortes parturientes, per arbores sapidissimos fructus producentes, per commercium latis-

---

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. tom. 5. p. 337. Chron. parvum Provinc. Tyrol. Reform. p. 117 et pluribus seq. Libellus Confrat. S. Sebastiani, Friburgi editus, p. 10, 17 et plurib. seq. Libell. Confrat. S. Antonii, Friburgi impressus cap. 1.

sime excurrens, per Commendam Ordinis Teutonici, in Tyroli primariam, per Nobilium magnifica palatia, ac civium venustissimas domus clara redditur. Claritatem intendunt variae Cleri saecularis, et status Religiosi Ecclesiae, ad cultum divinum provocantes. Inter illas primatum tenet Ecclesia Collegiata Parochialis B. V. Mariae Assumtae, Praeposito, mitrae iure gaudente, decorata; inter posteriores veniunt Ecclesiae: SS. Nominis Iesu Dominicanorum, S. P. Francisci, S. Stigmatibus distincti, Franciscanorum S. Antonii Capuccinorum, B. V. Mariae Annnntiatae Annuntiatarum coelestium [1] seu Coelestinarum. Residuae Ecclesiae Cleri saecularis intra urbem sunt: S. Nicolai Ep., S. Magdalenae, S. Iacobi Maioris, et Capella Defunctorum, in coemeterio sita, nec non S. Spiritus in Hospitali, S. Andreae Ap. et SS. Trinitatis. Extra eam obviant Ecclesiae: S. Georgii in Commenda Teut., S. Ioannis in pago, SS. Salvatoris Gersaburgi, 7 Dormientium in Brandeis, S. Crucis, S. Oswaldi, S. Antonii Pat., B. V. Lauret., S. Vigilii, S. Gertrudis, SS. Quirini et Martini. Mars in valle Athesina an. 515, 590, 624, 756, 780, 787, 1277 ferrum gyrans, haud levia civitati, nunc expugnatae, nunc dire vexatae, inflixit vulnera. Vulcanus eam an. 1223, ex mente al. 1224, 1291 (neutiquam 1391), 1344 ac 1483, uti ex Chronico Mohri ac Hundio certior reddor, depavit. Olim sedem hic fixerant Marchiones Athesini, seu Bulsanenses; loco eorum modo adest Provincialis Centurio, per plures annorum centurias ibidem, novissime vero Oeniponte subsistens. Mercatores amplis privilegiis a Serenissima Claudia Medicea, Leopoldi Archiducis vidua, Tyroleos Gubernatrice, muniti, proprium Senatum ac tribunal frequentant. Lucem primam hic loci spectavit B. Henricus [2], a Tarvisinis *Rigo* dictus, mercenarius, qui miraculis et sanctitate clarus, Tarvisii an. 1315 die 10. Iunii ex hac vita migrans, cultu publico excipitur. Una hora a civitate moratur pagus Gries, ex Collegio Canonicorum Regularium S. Augustini commendandus [3].

76. Ni nos antiquissima fallat traditio, S. Franciscus Seraphicus, priusquam fundamenta sui Ordinis foderet, Bulsanum mercaturae occasione venit, ibique ad S. Aram servitia praestitit. In Capella S. Erhardi visitur campanula, eximiae contra tempestates virtutis, de qua asseritur, quod a Divo in pulsus muta fuerit. Colonia Seraphica, an. 1221 a B. Caesario Spi-

---

[1] Ortum suum adscribunt Mariae Victoriae Fornari, viduae Genuensi, an. 1607 Ordini huic initium danti; unde distinguendae veniunt ab Annuntiatis, a B. Ioanna Valesia fundatis, et Ordini Seraphico adscriptis.

[2] Plura de hoc habent Bolland. t. 2. d. 10. Iunii, ac Schmid in Vita SS. Tyrol. part. 2. p. 119 etc.

[3] Monum. Provinc. Tyrol. et Conv. Bulsan. Franciscan. Hund. auctus t. 1. p. 303 et 305. Brandis in Aquila Tyrol. part. 2. p. 126 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 338. Chron. Prov. Tyrol. p. 121 etc. Troier in Chron. Buls. c. 13. Mohr in Chron. M. S. Tyroleos. Burglechner in Aquil. Tyrol. MS. Granelli in Topograph. German. Austriacae aucta part. 1. p. 227 etc.

rensi, primo Ministro Provinciali Provinciae Teutoniae, in Germaniam ducta, Bulsani aliquot diebus substitit, a Reverendiss. Episc. Tridentino sustentata, et praedicandi copia relate ad suam Dioecesim donata, indeque ad interiora Germaniae penetravit. Stabilem sedem Minoritae Bulsani verisimilius intra an. 1270 et 1272, uti ex variis Monum. deducitur, nacti sunt, et in fundo, ad suas preces obtento, structuram Coenobii inchoarunt, ex subsidio variorum benefactorum ad suam devolutam perfectionem. Inter hos haud ultimum merentur locum Nobiles Domini de Botschen [1], aliis Botschiis, Wotsch, Wotschen, Bombrini, Bombraschi, de Florentia oriundi, qui, si non ad plus, certe ad perficiendum campanile concurrerunt, uti ex insignibus eorum, olim turri illatis, deducere licet. Fertur, quod ante introductionem Fratrum in loco Coenobii Templarii resederint; at, cum authenticum instrumentum desuper nedum perspexerim, asserto huic fidem denego. In diplomate ab Adelgerio, Ep. Feltrensi et Bellunensi, an. 1279 signato, et a P. Benedicto Bonelli, almae Prov. Tridentinae alumno, Diffinitore Generali emerito tacto, Fr. Gobulfus, Guardianus Conventus Bulsanensis, et Gotfredus, eius subditus, ut praesentes adducuntur. De cetero Conventus Prov. Austriae FF. Minorum cessit, in ea Custodiae Felicensi seu Villacensi attributus. An. 1291 die 11. Iunii, uti Troierus noster ex documentis authenticis adstruit, in cineres abiit, et exin noviter surrexit. Anna, soror Wenceslai V., Regis Bohemiae, uxor Henrici, Regis Bohemiae, Ducis Carinthiae ac Comitis Tyroleos, in ultimis tabulis, an. 1310 confectis, Fratri Henrico Nudipedi Conv. Bulsan. 10 libras nummularias, Wolfgango suo Confessario 5, Clarissis-Brix. 10, et tot Meranensibus per modum eleemosynae transcripsit, et an. 1313 decessit, in Monasterio Bulsanensi RR. Dominicanorum condita. Fatus Henricus Rex diplomate an. 1322 signato, in fine sistendo, Conventum in specialem tutelam suscepit. Elisabetha seu Isabella, Friderici Pulchri uxor, ei in ultimis tabulis an. 1328 tres libras argenti transcripsit; Fr. Franciscus, Lector huius Conv., et Fr. Galhardus [2], Custos Onasensis [3], an. 1334 apud Ioannem XXII. instituerunt, ut Fr. Dietricus de Feldsperg, a Ministerio Provinciali amotus, isti restitueretur. Sex Episcopi, nempe Caliensis, Perensis, Viegerensis, Viennensis, Coronensis et de Vallona Capellam, in honorem SS. Iodoci Conf., Achatii ac Mauritii MM. fundatam, an. 1337 Indulgentiis 40 dierum affecere. Bessimus, uti vocat Troierus, melius Blasius, aliis Blaxius a Tridento, aliis a Beseno, verisimilius Minorita [4], Episcopus Peristasiensis (al.

---

[1] Scriptores, hos a Bombrinis discernentes, lapsum fecerunt.

[2] Forsan Gebhardus, aut Gerhardus.

[3] Ita legendum est loco termini Avassensis, a Wad. adhibiti.

[4] Expresse hoc affirmat noster Troierus, et ad hoc ipsum collimat P. Benedictus Bonelli a Clavasio, qui Vol. 2. p. 92, 414, 615 et 659 plura de hoc viro habet.

Paxischafiensis), D. D. Alberti de Ortenburg., Ep. Trid., in Pontifical. Vicarius Generalis, an. 1348 in Vigilia Nativitatis Domini Chorum et Aram maiorem in honorem SS. Trinit., B. V. M., SS. 12 Apostolorum, principaliter vero in honorem S. P. Francisci, nec non SS. Antonii, Ludovici et Clarae, de quibus Reliquias Arae intulerat, consecravit, et anniversarium ad sequentem diem lunae reposuit. Henricus, Domini de Botschiis de Florentia exsecutor et Fideicommissarius testamenti, an. 1376 ad perficiendum campanile sese adstrinxit. Gregorius, Ep. Liscen., D. D. Alberti Comitis de Ortenburg, Ep. Trid., in Pontifical. Vicarius Generalis, an. 1386 duo Altaria in Capella S. Ioannis, subin S. Annae vocata, consecrationis favore et consuetis Indulgentiis affecit, uno SS. Sigismundo, Tribus Regibus, Antonio et Floriano, altero vero SS. Annae, Ottiliae, Catharinae ac Alexio dicato. P. Ioannes de Merano, Minister Provinciae Austriae, in anno nono sui Ministerii Aram novam maiorem in honorem S. Francisci exstrui curavit. Contigit hoc circa an. 1399; enim vero fatus vir ad Ministerium an. 1390 assumtus, novem annis successivis hoc tulit; unde cadit an. 1437, a nostro Troiero allegatus, cum in hoc Prov. Austriae praefuerit P. Sigismundus, an. 1435 electus [1].

Henricus Dei gratia Bohemiae et Poloniae [2], Kar [3], Tyroleos et Görz Comes. Tenore praesentium recognoscimus, quod Nos ob pium et sincerum favorem, quo Ordinem Fratrum Minorum amplectimur, Monasterium eiusdem Ordinis, in Bozano situm, prout muro circumdatum esse dignoscitur, recepimus in Nostrae tuitionis gratiam specialem, volentes, tam ipsum Monasterium, quam Fratres ibidem degentes, cum omnibus inter praedictum murum situatis, deinceps sub Nostrae securitatis commodo quietius respirare, et eos a quorumlibet violentiis et iniuriis defensare, mandantesque iudicibus Nostris in Bozano et in — (fors Vicinia), qui sunt nunc, vel pro tempore fuerint, firmiter et districte, quatenus ipsum Monasterium, atque Fratres in huiusmodi Nostrae defensionis gratia debeant efficaciter conservare, nec eis a quocunque inferri permittant, tam in transitu aquae, quam aliis per praedictum murum comprehensis, aliquam iacturam vel molestiam Nostrae gratiae [4]

---

[1] Gonzaga in Prov. Tyrol. Conv. 3. Brandisius part. 2. in Aquil. Tyrol. p. 47 et 128. Wad. t. 2. an. 1221. N. 7, t. 7. an. 1334, n. 35, t. 12. an. 1456, n. 229. Bernard. Pez. in Cod. Diplomat. seu t. 6. Anecdodot. part. 3. p. 73, col. 2. Troier in Chron. Buls. Hueber in Chron. col. 10 et 52, etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 338 et seq. Chron. Prov. Tyrol. p. 123 etc. Monum. cit., uti et Prov. Aust. Conventual. Fac. Prov. Austr. p. 48 etc.

[2] Regnum hoc praetendebat qua Rex Bohemiae.

[3] Subintellige: *Carinthiae Dux.*

[4] Sensus erit: hoc facto obtinebitis Nostram gratiam, aut sic: si velitis gratiam Nostram obtinere.

sub obtentu. In cuius rei evidens testimonium praesentes literas dedimus, Nostri pendentis sigilli munimine roboratas.

Datum Tyrol. anno Domini MCCCXXII die III. Iunii.

77. Fridericus cum vacua Pera, Dux Austriae, Princeps Tyroleos, an. 1407 literas favorabiles in gratiam Conventus exaravit. Anno 1451 Indulgentiae fidelibus, Ecclesiam visitantibus, collatae, et sedilia Chori inferioris cum Organo confecta sunt. Anno 1455 Sigismundus, Dux Austriae ac Princeps Tyroleos, literas Friderici, sui patris, modo tactas, firmavit. P. Michael de Vindobona, sacellanus aulicus Eleonorae (nullo modo Helenae), Iacobi Regis Scotorum filiae, Sigismundi Austriae Ducis modo allegati uxoris, Conventum igne absumtum ad pristinam formam reduxit. Principissa haec effecit, ut praedictus Michael ad dies vitae munus Guardiani in Conventu isto sustineret. Ministro Generali subin eum ab officio removente, et alium substituente, eadem an. 1456 a Callisto III. PP. obtinuit, ut suo restitueretur officio. Restauratio expensis aliquorum Nobilium, et Sigismundi Principis ac eius uxoris facta, an. 1458 ad finem devenit; deduco hoc ex insignibus Nobilium Domus Austriacae, et inscriptione hac olim portae affixa: *Sigismundus Dei gratia Archidux Austriae, et Comes Tyroleos.* Tribus pistorum a Duce Friderico de vacua Pera 1423 confirmata et in Ecclesia nostra sub P. Conrado Leonberger, Guardiano, locum nacta an. 1466 in gratia data stabilita fuit. Franciscus de Sena, Cardinalis et Legatus Apostolicus, 100 dierum Indulgentias, a fidelibus in Festis Marianis Aram B. V. Mariae, pietati huius tribus relictam, visitantibus, lucrandas, literis an. 1471 die 16. Iulii Clusinae datis, concessit. Alexander VI. an. 1500 die 4. Novemb. Confratres S. Sebastiani Indulgentiis donavit. Confraternitas S. Annae opera P. Ludovici Stolz, Guardiani, et aliorum an. 1501 die 6. Ianuarii erecta, in Capella S. Ioannis in peristylio sita, Aram S. Annae excitavit, eamque sibi adoptavit, subin in Capellam S. Annae in Ecclesia, a familia Vintleriana exstructam, translata. Raymundus, Cardinalis et Legatus Apost. in Germania, diplomate, in Conventu hoc an. 1501 die 25. Maii dato, 100 dierum Indulgentias Confraternitati huic, nec non tot die octava Nov. tribui pistorum Bulsani subministravit. Porro Fratres Provinciae Austriae, incolae Conventus Bulsanensis, ab initio Minoritae sine addito, dein Conventuales, in moribus ita exorbitarunt, ut Senatus Bulsanensis Maximilianum I., Caesarem, an. 1512 convenerit, quatenus malo remedium adhiberet. Iste, totam rei causam ad Leonem X. PP. devolvens, sequens decretum ad Episcopum Brixinensem, Archidiaconum Dioeces. Tridentinae et Decanum Ecclesiae Brixinensis directum, amotionem Conventualium demandans, elicuit [1].

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Convent. Bulsan. Franciscan. Gonz. iam cit. Wad. t. 12. an.

Leo Papa X.

Venerabilibus Fratribus, et dilectis Filiis salutem, et Apostolicam benedictionem. Quanto magis in Religionum honestate Noster delectatur animus, tanto gravius affligimur, cum de Personis Religionum talia ad Nos deferuntur, quae Religionis ipsius charitatem obumbrant; ac propterea per debitae Reformationis sarculum providere adstringimur, ut Religionis lumen in Domo Domini resplendeat, et animarum desiderata salus provenire valeat. Cum itaque, sicut Charissimus in Christo filius Maximilianus Noster, in Romanorum Imperatorem electus, semper Augustus, Nobis nuper exponi fecit, quod dilecti filii Fratres Domus oppidi Botzen, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, Tridentinae Dioecesis, sui temporalis dominii vitam admodum dissolutam, et a Religionis et ipsius Ordinis Regularibus institutis alienam ducant, et eorum vita et mores apud incolas et habitatores dicti oppidi scandalum generent, et alias dicta Domus in spiritualibus et temporalibus multipliciter deformata exsistat, in Religionis opprobrium, et perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, ipsius Domus bona non augeantur, sed potius consumantur, nec spes verisimilis sit, quod in dicta Domo deinceps Fratres Conventuales sub debita Regularis Observantiae disciplina, et odore bonae famae vivere habeant, sed potius ipsa Domus Reformationi, opprobrio et desolationi subiacet, cum Antistes et eorum Visitatores ipsos reformare, et eorum mores corrigere hactenus neglexerint, et negligant; sed si dicta Domus et Personae reformarentur, ac Fratres dicti Ordinis Regularis Observantiae in eo introducerentur, ex hoc profecto divinus cultus, et Regularis Observantia in eadem Domo plurimum propagaretur, Nos quoque Religionis honestatem, et divini cultus augmentum, et animarum salutem nostris potissimum temporibus sinceris desiderantes affectibus, praefati Maximiliani Imperatoris in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni vestrae, de quorum virtute et probitate spem indubiam habemus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ad dictam Domum personaliter accedatis, et solum Deum prae oculis habentes, Domum ipsam et illius singulares Personas in capite et membris, prout iuxta ipsius Ordinis constitutiones et Regularia instituta expedire videbitur, reformetis et corrigatis, ac illius Guardiano, et Fratribus, et Personis, qui inibi sub Reformatione ac Regulari Observantia vivere noluerint, ut ad alias Domos et loca eiusdem Ordinis, si benevolos invenerint receptores,

---

1456, n. 229. Hueb. in Chron. col. 617. Cont. Orb. Seraph. t. 5 p. 338 et seq. Chron. parv. Prov. Tyrol. p. 125 etc. Herzog. p. 68, et in parte posteriori p. 32. Fac. Prov. Austr. p. 48. Troierus in Chron. Bulsan. c. 12 et 13.

se transferant, licentia concessa Fratres dicti Ordinis Regularis Observantiae in eadem Domo ponatis et introducatis, nec non eandem Domum a visitatione et iurisdictione Ministrorum Generalis et Provincialis [1], *et aliorum Superiorum Fratrum Conventualium, qui dictam Domum et Fratres, eam pro tempore inhabitantes, reformare neglexerunt, perpetuo eximatis, ac sub obedientia, superioritate et iurisdictione Vicariorum, et Generalis dictorum Fratrum de Observantia nuncupatorum, et Provincialis Provinciae Austriae iuxta morem dicti Ordinis, et eorum visitationi et correctioni, obedientiae, superioritati et potestati subiiciatis, et insuper, cum Fratres Minores iuxta eorum primaevam Regularem institutionem incapaces bonorum immobilium exsistant, proventus dictae Domus per vos, vel aliquam sive aliquas Personas Ecclesiasticas, per vos deputandas, vendere seu vendi, ac pretium illorum pro reparatione aedificiorum, et aliis necessitatibus dictae Domus et Fratrum Reformatorum, in ea habitantium, converti et fideliter exponi, ac omnia et singula alia in promissis, seu quomodolibet opportuna dicta auctoritate Nostra curetis, contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, censuris Ecclesiasticis et aliis iuris remediis appellatione postposita compescatis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; mandamus dilectis Filiis consulibus et universitati dicti oppidi, quatenus vobis circa Reformationem fideliter assistant, super quae illius auctoritate et tenore praedictam facultatem concedimus, non obstantibus quibuscunque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis iuramento, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, indultis, et literis Apostolicis, etiam de concordia nuncupatis, Generali, Provinciali, et Ministris ac Fratribus Conventualibus praedictis per Romanos Pontifices, Praedecessores Nostros, et etiam per Nos sub quibuscunque tenoribus concessis et confirmatis, ac in Capitulo Generalissimo ipsius Ordinis, in urbe celebrato emanatis, etiamsi in illis moveretur expresse, quod Fratres Conventuales omnes Domus et Conventus habitationum suarum, quos tunc possidebant, perpetuo tenere, et possidere in futurum, et quod Fratres de Observantia a receptione Domorum et locorum huiusmodi sub poena Excommunicationis omnino abstinerent, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, nec non omnibus contradictionibus per eos, qui reditus et bona eidem Domus reliquerant seu donarunt, aut ipsorum haeredes forsan faciendis, ceterisque contrariis quibuscunque.*

---

[1] Tempore Bullae datae munus Ministri Generalis Bernardinus de Pratis, et Ministri Provincialis Austr. Conventualium Theodoricus Kramer gessit.

Datae Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 26. Martii 1514, Pontificatus Nostri anno secundo.

La Sadoletus.

78. Augustissimus, obtento hoc decreto, Ambrosium Ipphofer I. U. Doctorem Canonicum, et Custodem Ecclesiae Brixinensis, suum Procuratorem instituit. Iste coram Commissariis Pontificiis querelas suas produxit, effecitque, ut Conventuales dimissi, Conventusque Observantibus Provinciae Austriae adiudicatus, et hi in eum anno 1514 [1] die 29. April. cum plena exemtione a Ministro Generali Ordinis, tunc temporis Conventuali, et Ministro Provinciali Provinciae Austriae Minorum Conventualium immissi fuerint. Ex choro Incolarum antiquorum Observantibus sese P. Franciscus a Gorlicio [2] adiunxit. Residui Conventuales, Monasterii monumentis, clavibus, instrumentis et reditibus in manus Commissariorum Pontificiorum relictis, abierunt. Caput Observantium introductorum P. Christophorus a Monachio, Guard. Convent. Suazensis, extitit. Circa numerum Fratrum introductorum Herzog, et Protocollum Conventus Bulsanensis differre videntur, hoc 12, illo 14 allegante; ast combinari queunt. Erant quatuordecim, Guardianum et Franciscum a Gorlicio reliquis uniendo; duodecim vero, istos a reliquis secernendo. Conventus hic unacum Suazensi anno 1517 sub speciali coarctatus fuit custodia, Athesina dicta. Anselmus de Vindobona, Minister Provincialis Prov. Austriae et Commissarius eiusdem, a Ministro Generali selectus, literis, Bulsani an. 1518 die 28. Ianuarii signatis, benefactores huius Conventus communicatione suffragiorum affecit. In Capitulo Provinciali, Katzldorfii an. cit. die 16. April. celebrato, Valerianus de Ruest, Guardianus Conventus Bulsanensis, Definitoris munus obtinuit. In Comitiis Provincialibus Vindobonensibus an. 1522 statutum fuit, ut Conventus Bulsanensis solus colligat vinum, et Suazensis Fratres, si necessarii sint, subministret; hic vero ab illo subsidium in vino iuxta iudicium Ministri recipiat, quando abundans fuerit. Ferdinandus I., Romanorum Rex, decreto, an. 1531 lato, n. 15. adducto, favores, huic Conventui collatos, confirmavit, eum ab omni telonio, pedagio etc. exemit, et in suam specialem tutelam recepit. Anno eodem alumni Confraternitatis S. Annae Ecclesiae Conventus aliquos tenues pro lumine perpetuo consignarunt reditus, ab Henrico Seyfrid, Ministro Provinciali, an. 1629 resignatos [3].

---

[1] Ex hoc luculenter patet, Reformationem non contigisse sub Lycheto, Ministro Generali de Observ., utpote primum an. 1518 electo.

[2] Vir hic, minus bene ab aliis de Corlicia, aut Girliz dictus, Vindobonae an. 1518 obiit. Herzog. p. 120.

[3] Gonz. iam cit. Wad. et Hueber mox citati. Cont. Orb. Seraph. iam cit. Herzog. p. 68 etc., nec non parte posteriori p. 32 et 35 etc. Fac. Prov. Austr. p. 48 etc. Monum. cit. Chron. parvum Prov. Tyrol. Franciscan. p. 125 et seq.

79. Literae Gregorii XIII. PP. et Francisci Gonzagae, Ministri Generalis totius Ordinis FF. Min., an. 1580[1] latae, et n. 6. et 7. allegatae, die 1. Iunii ab Henrico Sedulio, primo Prov. Ministro, ad effectum Bulsani deductae, Conventum istum a Provincia Austriaca ad Tyrolensem noviter excitatam transtulerunt. Leopoldus Archidux eleemosynam annuam 40 florenorum ex telonio Bulsanensi et Luegensi, Conventui obvenientem, ad Monasterium Brixinense Clarissarum, paupertate pressum, an. 1628 transtulit. D. Sebastianus Fill Aram maiorem et sex minores an. 1618, ac sedilia Chori superioris an. 1625 in nova forma confici curavit. Sereniss. Claudia, Tyroleos Gubernatrix, et Ferdinandus Carolus, eius filius, Claustrum cum Ecclesia variis in partibus meliori forma instruxerunt. Imperium excelsi Regiminis Oenipont. ad Provinciae preces fenestras alicuius domus, horto Conventus vicinas, ratione prospectus graves, an. 1659 sera obduxit. Camera excelsa Oenipontana turrim, fulmine an. 1670 graviter laesam, reparavit. Extraordinarii terrae motus, vallem Oenanam an. 1670 quassantes, Archiduciss. Annam, Caroli Ferdinandi viduam, flexerunt, ut unacum Felice Claudia, sua filia, et numerosae Aulae globo Bulsanum moverit, ibi Ecclesiam Fratrum frequentissime sua praesentia beans. Conventus an. 1680 ex opera A. R. P. Adriani Hueppher ampliorem formam, et per expensas Camerae Oenipontanae novam an. 1699 retulit. Venerabile Definitorium ad instantiam strenui Domini Gregorii Zalinger an. 1713 indulsit, ut in Ecclesia Conventus annuatim duo anniversaria, unum pro defuncta coniuge, alterum pro defunctis alumnis tertii Ordinis S. Francisci (annexa conditione, ut singulis annis pro hoc actu Superior localis conveniatur) habeatur. An. 1656 e vivorum calculo amotus fuit plurimum Rev. D. Isaac Zuveith, Sacerdos saecularis, qui Conventui 500 florenos pro mille Sacris transcripsit, et anniversarium, in 2 Officiis solemnibus, 12 Sacris privatis et Officio Defunctorum unius Nocturni consistens, commisit[2].

80. Ecclesia Conventus S. Francisco, S. Stigmatibus insignito, devota, nitore et amplitudine praestans, a sex columnis lapideis sustentata, anniversarium dedicationis, de qua tempus individuale latet, Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi celebrat. Ara maior, eidem S. Francisco Stigmatizato sacra, in figura eleganti an. 1744 creata, pluribus SS. Martyrum corporibus ceu residentia inservit. Inter Aras collaterales ex parte Evangelii adstant: 1. Ara S. Mariae Auxiliatricis, an. 1457 die 24. Iunii ab Albertino Minorita, Ep. Esiensi, al. Exiensi, Suffraganeo Tridentino, consecrata, et certis Indulgentiis munita, ex favore Benedicti XIV. PP.

---

[1] Unde a veritatis tramite aberrant scriptores aientes, Conventum circa an. 1572, aut. an. 1627 Prov. Tyrol. consignatum esse.

[2] Gonz. Wad. et Hueber iam citati. Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 314 et 339. Chron. cit. p. 126. Herzog. p. 69. Fac. Prov. Austr. p. 49.

quotidiano privilegio in refrigerium Defunctorum gaudens. 2. S. Crucis, a Revdiss. Antonio Crosina, Ep. Belliensi, an. 1643 die 13. Oct. S. oleo imbuta. 3. S. Sebastiani M. 4. S. Elisabethae, Thuringianae Landgraviae, ob imaginem gratiosam B. V. Mariae de *Pinè* agnomen ipsius nacta. E cornu Epistolae obviat: 1. Ara S. Agnetis. 2. SS. Apostolorum, cum Ara S. Crucis consecrata. 3. S. Antonii Patavini, expensis mercatorum ex marmore diversi coloris an. 1687 exstructa, in Capella distincta posita, et Fer. III. pro defunctis alumnis Confraternitatis S. Antonii privilegio gaudens. 4. Ara S. Annae, in speciali Capella (a familia Vintleriana an. 1372, aliis seq., exstructa) an. 1390 fundata, considens, privilegio pro Defunctis ex Confraternitate S. Annae Fer. IV. gaudens. 5. Ara S. Petri de Alcantara suum esse Nob. D. Caeciliae Kagerin in acceptis referens. Extra Ecclesiam obviat: 1. Ara S. Francisci, olim S. Iodoci, ante sacristiam plantata, antiquitus Sacello cincta. Scriptores aientes istud a primo Ordinis Episcopo, praesentibus pluribus Episcopis consecratum esse, attendendi non sunt; enim vero Sacellum hoc an. 1337, aut paulo ante, ex dictis n. 76., consecrationis favorem retulit; at hoc anno primus Ordinis Episcopus in rerum natura haud amplius extitit, utpote iam anno 1218, uti ex scriptoribus nostri Ordinis constat, dignitate hac clarens. 2. Sacellum S. Annae, olim, uti fundate coniicitur, S. Ioannis, in peristylio positum, de praesenti tribus Aris, videlicet Christi Nati, B. V. M. Dolorosae, et B. V. Mariae Iesulum sustentantis, instructum. 3. Sacellum S. Erhardi (neutiquam Eberhardi), cum Ara eiusdem intra Claustrum situm, Indulgentiis a Reverendissimo D. Georgio Hasler[1], Passav. Episcopo, an. 1480 die 28. Maii condonatum, et campanula S. Francisci, n. 79. tacta, instructum. 4. Sacellum infirmariae, expensis Perillustris Baronessae Annae Elisabethae ab Enzenberg viduae, natae Hilleprandtin, et Nob. D. Caeciliae Kagerin, natae Lechnerin, an. 1700 noviter exstructae, Aram recenset, S. Iosepho dicatam. In loco sacristiae, uti noster P. Troierus attestatur, olim stetit Capella SS. Trinitatis, a D. Nicolao Vintler an. 1292 exstructa, et a familia Vintleriana an. 1343 dotata[2].

81. Ad decorem Ecclesiae, et devotionem fidelium faciunt variae SS. Reliquiae. De his ex dono Sereniss. Annae Mediceae, Archiducissae Austriae, an. 1678 Conventui obvenerunt particula sacratiss. Sanguinis Christi, corpus integrum[3] S. Felicis M., an. 1676 die 10. Martii e Coemeterio Cyriacae in campo Verano a Clemente X. PP. sublatum. Sereniss. ac

---

[1] Vir hic, Hansizio teste t. I. Germ. sacrae, an. 1480 electus, an. 1482 admissus, et hoc ipso anno mortuus est.

[2] Cont Orb. Seraph. t. 5. p. 339 etc. Chron. cit. p. 122 etc. Monum. citata. P. Troier in Chron. Bulsan. c. 13.

[3] Neutiquam unicum caput; porro Officium de hoc olim celebratum, non amplius celebratur, cum non sit Martyr in Martyrologio Romano expressus.

Eminentiss. DD. Friderico, Cardinali ac Hassiae Landgravio, Episc. Wratislaviensi donatum, ab isto fatae Archiducissae, ab hac Conventui cessum, olim in Ara maiori, nunc in Ara S. Antonii intra arcam, expensis Magistratus Mercantilis an. 1719 confectam, quiescens. Caput S. Innocentii E. et M., ossa quatuor S. Coelestini M., ossa duo S. Paulini M., ossa duo S. Maximi M.; pars capitis S. Iustini M., pars capitis S. Digni M., caput S. Paulini M.; ossa SS. Iustini, Zenonis, Abundii, Paulini et Maximi MM.; chirothecae ambae S. Udalrici Ep., sex dentes, nempe: S. Marci Evang., Philippi Apost., S. Thomae Apost. et Innocentii Episc., (iuxta Monum. nostrae Prov. Tyrolensis) et duo dentes S. Paulini M.; ossa sacra SS. Zenonis et sociorum MM., SS. Digni, Paulini, Maximi, Abundii, Eutropii Martyrum, Candidae, Basiliae, Aquilinae, Ilaritae et Dominae Virginum et Martyrum. Manus alia Conventui Reliquias SS. Constantii, Magni, Clementis, Vincentii, Severi et Candidi Martyrum [1], Romae levatas, ac authentice adprobatas concredidit. In Ara maiori plura alia SS. MM. corpora, unacum vasculis sanguinis ex iis defluxi, quiescunt, videlicet: S. Clementis, ex dono V. P. Hippolyti de *Pergine,* totius Ordinis Discreti, et Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. intimi familiaris, acquisitum, et S. Felicitatis, ab Eminentiss. Cardinale Carpineo submissum, an. 1704 eidem illata. Istis adiuncta fuere corpora SS. Vincentii ac Felicis MM., beneficio strenui Domini Ioannis Baptistae Gumer, an. 1743 procurata. In Ara S. Francisci prope sacristiam corpus S. Claudii M., per D. Candidum, Pontificium Caeremoniarum Magistrum, comparatum (primitus in Ara maiori locatum) de praesenti sedem habet. In Ara S. Annae eius particula, ex dono Principis de Colonna Conventui accrescens, colitur. In calculo residuarum Reliquiarum morantur particulae: S. Crucis, caputii S. P. Francisci, uti et sanguinis eiusdem, ex vulneribus fluxi; ista cum priori et Reliquiis S. Elisabethae, Hungariae Reginae, ac aliis Monstrantiae illatis, devotioni fidelium exposita est; indusiolum S. Infantis Innocentis, ex mandato Regis Herodis necati. De cetero hoc in Conventu salutem animarum procurant Archiconfraternitas S. P. N. Francisci, anno haud satis noto introducta; Archiconfraternitas S. Michaelis Archangeli, Monacensi unita, an. 1695 iutroducta; Archiconfraternitas SS. Scapularis a plurim. Rev. P. Alexandro Carmelita, Prov. superioris Germaniae Ministro Provinciali, an. 1639 Conventui concessa, et 1661 innovata; Confraternitas S. Annae 1657 erecta; verbum Dei a Concionatore Dominicali, et Festivali explicatum, et via Crucis an. 1733 excitata. Iuvenes Religiosi hic subin per studium philosophicum ab uno Lectore, et ordinarie per theologicum a duobus Lectoribus tradita, in linea scientifica proficiunt. In iuvamen infirmorum viget

[1] Officium de his ex ratione iam tacta, non amplius recitatur.

hic etiam pharmacopaea. Moram in eo degunt 50 circiter Fratres, ex sacra eleemosyna partim sponte oblata, partim humiliter emendicata, partim in sacra Ara obtenta, bene sustentati. Sigillum Conventus sistit S. Franciscum S. Stigmata recipientem, his in circumferentia exaratis literis: *Sigillum Guard. Ord. Min. Reform. Conv. Bulsanensis*[1].

§ 4.

Conventus Sigmaringanus, seu Hedinganus ad S. Ioannem Baptistam.

82. Sigmaringa, vulgo *Sigmaringen*, civitas circuli Suevici Principatus Hohenzollerani, Dioecesis Constantiensis, ac Capituli Ruralis Möskirchensis, inter civitatem, vulgo *Scheer* dictam, et Canoniam Beürensem Ord. S. August. Danubio assidet. Principatus Hohenzolleranus, inter Nicarum et Danubium potissima ex parte situs, principaliter in duas stirpes, nempe Hechingano-Hohenzolleranam, et Sigmaringano-Hohenzolleranam diffinditur. Isti civitates Sigmaringa, Haigerlocha[2], partialiter Veringa[3] et plura alia loca, illi vero Hechinga civitas et alia loca in foro temporali parent. In non exiguam Principum Hohenzolleranorum laudem cedit, quod forti animo Lutheranismi erroribus restiterint, subditos in avita Religione conservare studuerint, et Haereditarii Camerarii S. R. I. colantur. Sigmaringa, felix patria S. Fidelis M., Ord. Min. Capuccinorum, in Rhaetia martyrio affecti, et a Benedicto XIV. Sanctorum apotheosi illati, eius cunas ostendit; arce Principis clarescit, ac intra moenia Ecclesiam S. Ioannis Evang. Parochialem, ac Sacellum S. Meinradi, aulicum, extra ea vero Sacellum Christi, ad carceres requiescentis, in coemeterio, Sacellum S. Crucis, Capellam S. Sebastiani, ac aliam S. Iosephi cum B. V. Maria desponsati, ac Ecclesiam S. Ioannis Bapt. Franciscanorum a fidelibus frequentari gaudet. Coenobium istorum, Hedinganum haud raro vocatum, parvulo horae quadrante a civitate avulsum, paucas domos in sua vicinia conspicit, et ripae australi Danubii accumbit; unde Pater Sigismundus Cavalli a Cuneo, Continuator *Orbis Seraph.*, Hedingam civitatem nuncupans, caespitavit, et inter Hechingam et Hedingam non bene distinxit[4].

83. Hedingano solo olim insedit Parthenium Dominicanarum[5], sub Re-

---

[1] Hueb. in Chron. col. 670 et 977. Cont. Orb. Seraph. t. 5. 339 et seq. Chron. cit. p. 124 etc. Monum. citata.

[2] Sedem inter Pahlingam et Horbam ad amnem Eyach habet.

[3] Pars istius civitatis, ad fluvium Lauchart sitae, Austriacae ditionis est.

[4] Lex. Ubseni Basil. ac Hübneri. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 65 etc. Chartae circuli Suev. Monum. Prov. Bav. ac Conv. Sigmaring. Franciscan. et alii.

[5] Relationem, Ordini S. Aug. Moniales istius addicentem, non amplector; sane non guber-

gula S. August. militantium, an. mihi haud noto exortum, et in actis Synodi Provincialis Constantiensis an. 1567 tactum. Gregorius XIII. PP. an. 1584, IX. Cal. Aug. Balthasaro, Ep. Ascalonensi, Suffraganeo Constantiensi, iniunxit, ut hoc, si querelae allatae subsisterent, supprimeret. Res credibilius ob mortem Papae, et regulas a Sixto V., eius successore, promulgatas, ad effectum non devenit. Clemens VIII. PP. Brevi: *Romanum decet Pontificem*, Romae 1597 die 17. Febr. signato, rursus Monasterium hoc suppressit, et incolas eius ad Parthenonem Inzkofianum Canonissarum S. Augustini transtulit. Ioannes, filius Caroli II. Comitis Zollerani, an. 1606 defuncti, Principis charactere an. 1623 insignitus, fidem Catholicam in suo Principatu firmaturus, et spirituali subditorum saluti consulturus, de licentia Iacobi Fugger, Ep. Constantiensis, Franciscanos Reformatos Custodiae Bavariae praemissa processione introduxit, cruce an. 1624 die 14. Sept., velut mihi Monum. Conv. Sigmaringani [1] annuntiant, in praesentia Eminentissimi Eitelii Friderici S. R. E. Cardinalis, et Ep. Osnabrugg [2] eius fratris, ac Magistratus civici solemniter terrae infixa, et P. Ambrosio a Galbiato in nomine P. Antonii a Galbiato, Commissarii Reformationis, Conventum acceptante. Monasteriolum primitus a P. Balthasaro Schinauer, eius promotore, directum, an. 1633 a Suecis expilatum fuit, Fratribus aut fugatis, aut male tractatis, uno Laico, videlicet Sebastiano Miller, letali vulnere affecto. Ærumnae, ex bello Suecico manantes, haud pluribus, ac duobus aut tribus Fratribus hic locum dedere. Fundatore an. 1638 Monachii vita functo et in Ecclesia Franciscanorum condito, Principatum adiit Meinradus I., eius filius, qui, lapide primo pro nova Ecclesia an. 1680 die 19. Sept. posito, corpus patris, corruptionis expers, Monachio Sigmaringam transferri curavit, an. 1681 vixit, et Principatum Maximiliano suo filio cessit. Reverendiss. Georgius Sigismundus, Ep. Heliopolitanus, Suffraganeus Constantiensis, Ecclesiam an. 1682 die 27. Sept. consecrationis favore excepit, pro anniversario dedicationis Dominicam ante festum S. Michaelis destinans. Momentosa pecunia a Sereniss. Maria Anna, Ferdinandi I. Comitis de Thöringen in Seefeld filia, ac dicti Meinradi coniuge, legata, Conventum in nova forma surgere fecit. Princeps Maximilianus an. 1689 diem supremam clausit, a Meinrado II. suo filio in regimine exceptus. Adest nunc instrumentum introductionis [3].

---

nabantur a Praeposita ac Decana, et in instrumento, an. 1597 exarato, expresse Moniales Ord. S. Dominici vocantur.

[1] Unde dies 17. Septembris, a quodam assignatus, eliminandus est.

[2] Decessit Osnabrugae an. 1625, ibique in Ecclesia Cathedrali conditus est.

[3] Hueb. in Chron. col. 701, 706 ac 810. Suev. Eccles. p. 388 etc. Kressling. in Hist. Seraph. p. 324. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 66. Acta Synodi tactae fol. 283 Lex. Basil. titulo Sigmaringen. Monum. cit.

Innotescat, et notum sit omnibus has literas visuris, lecturis aut legi audituris, cum inter Illustrissimum et Excellentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ioannem Principem, et Comitem ab Hohenzollern, Sigmaringen et Vöringen, Dominum in Heigerloch et Werstein S. R. I. Camerarium, S. Caesareae Maiestatis Consiliarium, Electoris et Ducis Maximiliani Bavariae Consiliarium intimum, supremum Aulae et Provinciae Praesidem ex una, et Reverendum admodum Patrem Fr. Antonium a Galbiato, Ord. Min. Observ. Reform. ex ordinatione Sanctissimi in Reformatione Bavaricae Commissarium et Custodem, ex altera parte, de consensu Congregationis huius Reformatae desuper habitae, in id iam ante conventum sit, ut dicti Fratres Reformati Franciscani Monasterium in Sigmaringen, vel de novo construendum, vel antiquum resarciendum, quatenus ipsis commodum videretur, recipere, et pro inspiciendo loco, an ipsis idoneus sit, huius Ordinis aliquem cum sufficienti mandato, tam loci inspiciendi, quam reliqua omnia peragendi, ablegare velint, hodierna die eadem de causa R. P. Ambrosium de Galbiato, eiusdem Ordinis et Reformatae Provinciae Lectorem et Concionatorem, ut locum inspiceret, et Monasterii, si placeret et commodum videretur, possessionem apprehenderet, cum mandato, quod habuit, omnino sufficienti a dicto P. Antonio, ut Commissarium ablegatum, huc Sigmaringam advenisse, qui suae commissionis et mandati tenorem Principi Illustrissimo in forma authentica demonstravit, et reliqua deinceps, quae supererant, eo, quo sequitur modo, commissionis puncta pertractavit.

Cum itaque Monasterium antiquum in Hedingen, praesertim si ea, quae subsequuntur puncta, suae quoque perfectioni subiiciantur, pro receptione et habitatione dictorum Fratrum satis commode visum sit, locusque totus P. Commissario placuerit, hodierna die tam ipsius Principis tam etiam Rev. et Illustrissimi Domini Friderici S. R. E. Cardinalis de Hohenzollern solemni processione, et comitante tota quasi urbe in possessione dicti Monasterii Hedingensis de consensu tamen huius loci ordinarii Episcopi Constantiensis prius impetrato, nemine repugnante, dictus Frater Commissarius nomine totius suae Reformae non solum inductus, sed etiam, prius tamen in conspectu totius iam nominati comitatus salutari Redemptoris nostri, ex more huic Ordini consueto, sacrosancta Cruce erecta, pro felici huius operis auspicio et progressu Officium S. Missae pio et Catholico ritu celebratum est.

Et cum adhuc quaedam puncta perficienda sint, de reliquis Illustrissimus Princeps et Commissarius vi potestatis secum habitae ita convenerunt.

Quod omnes expensas pro frabrica Ecclesiae et Conventus necessarias Princeps Illustrissimus sit facturus, omnia insuper supellectilia, vasa, et reliqua necessaria cum pro usu Fratrum et Conventus, tum etiam pro

Ecclesia idem et Princeps providebit, ita tamen, ut eiusmodi paramenta non ex auro aut argento, sed iuxta Reformae paupertatem sint fabricata. Et cum antiquum hoc ipsis iam adsignatum, et possesione apprehensum Monasterium in nonnullis restaurandum sit, Princeps spatio duorum annorum ita reparabit, ut habitationi saltem decem Fratrum commodum esse possit.

Quod si evenirent, quod tamen non creditur, difficultates tum circa consensum Ordinarii, tum etiam alios Religiosos, eas omnes Princeps tollet, dirimet. Cum reditus perpetuos isti Fratres Reformati pro suis necessitatibus non recipiant, Princeps eos omni favore, gratia et benignitate ita tutabitur, ut iuxta Regulam suam ex erogationibus piis et mendicationibus vivere possint commode. Quae puncta et negotia huius Commissionis omnia de consensu partis utriusque ita firmata, concordata, stabilita, et in fidem istorum omnium duae hac patentes utrius partis subscriptione et sigillis conscriptae et confirmatae sunt literae, quarum quaelibet pars unam ad se recepit.

Datae Sigmaringae 14. Septembris anno 1624.

IOANNES P. ET C. DE ZOLLERN.

Ego Fr. Ambrosius a Galbiato Commissarius subdelegatus confirmo, ut supra.

Ego Fr. Antonius a Galbiato Commissarius et Custos confirmo, et probo omnia concordata et stabilita a praedicto P. Ambrosio, Commissario delegato.

84. Sereniss. Iosephus Fridericus, Princeps Sigmaringano-Hohenzolleranus, successor Meinradi, sui patris an. 1715[1] expirantis, an. 1724 non solum Iubilaeum erecti Conventus liberali solemnitate celebravit, sed etiam, defuncto Syndico Apostolico Conventus, ipsemet hoc officium subire dignatus est; huius autem eximiae humilitatis, et erga S. Antonium Paduanum intimae confidentiae fructum iam iterato expertus est, cum an. 1725 filius eius Princeps, in gravi morbo a medicis morti adiudicatus, contra omnium spem subito convaluerit, et an. 1729 in atrocissima tempestate, quae per totum palatium iteratis fulminum ictibus horrende desaeviit, tam Princeps, quam eius consors et proles, omnesque domestici ex pluribus vitae imminentibus periculis, invocata huius Sancti ope manifeste conservati sunt,

---

[1] Theatrum Europ. part. 20. an. 1715 et Monum. cit.; unde Lex. Basil. perperam an. 1716 assignat.

ipsumque palatium ab incendio praeservatum. Rusticus quidam ab Englwis [1] equum suum, furto ablatum et in Sardiniam usque divenditum, post tres annos an. 1750, et alius a Winterling [2] Lutheranus pecunias furto ablatas, an. 1753 per intercessionem fati Divi recuperarunt. Fatus Sereniss., singularis Matris Dolorosae cultor, P. Adolpho, Concionatori, ad honorem illius in Haigerloch e Cathedra an. 1756 peroranti, librum donavit, ei propria manu verba, ad calcem huius N. sistenda, inscribens. Isto falci mortis an. 1769 die 8. Decemb. succumbente, Carolus, eius filius, fasces totius Principatus capessivit. Decretum Bavaro-Electorale (an. 1769) demandans, ut Domicilia, extra ditionem Bavaro-Electoralem locata, a Prov. Bavariae alienentur, viam fecit, ut fatus Sereniss. votis Prov. Tyrolensis subscripserit, ei Conventum Sigmaringanum an. 1773 die 25. Aug. obtulerit, et die 19. Oct. exsecutive inseruerit. Conventus hic, antiquitate attenta, exciperet Suazensem; at, cum fatus Princeps locum quartum pro illo expetierit, iste eidem attributus fuit [3].

« Mater Dolorosissima
« Memoriam fac unius, et alterius
« Et in fine ne obliviscaris nec Iosephi, nec Adolphi ;
« Ita, ut Iosephus cum sua Familia,
« Adolphus cum sua Provincia
« Coronentur aeterna gloria,
« Possintque dicere :
« Huc, omnibus propitia,
« Nos deduxit
« Clementissima Mater
« Maria.

85. Ecclesia, S. Ioanni Baptistae devota, eundem in Ara summa quotidie privilegiata recolit. Inter Aras laterales adest : 1. Altare B. V. in coelum Assumtae. 2. S. Antonii Patavini, per Innocentium XI. PP. an. 1689 pro Feria II. privilegiatum, et a Successoribus hoc in favore stabilitum, modo eo exutum. 3. B. Matris Dolorosae in Capella, expensis Sereniss. Principis Iosephi Friderici an. 1746 erecta. Splendor Ecclesiae intenditur ex sepulchro Christi Domini, sumtibus eiusdem Principis confecto; ex ornatu ter specioso, a Sereniss. Francisca, prima eius coniuge, ob filium unicum a periculosissimo morbo, invocato S. Antonio, exemtum, ei suppedidato; ex 4 maioribus pyramidibus, multis Reliquiis, quas Sereniss. Theresia, secunda fati Principis coniux, propria manu exornavit, repletis; ex aliis Reliquiis sacris authenticis, nempe SS. Coelestini, et Theodorae,

---

[1] Pagus hic inter Sigmaringam et Canoniam Beürensem obviat.
[2] Est pagus Vurtembergicae ditionis, Ebingae vicinus.
[3] Lex. cit. Kressling. cit. p. 347. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 66 et seq. Monum. citata.

Crucis Christi, Franciscae Romanae Vid., Antonii Patavini, P. Francisci, Fidelis a Sigmaringa ac Petri de Alcantara. Conventus, 30 circiter Fratribus locum dans, ac studium philosophicum sustentans, ad salutem proximi collimat per verbum Dei, a Concionatore proprio declaratum, per tertium Ordinem S. Francisci, Archiconfraternitatem eiusdem ac S. Michaelis, Confraternitates B. V. M. Immaculatae ac S. Ant. Patavini, per servitia spiritualia Iuliomagi ab an. 1625, Supplingae, Mengae [1] et aliis locis in Cathedra, s. Tribunali et aliis modis producta, et viam Crucis. Iuventus extera in scholis inferioribus per tres Professores ab an. 1769 excolitur [2].

§ 5.

Couventus Suazensis ad S. P. Franciscum.

86. *Suazium*, quibusdam *Schwazium*, olim *Sebatum*, Gonz. corrupte *Zwatzium*, vulgo *Schwaz*, oppidum si non formale, çerte ob varias praerogativas aequivalens, 2 mill. Germ. Hala ac Rattenberga avulsum, intra sphaeram Dioecesis Brixinensis in valle Oenana inferiori Comitatus Tyrolensis cubat. Celebre evadit ex montibus, varia metalla, praesertim argentum, cuprum et plumbum parturientibus, primitus in saeculo XV. [3] detectis, nec non ex amplitudine loci, incolarum frequentia, ex splendido palatio Excellentiss. Comitis de Tannenberg, uti et variarum domorum nitore. Pro cultu Dei ac Sanctorum faciunt Ecclesia Parochialis B. M. V. Assumtae, magnitudine praestans, S. P. Francisci Franciscanorum, S. Martini Monialium Ord. S. Augustini, SS. Trinitatis, S. Ioannis Baptistae, S. Michaelis Archangeli, et S. Viti in Coemeterio, Sancti Spiritus in Hospitali, S. Crucis inter Suazium et pagum Pill sita, SS. 14 Auxiliatorum in arce Freindsperg, B. V. M. Dolorosae ibidem, B. V. M. Assumtae in domo Prauniana, ac aliae in domibus Firmiana, Praetoriali, et Mineralium. Trans Oenum ad pedem *montis S. Georgii* occurrit Monasterium Fiechtense, S. Iosepho dicatum, sacerrimi Ordinis S. Benedicti, ex praefato monte, in quo nunc solum quidam Patres morantur, isthinc translatum. Oenus locum alluens, isti ad largum lucrum, ex commerciis tollendum, ansam subministrat. Pestis an. 1611 numerosa funera coemeteriis eiusdem intulit [4].

---

[1] Civitas haec a Sigmaringa versus Orientem milliari German. recedit.

[2] Monum. citata.

[3] Detectio primae argenti fodinae iuxta Brandisium an. 1409 contigit.

[4] Gonzaga in Prov. Tyrol. Franc. Conv. 4. Burglechner in Aquila Tyrol. M. S. Brandis in Corolla eius part. 2. p. 204 etc. Granelli in Topograph. Germ. Austr. aucta part. 3. p. 243 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 340. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franc. p. 127 etc. Charta Tyrol. Monum. Conv. Suaz. Franc. Catalog. Dioeces. Brixin. p. mihi XIV. et alii.

87. Auctor saeculi V. Conventualium Vindobonensium [1] in catalogo antiquo Provinciae Austriae FF. Minorum isti Conventum Suazensem, Custodiae Felicensi adscriptum, addicit, et aliquando a Conventualibus fatae Provinciae inhabitatum esse praetendit. Asserto huic adstipulari nequeo, motus tum ab instrumentis primis et antiquissimis, primos Monasterii incolas Observantium nomine condonantibus, tum ab Archivis oppidi Suazensis, et Coenobii S. Georgii Ord. S. Benedicti, de Minoritis, ante Observantes receptis, nihil scientibus, tum ab ipso Archivo almae Provinciae Austriae Conventualium, in quo, uti mihi vir eruditus eiusdem in illo bene versatus refert, nullum documentum authenticum desuper prostat. Ut autem solidiori fulcro assertum meum muniam, aio, Observantes Prov. Austriae Suazenses per obsequia spiritualia in Cathedra, s. Tribunali et aliis modis plures per annos praestita, et exemplarem vitam ita sibi devinxerunt, ut pro ipsis Conventum exstruere decreverint. Provincia favorem hunc, si non prius, certe anno 1506 aliqualiter acceptavit, utpote catalogo Conventuum, eo anno ad Maiores Ordinis, in Capitulo Generalissimo congregatos, misso, haec verba addens: *apud Sboz noviter receptus.* Suazenses, Maximiliano I., Romanorum Rege, anno 1507 die 1. Iunii consensum dante, et sese ad consensum Papalem ac Episcopalem eliciendum oppignorante, operi manum admoverunt, et, licet quidam viri Ecclesiastici obsisterent, et Dominus Udalricus de Rockenbach, Vicarius Generalis Em. Melchioris a Meckaw, Episcopi Brixinensis et Cardinalis, eo tempore Romae morantis, poenas spirituales pluries minaretur, istud prosecuti sunt, minis quarta vice repetitis ab opere cessantes, et Maioribus Prov. Austriae, Fridavii in Styria inferiori congregatis, rei statum exponentes. Christophorus a Monachio, Vicarius Provincialis, nomine omnium reposuit, se Monasterium recipere, consensum Papalem pro tribus Monasteriis, anno 1482 exaratum, iam adesse, sicque adhuc consensum Episcopi exigi. Exin Suazium profectus literas Papales et Archiducales producit, et fundum per D. Ioannem Fieger de Milans ab Andrea Stollbrock coemtum, acceptat. Lapide primo anno 1507 die ultimo [2] Augusti terrae solemniter infixo, consensus Episcopalis ac R. D. Conradi, Abbatis Monasterii S. Georgii Benedictinorum, successit. Conformiter ad mandatum, a Maximiliano Imperatore die 18. Sept. datum, R. Ioannes a Varadio, Minorita Observans, olim Episcopus Varadiensis, in Provincia Bohemiae pluribus delineatus, Legatus Uladislai Regis, negotiorum causa eo tempore in Tyroli moratus, ceu iudex et exsecutor unacum Ioanne Casparo de Laubenberg, Equite aurato, Ioanne Gostner, legum Doctore, Ioanne Fieger ac Ioanne Stökl, Commis-

[1] P. 20.

[2] Iuxta Monum. Conv. Suazens. Franciscanorum; unde *die 30. Aug.* a quibusdam male ponitur.

sariis Regiis, anno cit.[1] die 26. Sept. in praesentia Leonardi, Abbatis Wiltinensis, ac fati Abbatis Conradi praedicto Vicario Provinciali commisit, Maximilianus die 18. Oct. novo diplomate totum opus stabilivit. Sisto Breve Papale, et duo diplomata Archiducalia[2].

Sixtus IV. Papa.

Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

Intelleximus referente Nobis dilecto filio Nostro S. Tituli Sergii et Bacchi Presbytero Cardinali Agrensi[3], *quod crescente numero Fratrum tui Ordinis in ista Provincia plurimorum devotio cupiat, ut in eadem tria alia loca habeatis, modo Sedis Apostolicae auctoritas interesset. Nos, qui cultus divini amplificationem, Religionis propagationem, ac vestram commoditatem et quietum statum intensis desideriis affectamus, quos semper paterna charitate sumus prosecuti, et nunc tanquam peculiares speciali amore prosequimur, confidentes animo, quod per bonorum operum vestrorum fructum cultus ipse divinus, et populorum devotio in istis partibus magis ac magis in dies crescet et augmentabitur, tibi, ac pro tempore successoribus tuis praefatae Provinciae Vicariis, ut tria alia loca iam aedificata, seu in posterum aedificanda, cum Ecclesiis, campanis, campanilibus, Claustris, coemeteriis, hortis et aliis necessariis officinis, si alias vobis legitime concessa fuerint (dummodo non sint Domus vel Conventus Conventualium, et sine alio praeiudicio) in eadem Provincia recipere, et recepta tenere possitis et valeatis, plenam et liberam licentiam auctoritate Apostolica tenore praesentium clargimus ac etiam facultatem, nec non ut Fratres, qui in dictis locis sic recepti, ut praemittitur, morabuntur, omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indulgentiis ac indultis, aliis locis et Conventibus vestris Minor. B. Francisci in genere quomodolibet concessis et concedendis, uti et gaudere possint et valeant, non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae VIII., Praedecessoris Nostri, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis iurato confirmatione Apostolica, et quavis firmitate*

---

[1] Veritatis a scopo aberrant Scriptores, initium Conventus ad an. 1517 revocantes.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Suaz. Franciscan. Gonz. iam cit. Wad. t. 15. an. 1506 n. 10. p. 335., an. 1507 n. 43., t. 16. an. 1517 n. 57. Wolckenstein in Chron. M. S. Tyrol. L. 13. p. 265. Hueb. in Chron. col. 634 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 340 et pluribus seq. Chron. cit. p. 131 etc. Herzog. p. 67, nec non parte poster. p. 29. Fac. Prov. Aust. p. 98 etc. et alii.

[3] Per hunc venit Gabriel de Verona, Minorita Observans, in l. t. mei operis pluribus expressus.

alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Aprilis an. 1482, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Nos Maximilianus, Dei gratia Romani Imperii Rex etc.,[1] *praesentibus literis contestamur universis, quod considerantes Factorem et Redemtorem nostrum nos mortales in hac miseriarum valle condidisse, et per passionem et mortem suam omnibus pie viventibus vitam aeternam impetrasse, praeterea Maioribus Nostris et Nobis praedivitem argenti fodinam, quae Nobis et subditis Nostris notabile emolumentum affert, et copiosam hominum multitudinem ad incolatum traxit, prope pagum Nostrum Suazium, in Comitatu Nostro Tyroli situm, aperuisse, firmiter statuimus, in contestationem debitae gratitudinis, ad laudem divinae Maiestatis eiusque cultum amplificandum, in honorem S. C. et P. Francisci, Ecclesiam et Monasterium fundare, et decernere, ut in eodem laudabilis Ordo eiusdem S. P. Francisci Regulam suam observet, secundum ritum Christianum Missas, in quibus Corpus D. N. I. Christi, quod est summum et praecipuum Sacrificium, et alia Officia celebret, populo Christiano S. Evangelium et sacram Scripturam promulget et explicet, ex quo speramus Dei beneplacitum, Christi fidelibus exemplum bonum, et doctrinam ad vitae emendationem et incrementum in virtutibus accessurum, neque diffidimus, a nostro S. Patre Papa, Episcopo Brixinensi etc. consensum obtinere, cum hac tamen conditione, ut neque modo, neque futuris temporibus Vompensi Ecclesiae matrici aut eiusdem Parocho vel minimum suboriatur praeiudicium etc. Ut autem et Fratres in hunc Conventum destinandi Divina securius peragere valeant, statuimus, ordinamus et volumus tanquam Rex Romani Imperii, Dominus Regens, et Comes Tyrolis, ut praefatum Monasterium noviter aedificandum, Prior et Conventus sub Nostra, ac Haeredum et Successorum Nostrorum Archiducum Austriae tutela sit, et in aevum permaneat, ab eis defendatur et protegatur, atque ut omnibus gratiis, immunitatibus et privilegiis uti et frui valeat, quemadmodum alia eiusmodi Monasteria in Nostris ditionibus haereditariis utuntur et fruuntur, ita, ut nullo modo iniuste graventur aut molestentur. Quare omnibus et singulis sacri Imperii, et Nostrarum ditionum subditis cuiuscunque dignitatis, status et conditionis exsistant, serio et firmiter praecipimus, et his literis volumus, ne designatam praefati Monasterii et Ecclesiae structuram impediant, Priorem quoque, ac Patres, qui ea possidebunt, et suos in men-*

[1] Titulo *Imperatoris* usque ad an. 1508 potissima ex parte (non semper) abstinuit, uti ex instrumentis authenticis ostendi potest.

tionatis gratiis et favoribus manere permittant, nullatenus affligant, et alios ab eorum vexatione compescant omni modo, quam charum cuilibet esse oportet gravem indignationem Nostram et poenam evitare. Haec existimamus serio testimonio huius diplomatis, sigillo Nostro Regio muniti.
Datum Constantiae 1. Iunii 1507.

MAXIMILIAN.

Ad Mand. D. Regis prop.
I. SARNTEIN.

Maximilianus, summa favente clementia Romanorum Rex et futurus Imperator, semper Augustus etc. Recognoscimus, et tenore praesentium profitemur pro Nobis, Haeredibus et Successoribus Nostris, quod Nos considerantes et animadvertentes, quemadmodum omnipotens Deus, Creator et Redemtor noster, genus mortalium in hoc mundo et lacrymarum valle ad sui memoriam instituit, et per incarnationem suam pientissimam, et acerbissimam passionem et mortem liberavit, nosque capaces reddidit, quod quisque Christi fidelis huiusmodi beneficiorum gratus, qui bonis operibus nititur et conatur, post hunc miserum et momentaneum huius vitae terminum, numerum et locum delectorum angelorum in aeterna vita restituere, possidere. Ea de re cognovimus, et perspeximus vitae et morum honestatem, Religionemque et sanctimoniam, quam Fratres Ordinis S. Francisci de Observantia iam dudum in dominiis Australibus inferioribus praesetulerunt, quibus etiam per bonum exemplum, et interpretationem sacri Evangelii ac per verbum Dei seu praedicationis reliquos quoque homines ad honorem et servitium Altissimi promoverunt, et incitarunt, propter quae et alias multas rationales causas praeteritis temporibus benigne concessimus, literasque Nostras dedimus, quod in Comitatu Nostro Tyroleos in oppido Schwaz Monasterium aliquod sui Ordinis erigere, et aedificare possent; quemadmodum etiam per SS. D. N. Pont. Max. Iulium II.[1] *concessum et indultum fuit, prout in literis suae Sanctitatis desuper confectis plenius continetur. Cum itaque fideles Nobis dilecti communitas et societas fodientium et colentium mineras Nostras seu fodinas metallorum, et alii subditi Nostri in dicto oppido Schwaz et locis adiacentibus in Comitatu Nostro Tyrolis, ex singulari affectione et devotione, qua praefatum Ordinem et Fratres ipsos prosequuntur, unum Monasterium ibidem super huiuscemodi Nostro consensu erigere et fabricare intendant, et iam partim coeperint, fundumque et circulum quendam, quem fidelis Nobis dilectus Ioannes Fieger ab Andrea Stol-*

[1] Ex hoc constat, quod Imperator Bullam specialem a Papa pro Coenobio Suazensi obtinuerit.

proch ibidem in Schwaz pecunia sua comparavit, ad hanc rem deputaverint, qui quidem fundus ab Oriente tendit versus praedia, quae praefatus Andreas Stolproch ex agro infra scripto, vulgariter Frananger appellato, locavit versus horreum haeredum quondam Raumvag, versus commune, et versus fundos Andreae Vinchlmarch; a meridie versus fundos Stephani Wickhofers, ab Occidente versus viam, qua itur in Egerdach; a septentrione vero versus fundos praetacti Andreae Stòlproch, ex quibus fundus dicti Monasterii emtus est, et praefatus fundus huiusmodi Monasterii prodierit ex agro quodam, Frananger nuncupato, emto ab illis de Freundsperg, reservatis huiusmodi loci seu circuli aliis verioribus adhaerentiis et confinibus, quemadmodum saepe dictus fundus specialiter designatur, et perspicitur iuxta tenorem instrumenti emtionis. Quo circa Nos attendentes praesertim, quod Nobis et Praedecessoribus Nostris divina clementia laudabile et utile dominium minerarum ibidem in Schwaz cultarum a Deo Opt. Max. concessum est, ex quibus Nobis et subditis Nostris non mediocre commodum et proficuum redundavit, per quod etiam plurimi Christi fideles ad habitandum in eodem loco convenerunt, et mirum in modum aucti et congregati sunt ad hoc, ut huiusmodi Monasterium eo celerius perficiatur, neque diutius differatur, idcirco cum honorabilius devotis Nobis dilectis Conrado Abbate, et Conventu Monasterii Montis S. Georgii, Ordinis S. Benedicti, qui privilegium habent, ne praedicto oppido Schwaz, in quantum iurisdictio Ecclesiae Parochialis in Vomp extenditur, absque eorum consensu Monasterium aliquod sive Ecclesiae fabrica erigi possit, tantum effecimus et obtinuimus, quod ad complacentiam Nostram singularem et propter benignam recompensam, quam invicem illi fecimus, in erectionem huiusmodi Monasterii consenserunt, idque Reverendissimo in Christo Patri Melchiori Titl. S. Nicolai inter imagines Presbytero Cardinali, Brixinensi Principi[1], Consiliario et amico Nostro charissimo, tanquam Episcopo Brixinensi, in cuius Dioecesi Monasterium huiusmodi constitutum est, significarunt, quibus omnibus factis praefatum novum Monasterium per Commissarios ad id deputatos Ven. Religioso devoto, Nobis dilecto Christophoro de Monaco, Ord. S. Francisci de Observantia, in Provinciis Nostris Austriae Vicario Provinciali, consignavimus, volumusque et constituimus in signum debitae gratitudinis, ad laudem divinae Maiestatis et augmentum cultus sui, ut praefata Ecclesia et Monasterium in honorem B. Confessoris et S. P. Francisci erigatur, fabricetur et perficiatur; quodque ibidem per Fratres Ord. laudabilis praefati S. P. Francisci secundum constitutionem Regulae et Observantiae suae servetur, et secundum ritum Christianum Missae et alia divina Officia ibidem peragantur, et populo

[1] Hic L. hoc, n. 436. pluribus tangetur.

Christiano Evangelium et sacra Scriptura praedicetur. Per quod speramus, Deo Omnipotenti res grata exhibebitur, et populo Christiano bono exemplo doctrinae, informationis et vitae exercitium, et operatio virtutum ac bonorum operum augebitur, et suscipietur; hac tamen conditione semper adiecta, videlicet, ne per huiusmodi erectionem, ordinationem et fundationem nunc et in futurum alicui Plebano seu locum tenenti Ecclesiae Parochialis in Vomp[1]*, praeiudicium aliquod generetur seu inferatur, ita tamen, quod nihilominus populus, ad praefatam Ecclesiam pertinens, penes eandem permaneat, et Sacramentum Baptismi aliaque Sacramenta ibidem percipiat, et cuilibet Plebano iura Parochialia tribuat et concedat, ut convenit: et ut Guardianus et Conventus, qui ad supradictum Monasterium venient, et constituentur huiusmodi Ecclesiae, eo quietius adesse et inservire possint, constituimus, ordinamus et volumus tamquam Romanorum Rex, Dominusque et Princeps Domus Nostrae Austriae et Comitatus Nostri Tyrolis, quod praefati Guardianus et eius Conventus, illisque attinentes, sint et esse debeant in speciali gratia, protectione, et salva guardia Nostra, et per Nos, Haeredes et Successores Nostros, Archiduces Austriae et Comites Tyrolis, protegi et defendi debeant, et omnes et singulas gratias, libertates et privilegia habeant, illisque uti et frui possint et debeant, quibus alia huiusmodi Monasteria in Dominiis et Provinciis Nostris haereditariis constituta, utuntur et fruuntur, neque contra ea ipsi seu eius pertinentes indebite turbentur, graventur aut impediantur quovis modo, praefatumque fundum et donationem, circulumque, et locum praetacto Monasterio assignatum, prout nunc descriptus est: et etiamsi in posterum brevi aut longo tempore augeretur, ex nunc pro ex tunc confirmamus, ratificamus et validamus, tamquam si praedicta omnia cum expressis confinibus, cohaerentiis hic sufficienter inserta forent. Quocirca mandamus omnibus et singulis Capitaneis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Praefectis, Iudicibus, Consulibus caeterisque Officialibus, Servitoribus et subditis Nostris cuiuscunque gradus, status seu conditionis exsistant, seriose et firmiter tenore praesentium volentes, quod praefata fabrica erectionem et fundationem ipsius Ecclesiae et Monasterii neque turbent, neque impediant, Guardianumque et Conventum, qui huiusmodi Monasterium et Ecclesiam habebunt et possidebunt, et ad eos spectantes in praefatis gratiis, tuitione et protectione Nostra permanere permittant, neque contra ea molestare, offendere aut gravare nitantur, neque ab aliis molestari seu gravari permittant, quantum gratiam Nostram charam existimant, poenamque et indignationem gravissimam maluerint evitare. Harum testimonio literarum sigilli Nostri Regalis appensione munitarum.*

---

[1] Est pagus media hora Suazio amotus, trans Oenum situs.

Datum in oppido Nostro Inspruck die Lunae 18. Octobr. Anno Domini 1507.

MAXIMILIANUS.

88. Pro fabrica Monasterii ac Ecclesiae, ex aere argenti fodinarum et benefica manu aliorum benefactorum continuata, ultimati promotores ac Commissarii Illustriss. DD. Michael Baro de Wolckenstein, supremus Camerarius et aulae Magister, ac Georgius Firmian, Mareschallus, circa an. 1514 a Caesare deputati fuere. Reverendissimus D. Ioannes Episcopus Bellinensis, Suffraganeus Brix., an. 1515 die 24. et tribus seq. Novemb. Templum, substantialiter completum, unacum octo Aris consecrationis favore excepit, anniversarium dedicationis ad Dom. III. post Pascha figens, ac illud cum Ara maiore SS. Trinit., B. V. Mariae ac omnibus Sanctis, principaliter S. P. Francisco dicans. Inter Aras laterales, hoc favore potitas, veniebat: 1. Ara Matris Dol. 2. SS. Ioachim et Annae. 3. SS. Christophori, Catharinae et Barbarae. 4. S. Michaelis in Tabernaculo. 5. S. Crucis. 6. S. Iosephi. 7. S. P. Francisci. Idem Reverendiss. locum Ecclesiae contiguum, pro sepultura destinatum, in modum coemeterii reduxit, et an. 1518 die ultimo Aprilis benedictione affecit. Carolus V., Imperator, diplomate, Bruxellis an. 1521 die 17. Sept. signato, et in Cosmographia Austriaco-Franciscana Herzogii expresso, Conventui, in Provincia Austriaca Custodiae Athesinae adiuncto, certum quantum de vino, ligno et sale annuatim subministrari iussit. Anno 1526 duo fossores occasione P. Christophori (credibilius a Thermis) dogmata fidei Catholicae in Ecclesia Parochiali exponentis, et praeconis Lutheri, putidas merces in loco Ecclesiae vicino, *Anger* dicto, vendentis, in lites abierunt, uno Franciscanum, altero Lutheranum ceu optimum verbi divini declamatorem extollente. Pseudopraeconis fautor excessivo aestu exagitatus, subin in haec verba prorupit: *Stante, quod praeco in Anger verbum Dei veridice non annuntiet, diabolus ad alpes Stansenses*[1] *me transferat.* Infelix his prolatis, mox a daemone prenditur, et ad fatum locum asportatur, inde post triduum in facie et alibi dire laesus, reversus. Eventus hic praeconem Sterzingam, unde venerat, pepulit, et subin unacum suis e tota Tyroli extorrem fecit[2].

89. Decretum Papale, an. 1580[3] die 16. Aprilis latum, et die 18. Maii

[1] Assurgunt iuxta pagum, *Stans* dictum, Suazio unica hora remotum.

[2] Hueb. in Chron. col. 635. Cont. Orb. Seraph. t. 8. p. 343 etc. Chron. cit. p. 128 et 131. Monum. cit. Mohr in Chron. M. S. Tyroleos. Herz. p. 252, 254 etc.

[3] Ex hoc luce meridiana clarius elucescit, Scriptores hanc devolutionem ad an. circiter 1572, aut an. 1627 revocantes, in devia abiisse. Idipsum acta Capitularia ab an. 1580 firmant. Hoc unice veritati consonat, quod an. 1627 Reformatio in hoc Conventu, uti et aliis, suum terminum nacta fuerit.

exsecutioni mandatum, Conventum Provinciae Austriae de Observantia subtraxit, et Tyrolensi, noviter excitatae, adiecit. Gabriele a Merano, Provinciae leges dictante, Cathedra Parochialis Conventui concredita fuit. Legatum D. Gabrielis Mohr, mercatoris opulenti, an. 1618 mortui, lumen perpetuum coram Ara B. V. Dolorosae accendit. Legatum munificum Maximiliani Archiducis, an. 1618 Vindobonae exspirantis, ab Archiduce Leopoldo, an. 1619 die 14. Ianuarii in Conventu hoc prandere dignato, ad effectum promotum, tectum Ecclesiae, ruinae proximum, an. 1620 refecit. Confraternitas B. V. Matris Dolorosae *Rorate* solemne tempore Adventus Fer. III. V. et Sabbato nec non Dominicis ac Festivis diebus, hora 6. in Ecclesia hac a musicis Parochialibus decantandum, an. 1623 fundavit. An. 1665 P. Bernardinus Biener, alumnus Conv. Suazensis, prima vice Philosophiam in Monasterio Benedictino *montis Georgii* praelegit. Turris per terraemotum prostrata, an. 1675 in nova forma surrexit, et campana, pro agonizantibus alumnis Confraternitatis Mariano-Dolorosae pulsanda, gravata fuit. Praenobilis Domina, Vindobona ultima vice a Turcis obsessa, Suazii degens, coram Ara S. Antonii Patavini argenteam an. 1686 appendit lampadem, lumine perpetuo a D. Bartholomaeo Schueller an. 1688 instructam. Monasterio *montis Georgii* flammis an. 1705 absumto, Conv. Suaz. 5 D. Religiosos illius suscepit, et ad tempus retinuit. An. 1735 et seq. Ecclesia cum Aris pluribus novam et elegantiorem formam ex charitate diversorum benefactorum retulit; Chorus ad posteriorem partem Ecclesiae migravit, et nova structura Novitiatus, a Conventu aliqualiter separata, suum esse assecuta est. Clemens XIII. PP. Aras Ecclesiae relate ad Missas, pro defunctis ex Confraternitate Dolorosae Matris applicandas, privilegiatas an. 1760 denuntiavit [1].

90. Ecclesia, octo marmoreis columnis sustentata, an. 1515 (ex dictis n. 88.) consecrata, magnitudine et decore praestat. Altare maius, S. P. Francisco devotum, privilegio quotidiano in gratiam animarum defunctorum gaudet. Inter minora e cornu Evangelii adest: 1. Altare B. Matris Dolorosae, an. 1512 primitus erectum, an. 1621 cratibus ferreis circumseptum, ad modernam figuram et locum an. 1735 traductum. 2. S. Matris Annae. 3. SS. Catharinae et Barbarae VV. et MM. E cornu Epistolae occurrit: 1. Altare S. Iosephi, expensis strenui D. Joan. Bapt. Wimmer excitatum, et lumine perpetuo provisum. 2. S. Francisci Stigmatizati. 3. S. Crucis, quod unacum duabus praedictis Aris S. Annae et Barbarae sumtibus Illustriss. familiae Comitum de Tannenberg erectum fuit. 4. S. Antonii Patav., an. 1661 in meliori forma exstructum, an. 1662 die 11. Aug. a Reverendiss. D. Ioseph. Perchofer, Ep. Bellinensi, Suffrag. Brixin., sa-

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 313 etc. Monum. cit. Chron. cit. p. 132. Herz. p. 69. Fac. Prov. Aust. p. 99.

cris liquoribus perlinitum. In Ara S. Crucis conspicitur Christus, cruci affixus, ex unico lapide in virili statura effabre elaboratus, Eustadio Patavium, inde an. 1521 Suazium translatus, an. 1735 ex lapsu in quasi innumeras particulas solutus, dein iterum coadunatus, et huic Arae illatus. In peristylio Conventus moratur Sacellum S. Bonaventurae, pro domo Capitulari inserviens, an. 1509 die 16. Oct. in Festo S. Galli unacum annexo fati peristylii coemeterio a R. D. Conrado, Ep. Bellinensi, Suffraganeo Brixinensi, consecratum. Succedunt SS. Reliquiae, de quibus, an. 1662 obtentis, quaedam adsunt de Dalmatica S. Caroli Borromaei, camisia, montino cardinalitio, linteamine, sacrum eius corpus post obitum abstergente, et Pluviali eius; nec non os praecipuum S. Achatii M. accesserunt an. 1625 ex dono Reverendiss. D. Ioannis, Abb.[1] Augustae ad S. Udalricum, aliae de S. Afra et societate eiusdem, nempe pars brachii eiusdem ac duae costae, nec non corpus Illuminatae Martyris, an. 1701 acquisitum. Subin hunc thesaurum particula S. Crucis, aureae cruci, gemmis distinctae, indita, S. Petri Apostoli, et chordae S. P. Francisci adauxerunt[2].

91. Diversa media, quibus Conventus pro honore Christi et salute proximi sudat, recensentur: 1. Verbum Dei in Ecclesia Parochiali, Franciscana et Augustiniana Monalium, diebus Dominicis et Festivis, nec non quibusdam aliis declamatum. 2. Archiconfraternitas S. P. Francisci, de cuius initio, abs dubio sat veteri, annus determinatus me latet. 3. Archiconfraternitas S. Michaelis Archangeli. 4. Confraternitas Matris Dolorosae, opera P. Christophori a Thermis, Ministri emeriti Prov. Austriae de Observantia, et Guardiani Conventus Suazensis, uti Bernardinus Lackner in libello illius Confraternitatis in dedicat. et fol. 32. attestatur, erecta. Christophorus praedictus suum Ministeriatum 1530, et vitam 1540, velut t. 3. mei operis dictum, absolvit; ergo intra an. 1530 et 1540 initium isti Confraternitati dedit; sicque Scriptores, ortum eius ad an. 1509 aut alium (ante an. 1530 evolutum) revocantes, in veritatem peccarunt. Nec obest instrumentum consecrationis, an. 1515 exaratum; enim vero ex eo unice Ara B. Matris Dolorosae, eo tempore stans, non vero istius Confraternitas elucet. Expensis dictae Confraternitatis, an. 1609 et 1613 a Paulo V. PP. Indulgentiis ditatae, musici saeculares in Adventu Missas solemnes, *Rorate* dictas, et *Miserere* concinunt. 5. Via Crucis, an. 1732 in Ecclesia Conventus plantata. 6. Obsequia spiritualia, Monialibus Ord. S. Augustini ad S. Martinum in Cathedra, nec non S. Tribunali, S. Ara ac aliis occasionibus deferri solita. Primus, munus Confessarii apud eas exercens, P. Ioannes Hueber extitit, an. 1549 ad hoc deputatus. Potiori ex parte viget hic No-

---

[1] De isto in sepulturis Conventus Suaz. redibit sermo.

[2] Hueber in Chron. col. 635. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 344. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 129 etc. 132. Monum. citata.

vitiatus, speciali aedificio, 14 Novitios capiente, instructus, aut in eius defectu Philosophia. Incolae sustentationem corporalem suis benefactoribus, diversis modis ad hoc confluentibus, in acceptis referunt. Sigillum eius exhibet S. P. Franciscum his in orbe exaratis literis: *Sigillum Guard. Conventus Suazensis* [1].

§ 6.

Conventus Reuttensis ad S. Annam.

92. Reutta, al. *Reuta*, quibusdam *Reuttinga*, vulgo *Reutte*, oppidum haud ignobile Comitatus Tyrolensis, Dioecesi Augustanae adscriptum, fluvio Lyco imminens, 9 mill. Germ. [2] Oeniponte, ac plus quam 2 horis Füessa dissitum, in limitibus circuli Suevici et Bavarici plantatum, *Alaudis* Austriacis in re temporali morem gerit. Pluribus cingitur munimentis; enimvero versus interiorem partem Tyroleos occurrit fortalitium, monti instratum, *Ehrenberg* dictum, Ecclesiola S. Nicolai instructum, ad pedem suum propugnaculum parvum, *Clausen* dictum, militaris Commendantis sedem recensens. Versus circulum Suevicum prostant duo muniti aditus, quorum unus *Kniepass*, alter *Roschlag* audit. Porro fortalitium Ehrenbergense, a Sebastiano Schärtl, Protestantium centurione, in bello Schmalkaldico an. 1546, et a Mauritio, Saxonico Electore, an. 1552 expugnatum, mox iterum ad legitimum rediit dominum. Bernardus, Dux Saxo-Vinariensis, Suecicus bellidux, an. 1632 coram eo oleum et operam perdidit. Miles Bavaricus an. 1703 die 6. Iulii (ex Monum. authenticis hoc certum manet) id subigens, mox a rustico Tyrolensi, arma capessente, inde exturbatus fuit. Quadrante ab oppido obviat locus, *Breitenwang* dictus, in quo Ecclesia Parochialis SS. Petri et Pauli Apost. cum quibusdam domibus moratur. In ipso oppido Ecclesia S. Annae cum Coenobio Franciscanorum assurgit, quorum origo in his stat [3].

93. Leopoldus, Archidux Austriacus, Caroli (lineae Austriaco-Styrensis satoris) filius, destinatus Episc. Argentinensis et Passaviensis, ad plurium instantiam pro conservanda Domo Austriaca factam, an. 1625 Romam ex animo Iubilaei thesauros lucrandi, Episcopatus resignandi et dispensationis

---

[1] Hueb. cit. col. 1000 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 343. Chron. cit. Prov. Tyrol. Monum. citata. Lackner cit., nec non fol. 34 etc.

[2] Pro his stat communis calculus viae huius peritorum, cui Scriptor, 10 assignans, cedere debet.

[3] Burglechner in Aquila Tyrol. M. S. Brandis in Corolla eius part. 2. p. 163. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 344. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 133. Mappae Geograph. Tyroleos. Monum. Conv. Reutt. Franciscan. Lex Basil. tit. Ehrenberg. Sleidanus fol. 233 ac 344 etc. Menck. t. 3. col. 1397.

favorem pro ineundo matrimonio assequendi movit. Illic moram ducens, de excellenti virtute V. Innocentii de Clusa[1] Siculi, Minoritae Reformati, Conventus S. Francisci de Ripa incolae, notitiam hausit. Intenso affectu in hunc servum Dei, qui communi elogio *Innocentius consiliorum* nuncupabatur, accensus, ipsum, ut plenius de sua resolutione firmaretur[2], adiit, et. s. benedictione petita, interrogavit, num ex statu Ecclesiastico ad matrimonium transeundo, iuxta Dei voluntatem et pro salute propria procederet? Reposuit: *Res est magni momenti, meam S. Seniculam* (ita ex devotionis excessu S. Annam, Matrem Deiparae, appellare consueverat, ratione huius etiam subin a « S. Anna » vocatus) *desuper consulam; interim Serenitas Vestra bono sit animo, et negotium hoc S. Annae in precibus commendet.* Facto hoc Archiduci insinuavit, *matrimonium Deo placere; ne vero hoc felicitate sua destituatur, opus esse, ut suam Seniculam devoto prosequeretur amore.* Archidux ab Urbano VIII. PP. vinculis suis exsolutus, in reditu Florentiae cum Claudia Medicea, Friderici Urbinatensis Ducis vidua, Ferdinandi I. Magni Tusciae Ducis filia, sponsalia, et tandem Oeniponte solennes nuptias an. 1626 celebrat, ex quibus Archiducissa Maria Eleonora, ceu primus fructus, an. 1627 prodiit. Serenissimus Pater, haeredem masculum anhelans, pro eius obtentione votum de Coenobio in honorem S. Annae pro Franciscanis Prov. Tyrol. Reuttae exstruendo fecit, et consensum Episcopalem, an. 1627 datum, pro eo obtinuit. Exsecutionem eius inchoaturus una cum uxore gravida an. 1628 Reuttam, locum Franciscanos anhelantem et pro novo Coenobio selectum, contendit, crucem, postquam eam prius adoraverat, non attenta nive largiter decidente, erexit, et primum lapidem pro structura die 15. Martii terrae immisit, inarata eidem hac epigraphe: *Ad honorem et gloriam SS. et individuae Trinitatis, honoremque gloriosissimae Mariae, et eiusdem beatissimae Matris Annae, atque SS. Confessorum Francisci et Leopoldi Serenissimi Archiduces Austriae Leopoldus et Claudia coniuges me posuerunt die 15. Martii 1628.* Inde Archidux ocius rediit Oenipontem, et die 17. fati mensis diploma fundationis, in fine N. Latine sistendum, expedivit. Deputati Archiducales totum fundum pro Monasterio, Archiducis munificentia comparatum, Episcopales vero Ecclesiam S. Annae Henrico Seyfrid, Prov. Tyrol. Ministro, die 20. Martii consignarunt. Archiducem pia devotio non fefellit; enimvero die 17. Maii[3] tacti anni in festo S. Paschalis de Baylon, quo lignorum caesio pro fabrica inchoata, Ferdinandus

[1] Oppidum hoc, vulgo *Chiusa* dictum, in Sicilia satum, viro huic in fama sanctitatis Romae an. 1631 mortuo, agnomen dedit.

[2] Prov. nostra, hoc ex ore Ser. Leopoldi habens, Protocollo suo ac Conv. Reuttensis inseruit. Scriptores plures hoc ipsum edicunt.

[3] Ex hoc luculenter patet, Archiducem erecta iam cruce in lucem editum esse.

Carolus, eius primogenitus, luci huic primum Ave dixit. Impigre dein structura continuata, et intra breve tempus in finem deducta est, primum Guardianum anno 1630 venerans [1].

Nos Leopoldus, Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Wirtembergensis, Princeps Sueviae, Marchio S. R. I. Burgoriae, Princeps Comes Habsburgicus, Tyrolensis, Pherretanus, Kyburgicus et Goritiensis, Landgravius Alsatiae, Dominus Marchiae Vindorum, Portus Naonis, et Salinensis etc. diplomate hocce publice testamur et notum facimus omnibus, quod, ubi perpendimus cordique alte infiximus, omnipotentem Dominum nostrum Creatorem et Redemptorem mortales nos homines hac in terra miseriarumque valle in sui memoriam creasse, atque ad suam gratiis refertissimam incarnationem, amaramque passionem, tormenta, et mortem adeptum ac promeritum fuisse, ut Fidelis quicunque, qui et gratitudini et bonis operibus studet, post hanc miseram et perituram vitam sedem extorrium Angelorum in aeterna illa vita consequi ac possidere valeat; nec non insuper eiusdem divinam clementiam Nostris laude et honore dignissimis protoparentibus, ac Nobis ipsis in omnibus Nostris terris haereditariis, tum maxime in Comitatu Tyrolensi, a quibusdam praecipue annis varias circa exortas calamitates benedixisse, tutelam suam modo mirifico impendisse, omnigenasque victorias de Nostris hostibus liberaliter elargitum fuisse: his, aliisque certis de causis statuimus ad maius multorum hominum Christianorum Nobis subditorum solatium, et salutem aliarum etiam animarum in grati ex aequo animi contestationem erga suam Maiestatem, ad laudis et divini Officii diu noctuque peragendi augmentum, Ecclesiam cum Monasterio in oppido nostro Reytti, territorii montis Ehrenberg, in hororem Sanctae individuae Trinitatis, Mariae purissimae immmaculataeque Virginis, Dei Genitricis, huiusque gloriosae Matris S. Annae, ac SS. Confessorum Seraphici Patris S. Francisci et Leopoldi aedificandam et erigendam curare atque eam fundare, et ordinare, ut in ea Venerabilis Ordo eiusdem S. P. Francisci iuxta praescriptum Regulae suae et normam Reformatam Provinciae Tyrolensis observetur, praetereaque secundum ritum Christianum, praesente quippe ibi Sacratissimo Corpore et Sanguine D. N. I. Christi, summum illud et maximum Sacrificium tractetur, aliaque Officia celebrentur, ac populo quoque Christiano S. Evangelium cum Verbo divino praedicetur et exponatur, exinde omnipotenti Numini beneplacitum, hominibusque Christianis pia exempla, doctrinam, institutionem, emendationem vitae, bonarum virtu-

---

[1] Hueb. in Chron. col. 708 etc. Lequil. in Genealog. Dom. Austr. part. 3. p. 396 etc. Cont. cit. t. 5. p. 344 etc. Chron. cit. p. 133. etc. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Reutt. Francisc. Petr. Ant. Venet. in Legend. Francisc. t. 12, die 15. Decembr. p. 240.

tum exercitium ac operum incrementum accedere sperantes; qua de re universa a suo dilecto Episcopo Augustano, huius loci Ordinario, Superiori spirituali, iuxta tenorem Concilii Tridentini adnutum et consensum impetravimus, hac tamen in ŏmnibus conditione, ut erectio ista, ordinatio et fundatio nunc et deinceps tempore futuro nulli unquam Domino, Parochiali Ecclesiae ad S. Petrum et Paulum in Praitewang in praeiudicium vergat, illeque indemnis maneat, ita, ut nihilominus personae ad eandem Parochiam pertinentes eidem devincti sint, et Christianum S. Baptisma cum aliis Sacramentis inde requirant, recipiant, ac cetera cuicunque Parocho debita, uti decet, praestent. Porro ut Guardianus cum Conventu, in destinatum Monasterium et Ecclesiam introductus ac institutus, dicto divino Officio eo quietius inhaerere eique persolvendo inservire valeant, statuimus, ordinamus et volumus Nos, ceu Archidux Austriae et Imperans Dominus, Princepsque territorialis Tyroleos et Regionum superioris Austriae, ex gratia speciali, ut per Nos Nostrosque Haeredes et Successores, Archiduces Austriae et Comites Tyrolenses etc., Fratres isti Franciscani Reformatae Regularis Observantiae hoc etiam in loco defendantur, protegantur et omnibus ac singulis gratiis et privilegiis uti ac frui possint, sicuti alia eorum Monasteria in haereditariis Nostris Principatibus et Terris sita, utuntur et perfruuntur, quin ipsa, aut qui ad illa pertinent, aequa ratione in iis impediri aut molestia affici queant ullatenus. Denique omnibus ac singulis, Principatibus Nostris et Terris haereditariis subiectis et fidelibus subditis, cuiuscunque conditionis, status et gradus ii sint, maxime vero iis ex territorio et ditione montis Ehrenberg et oppidi Reytti serio ac firmiter hisce literis praecipimus ac mandamus, ut praefinitam aedificationem et erectionem Conventus non solum non impediant aut perturbent, sed etiam quovis modo quam diligentissime eam adiuvent, promoveant et ad finem perducant; praetereaque Guardianum, hanc in Ecclesiam introducendum, cum Conventu et omnibus suis sub memorata gratia, tutela et defensione quiescere permittant, nec contra eum turbas, querelas offensiones et molestias excitent aut excitari admittant quocunque modo, si tamen cuivis cordi est, gravem Nostri offensam poenamque incurrendam evitare: immo ipsos potius ceu pios, ad bonum exemplum Religiosos optime sibi commendatos, habeant. Quae tenore praesentium serio decernimus, in quorum fidem hasce etiam literas sigillo Nostro Archiducali munimus, datas Oeniponte 17. Martii post Christum Dominum nostrum Salvatorem natum, an. 1628.

LEOPOLDUS

IOAN. LINDNER.

[L. S.]

Ad Mandatum Serenissimi Domini Archiducis proprium
SCHAMPRECHT *mppr.*

94. Celsiss. Princeps D. D. Henricus de Knöring, Episc. Augustanus, an. 1631 die 2. Iulii Altare maius novo consecrationis beavit favore. Sueci, Reuttae an. 1632 apparentes, varias res Ecclesiae, totam supellectilem culinae, ac cooperimenta stratorum surripuerunt, ac fornacem refectorii cum multis fenestris everterunt. Fatus Reverendiss. Episcopus peristylium an. 1634 die 6. Sept. benedixit. Sereniss. Claudia, Austriae anterioris Gubernatrix, an. 1635 indulsit, ut 50 libris olei, quas Sereniss. Archid. Leopoldus Conventui annuatim dari an. 1628 iusserat, semper plures[1] addantur, et an. 1637 ratione lignorum decretum benevolum exaravit. Nob. D. Ioannes Bapt. Trueffer, legionis Wolckensteinianae Vice-Colonellus, cum Suecis in Saxonicis partibus certamina initurus, votum fecit in honorem S. Francisci, quod, si faustis aquilis cum cornu sinistro sibi commisso sit pugnaturus, Conventui Reuttensi centum florenos per modum eleemosynae subministrare velit. Exin hostem generose adoritur, in fugam vertit et rediens, uti acta an. 1637 dant, votum ad amussim exsequitur. Fata Serenissima an. 1638 difficultates, ex iuribus Parochialibus obiectas, sustulit. An. 1671 Chorus ex inferiori tractu ad superiorem translatus est, sacristia sub ipso exstructa. In incendio, ante irruptionem militis Bavarici in domo alicuius civis an. 1703 die 22. Maii exorto, notabilis pars oppidi et ipsum Coenobium cum Ecclesia, s. supellectili et bibliotheca in bustum resederunt. Vulneri huic medelam attulit Augustissima Domus Austriaca, ex Camera Oenipontana largum subsidium praestans, ex quo ac aliorum benefactorum suppetiis Conventus et Ecclesia novum esse obtinuerunt. An. 1740 variorum benefactorum benefica manus Chorum supra Oratorium Austriacum ad ingressum Ecclesiae excitavit; istum nova infirmaria, expensis strenui D. Iacobi Amon an. 1744 congesta, excepit. An. 1748 strenuus D. Franciscus Strelle Conventui 600 florenos partim gratis, partim cum onere Missarum transcripsit. An. 1749 eleemosyna Austriaca, in subsidium Conventus antiquitus decreta, novum robur retulit. An. seq. Augustiss. Regina M. Theresia ratum habuit beneficium Austriacum, ex aerario Camerae Oenipontanae a pluribus annis Conventui pro eius ac Ecclesiae conservatione iam in suis cunabulis impensum[2].

95. Ecclesia Conventus S. Annae sacra, eius sacra Reliquia ditata, in moderna figura an. 1706 inchoata fuit, lapide primo perillustri DD. Barone Ioanne Gaudentio de Rost sub Iosepho I. Imperat.[3] die 16. April. posito, anniversarium dedicationis Dominica ante Festum S. Matthaei Ap. celebrare solet. Ecclesiola prima S. Annae, Reuttae erecta, sua initia adscribit

---

[1] Verisimilius 30; enim vero an. 1661 tot dabantur.

[2] Cont. cit. p. 345. Chron. cit. p. 137. Monum. cit.

[3] Neutiquam Leopoldo I., utpote iam an. 1705 exstincto.

S. Nicolao de *Flüe*, Helveto, vulgo *Bruder Klaus*[1] nuncupato, ad cuius exhortationem, in transitu factam, Reuttenses eam erexerunt, et devote frequentarunt. Ista exin a D. Georgio Gessenbrodt turri et fornicibus provisa, a Domino territorii in formam iusti Templi traducta, denique a Praenob. D. Burckhardo Lagmann de Libenau, tunc temporis Commendante, ac Dynastiae Ehrenberg Praefecto, picturis et aliis mediis an. 1506 exornata fuit, acerbe una cum aliis Ecclesiis fatae Dynastiae dolens, quod in irruptione bellica an. 1552 monumentis suis authenticis exuta fuerit. Dolorem hunc abstersit gaudium ex devolutione ad Prov. Tyrol., et nova ac ampliori structura natum. Coarctat 4 Altariola an. 1714 die 20. April. una cum Ecclesia a Reverendiss. D. D. Ioanne Casimiro Roll, Vicario Generali et Suffragan. Augustano, Ep. Amniaeclensi, consecrationis honore excepta; maius S. Annae devotum, quotidiano privilegio pro defunctis fruitur; coram eo lucet lampas argentea, ab excellentis. D. D. Generali Rost appensa. E cornu Evangelii obviat Ara S. Francisci Stigmatizati; e cornu Epist. vero Ara B. V. Mariae, nec non Ara S. Antonii Patavini, corpore S. Constantii M. decorata. In Ara infirmariae, non consecrata, S. Iosephus, et in Ara domus Capitularis, eodem favore destituta, S. Franc. Seraph. coluntur. Pro salute fidelium in vigore hic stat: 1. Archi-Confraternitas Chordigerorum, paulo post ortum Coenobii introducta. 2. Archi-Confraternitas S. Scapularis Mariani, anno in Protocollo non expresso, inchoata. 3. Verbum Dei a Concionatore Dominicali, Festivali ac speciali Catechista explicatum. 4. Servitia spiritualia militi praestita. 5. Via S. Crucis circa an. 1732 erecta. In eo subin studium Philosophicum, subin Theologicum, subin Novitiatus sedem habet. Sustentatio Fratrum, numero 25 circiter, charitati benefactorum, praesertim Augustiss. Domus Austriacae, adscribenda venit. Sigillum S. Annam, B. V. M. Matrem, exprimit cum verbis: *Sigill. Guard. Convent. S. Annae Reuttae*[2].

§ 7.

Conventus Füessensis ad S. Stephanum Proto-Martyrem.

96. Füessa, al. *Fiessa*, olim, uti quidam opinantur, *Abusiacum, Abudiacum, Abuzacum*, Germ. *Füessen, Füssen*, civitas circuli Suevici, Episcopo Augustano, S. R. I. Principi in re temporali et spirituali[3] sub-

---

[1] Divus hic cultu publico in Dioecesi Constantiensi et Helvetica donatus, iuxta Proprium Constant. an. 1487 vitam temporalem cum aeterna commutavit.

[2] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 345. Chron. cit. p. 134 etc. Monum. citata.

[3] Ex hoc luculenter deducitur, quod classi civitatum Imperialium attribuenda non sit, utpote quae sui iuris sunt.

strata, ultra duas horas Reutta, et 8 Campidona[1] elongata, ad fines circuli Bavarici ac Comitatus Tyrolensis, in Algovia[2] castrametata est. Lycus, undis suis istam alluens, in conspectu eius intra rupes arctissimo coercetur alveo, et ita quidem, ut quasi ex faucibus erumpere videatur. Exin civitas subin *Faucena*, nec non *Fauces Iuliae* nuncupari consuevit; ethymologia ultima a Iulio Caesare, viciniam hanc in bello Germanico transeunte, et equo suo, ni fallat nos traditio, ab una rupe ad aliam supra fatum fluvium insiliente, venit. Infra fatas fauces cataractae primae Lyci, rates in magnum indigenarum et advenarum commodum dorso suo sustentantis, occurrunt. Montes civitati accubantes, albo et nigro marmore passim turgent. Inter eos caput altius effert mons *Sailing*, prope quem balneum naturale, quo, uti fertur, Iulius Caesar usus est, frequentatur. Civitatem exornant arx Episcopalis, et Monasterium S. Magni, antiquitate et maiestate praestans, munera Parochialia exercens. In fine Ecclesiae Parochialis Benedictinorum cella subterranea S. Magni, Algoviae Apostoli, in Capellam mutata, ac ferreis cancellis instructa, occurrit. Gradus quosdam decori eius Coenobium Franciscanorum, Ecclesia S. Stephani Proto-Martyris ditatum, nec non Ecclesiae ad Praesepe Domini, S. Spiritus in Hospitali, S. Viti in Arce, S. Sebastiani ad Coemeterium et S. Mariae in Monte addunt. Civitas in bello Schmalkaldico an. 1546, in Suecico an. 1632, 1633 et 1646 ab hostibus expugnata, dira subiit fata. An. 1745 in ea pax inter Augustissimam Domum Austriacam, Bavaricam, ac ceteros status Imperii Romano-Germanici coaluit[3].

97. Füessa (inclyta Societate Iesu stationem suam, ab non 1611 habitam, an. 1627 solvente, et Kaufburae novam eodem an.[4] XIII Calend. Sept. obtinente) Provinciam Tyrolensem convenit, ut ex suis alumnis Concionatorem in rostro Parochiali, in quo prius Iesuita peroraverat, sistat. Sors cecidit supra Fridericum Geiler, Coenobii Reuttensis Praesidentem, qui per medium annum Reutta Füessam pergens, civium animos ita sibi conciliavit, ut Franciscanorum introductionem anhelarint, et ista a Celsissimo Principe Henrico de Knöring, Episc. Augustano, abs mora decreta fuerit. An. 1629 die 11. Sept. generos. D. Wolfgangus Simon Baro de Ramerstall, Füessae Castellanus Episcopalis, Archiducis Leopoldi, Alberti Bavariae ac fati Episcopi Consiliarius, ex istius commissione claves et Ec-

---

[1] Hoc ipso graviter deficit quidam scriptor, Campidonam cum Füessa combinans.

[2] Per istam venit terrae tractus, potissima ex parte inter Lycum et Illeram conclusus, ab utriusque fontibus usque Memmingam extensus.

[3] Continuat. Orb. Seraph. t. 5. p. 345. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 139 etc. Mencken t. 3. col. 1394. Zeill. in Chron. Suev. p. 268 etc. Lex Basil. Monum. Conv. Füess. et Prov. Tyrol. Franciscan. Charte circuli Suev., et alii.

[4] Iuxta Hist. Prov. Germ. super. S. I.; unde scriptores, an. 1628 allegantes, de structura actuali, aut in alio sensu explicandi erunt.

clesiam ipsam una cum fundo pro structura Coenobii Franciscanis Prov. Tyrolensis solenni ritu in praesentia plurimorum tradidit. Exin fabricae Coenobii et Ecclesiolae, cuius Chorus ampliatus et pars posterior noviter exstructa, prima manus admota est. Coelum aedificium acceleravit; enim vero durante structura spatium loci, arenam suppeditans, semper siccum mansit, senibus loci edicentibus, hoc se nunquam per dies vitae observasse. Rupes quaedam praealta, Füessae vicina, nulla fissura persecata, intempesta nocte decidit, et abundantes lapides (hoc non facto, a loco tribus horis dissito adducendos) praebuit. Lapis subito solutus directe versus Fr. Massaeum Laicum et aurigam praeceps actus, utroque cum curru et equis incolumi, pertransiit. Fabrica ad colophonem expensis Reverendiss. et Celsissimi Episcopi ac Principis Henrici de Knöring an. 1631 deducta, hic ipse an. eodem Dominica ante Festum S. Michaelis Ecclesiam ac Aram summam in honorem S. Patris Francisci Seraphici, S. Stephani Proto-M. et S. Henrici Imperatoris, nec non spatium pro sepultura Fratrum selectum, inter Ecclesiolam et muros civitatis situm, consecravit. Favorem hunc eodem die Reverendiss. D. Sebastianus Molitor, Episc. Adromitanus, Suffrag. Augustanus, Aris lateralibus impendit, unam e cornu Evangelii repositam SS. Simoni, Wolfgango, S. Annae et Margarethae dicans, alteram vero, e cornu Epistolae locatam, B. V. Mariae devovens; en diploma fundatoris ex idiomate Germanico ad Latinum traductum [1].

Nos Henricus, Dei gratia Episcopus Augustanus, notum facimus, quod Nos perpenso beneficio creationis, redemptionis, ordinationis ad aeternam patriam, et protectionis in tot calamitatibus Germaniam nostram obruentibus, nec non ex aliis motivis decreverimus, ad Dei beneplacitum, bonum Nostrum et animarum Nobis concreditarum, ad gratitudinem Nostram prodendam, et honorem Dei ampliandum, Coenobium in Nostra civitate Füessa in honorem SS. individuae Trinitatis, Mariae Virginis Immaculatae, S. Proto-Martyris Stephani, S. Francisci et S. Henrici Imperatoris erigere, fundare, et ordinare, ut in eo Regula Seraphica iuxta mentem S. P. Francisci et Constitutiones Prov. Tyrol. Reformat. rite servetur, SS. Missae sacrificium devote offeratur et verbum Dei proponatur, spe firma lactati, hoc in honorem et beneplacitum Dei, et bonum maximum Christianorum cessurum. Volumus tamen, ut haec erectio et fundatio nec de praesenti, nec de futuro iuribus Parochialibus obsit; unde Parochiani pristino subiaceant Parocho, ab eo Baptismum et alia Sacramenta recipiant, et obsequia eidem debita ad amussim praestent; ut autem Guardianus et Fratres Coenobio immittendi, Officio divino

[1] Hist. Prov. sup. S. I. Parte 4. Decade 8. n. 176. Decade 9. n. 435 et seq. Huebcr in Chron. col. 709 et 930. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 345 etc. Chron. cit. p. 143 etc. Monum. citata. Lex. Basil. Kham. part. I. p. 393. Suev. Eccles. p. 330 etc. ac 454.

maiori cum quiete vacare queant, ex speciali gratia ceu actualis Princeps et Episcopus volumus et ordinamus, ut Franciscani hi Reformati per Nos, Nostrosque Successores in hoc loco defendantur, et omnibus gratiis ac privilegiis, quibus talia Monasteria Nostrae Diocesis, aut Reformatae Provinciae Tyrolensis S. Leopoldi gaudent, fruantur, et nullo modo in his offendantur. Denique omnibus et singulis Nostris subditis et devotis cuiuscunque status et conditionis, praesertim Nostrae Dynastiae Füessensis, serio et firmiter hoc diplomate mandamus, ut mentionatis Patribus non tantum nullum impedimentum in structura Coenobii ponant, sed insuper omnem operam ad eandem impendant; ut Ministrum Provincialem, Guardianum, Fratres Claustrum inhabitaturos ac alios in suis gratiis tueantur, nec in his affligi permittant, Nostram indignationem, hoc non facto, et poenam incursuri; quin eos ceu pios ac exemplares Religiosos sibi intime commendatos habeant. Serio hoc volumus praesentibus literis, Nostro sigillo Episcopali signatis. Dilingae 1629.

98. Sueci, Füessa an. 1632 occupata, Coenobium hoc, a Fratribus derelictum, expilarunt. Iidem crucem, qua P. Henricus Seyfrid in solemni receptione Sacelli S. Stephani est usus, in ignem miserunt. Ea exin non combusta, et unice quasdam pustulas ad instar humani corporis adusti, protrudente, in admirationem et confusionem abiere. Profugi Fratres, Suecis eodem adhuc anno Füessa amotis, Conventum repetentes, Ecclesiae muros et fornicem densa fuligine ob focum ab hostibus in ea accensum, obductos, dealbare decreverunt. Manus altioris ordinis nocte, diem pro hoc labore electum praecedente, hoc anticipato praestitit. Reverendiss. Suffraganeus Augustanus, n. priori tactus, tria Ecclesiae Altaria, a Suecis violata, novo consecrationis favore an. 1633 excepit. Anno 1635 locus sepulturae primae abolitus utpote nimis saxosus, et ambitus Monasterii ad hunc finem consecratus fuit. Serenissimus Archidux Austriae Sigismundus [1], Episcopus Augustanus, eleemosynam annuam, a fundatore an. 1630 designatam, post eius mortem subin omnino non, subin tantum diminute datam, ad pristinum statum an. 1657 reduxit. Sereniss. ac Reverendiss. Alexander Sigismundus, Ep. Augustanus, Dux Palatino-Neoburgicus, hortum ad maius spatium an. 1699 extendit. Intra an. 1712 et 1714 novus cellarum tractus eidem accrevit. Ecclesiae veteri, ob nimiam arctitudinem dirutae, successit nova et amplior, per lapidem primum, an. 1763 die 5. Maii positum, inchoata, et ex subsidiis diversorum benefactorum, praesertim Francisci Schindelin et Elisabethae uxoris eius, an. 1765 substanlialiter consummata [2].

---

[1] Extitit filius Leopoldi Archiducis et Claudiae Florentinae, an. 1646 ad Cathedram Augustanam ascendens, et an. 1665 eam resignans.

[2] Hueber. cit., nec non col. 809. Suev. Eccles. p. 331 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 346. Chron. cit. p. 144 etc. Monum. citata.

99. Ecclesia, S. Stephano Proto-Martyri addicta, anniversarium dedicationis ultimae, a Reverendissimo D. Francisco de Adelman de Adelmansfelden, Ep. Mactariensi et Pro-Ep. Augustano, an. 1767 die 11. Octobris ad effectum deductae, Dominica secunda Octobris celebrat. Füessenses tradunt, quod Capella, in cuius fundo excitata est, olim prima loci Parochia extiterit; licet traditioni huic positivum suffragium dare nolim, attamen sentio, quod in ea olim Parochialia fuerint producta munera. Iudicium hoc suggerunt lampas coram Sanctissimo ante introductionem Franciscanorum ardens, Baptisterium et Cathedra in ea morantes, coemeterium, ossiarium, aedes Parochiales eidem adiacentes, ac anniversaria fundata. Moderna Ecclesia, an. 1763 ampliata, coarctat quatuor Altaria, videlicet summum, (quotidie privilegiatum) S. Stephani Proto-Martyris, et tria minora, nempe B. V. Mariae, S. Antonii Patavini et Iesu Cruci affixi. In ea quiete sua fruitur corpus S. Rosulae Martyris, proprio nomine insignitae, ex coemeterio Calixti ab Em. Casparo de Carpineo, Cardinale et Ep. Sabiniensi, extractum, et an. 1705 expositum. Asservantur quoque hic particula S. Crucis, et Reliquiae diversorum Sanctorum, nempe S. Ambrosii Ep., Antonii Patavini, Laurentii M., Blasii Ep., Theresiae, Stephani et aliorum. Pro salute animarum faciunt tertius Ordo S. Francisci, Conventu vix erecto introductus, Archi-Confraternitas S. P. N. Francisci, an. 1634 hic locata, Archi-Confraternitas S. Michaelis Archangeli, Monacensi adiuncta, Confraternitas viae Crucis, an. 1762 erecta, verbum Dei a duobus Concionatoribus, uno Parochiali diebus Dominicis ac festivis, altero Conventuali in Ecclesia Conventus in Dominicis menstruis et quibusdam aliis, propositum, et via Crucis, an. 1732 erecta. Viget hic subin Philosophia, subin Theologia. Fratres 26 circiter aluntur ex sacra eleemosyna, ex diversis fontibus manante, speciali gratitudine Reverendiss. fundatorem eiusque successores ob annuam eleemosynam et loca, collecturae ab iisdem attributa, excipientes, ac domo praxatoria instructi. Sigillum Conventus praesentat S. Patronum eiusdem sub his verbis: *Sigil. Guard. Conv. B. Stephani M. Füessen*[1].

§ 8.

Conventus Caldariensis ad S. Claudiam.

100. Caldarium, vulgo *Kaltern*, oppidum si non formale, certe ob suam extensionem et alias dotes, aequivalens, caput Dynastiae[2] Caldariensis, in regione Athesina, Comitatus Tyroleos, sub ditione Austriaca ac

[1] Cont. Orb. Seraph. mox cit. Chron. cit. p. 143 etc. Monum. citata.
[2] In sensu Tyrolensium *Gericht*.

Dioecesi Tridentina, ad radices montis Anauniensis [1] quiescit. Coadunatur ex pluribus pagis, videlicet: *Maiori*, attributive *Caldarium* vocato, Primatum et Parochiae Decanalis ad B. V. Assumtam sede; *Medio* ad S. Catharinam; *Supremo* ad S. Nicolaum; pago, *Pfus* dicto, ad S. Rochum, ac alio ad S. Antonium. Ab isto intra spatium quasi unius horae devenitur ad pagum, *Altenburg* dictum, ad S. Vigilium, infra quem in colle petroso Ecclesia antiquissima ad S. Petrum considet, solo ponte praealto lapideo, super subiectam vallem ducto, adeunda. Ad pagum *Maiorem* revocatur Coenobium Franciscanorum cum Ecclesia S. Claudiae, uti et Domus Tertiariarum cum Ecclesia B. V. Immaculatae, et Oratorio S. Elisabethae Hung. sacro, viatori a pago *Maiori* ad *Medium* digresso obviantes. Lacui Caldariensi, hora Caldario semoto, accumbunt vineta, generosum vinum parturientia. Athesis inter Caldarium et Bulsanum, loca tribus fortibus horis ab invicem seiuncta, fluctus suos volvit. Olim Caldarium proprios suspexit Dominos, agnomen a loco mutuantes, quorum unus August. (aliis Augustinus) ludis equestribus, Rottenburgi ad Tuberam an. 942 habitis, interfuit. Exin Dominis de Rottenburg, ac tandem Domui Austriacae, per Dominos subordinatos illud moderari solitae, obvenit [2].

101. Caldarium Reformatos Provinciae Tyrolensis a P. Alphonso Storck a Friburgo, Conventus Füessensis Guardiano, adductos, et in domo benefica Graiffiana locatos, an. 1638 excepit. Serenissima Claudia, Archiducis Leopoldi vidua, Gubernatrix Tyroleos ac ceterarum Regionum Austriae anteriori adscriptarum, an. eodem die 30. Iulii consensum dedit, et adversariis variis, introductionem impedire conantibus, intrepidum frontem obiecit, alicui eorum reponens: *Pater mi! consensum iam dedi, quo si offendi vos, non offendi Seraphicum Patrem, quia ibi manebunt Franciscani mei.* An. 1639 die 29. Maii crux in signum possessionis iuxta antiquam arcem *Rottenburg* [3], ruinam minantem, Fratribus cum parte pratorum adiudicatam, solemniter erecta fuit. Actum hunc an. 1640 die 27. Martii solemnis positio primi lapidis a Reverendiss. et gratiosiss. D. Ioanne Henrico Altstetter, Canonico Wratislaviensi, Decano Athesino, et Parocho Caldariensi, Commissario Sereniss. Claudiae et Celsissimi Caroli Emmanuelis Comitis a Madruz, Episc. Tridentini, speciali maecenate Fratrum, ad effectum deducta, excepit. An. 1642 die 22. April. [4] locum habuit prima positio lapidis pro Ecclesia, per eandem manum exsecutioni mandata; in Festo

---

[1] Vocatur communiter *Nonsberg*, et a copia arcium celebris est.

[2] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 347. Chron. Prov. Tyrol. Reform. p. 147 etc. Brandis in Aquila Tyrol. part. 2. p. 156. Mappae Geograph. Tyroleos. Lex. Basil.

[3] Non confundatur cum arce huius nominis, in valle Oenana inferiori sita, ad eandem olim familiam spectante.

[4] Pro hoc die Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Caldar. Franciscan. stant.

vero S. Didaci, die 12. Nov. eiusdem an.[1], Fratres in Coenobio, ex subsidiis variorum benefactorum substantialiter expleto, stationem fixerunt. Anno 1643 die 2. August., in Festo Portiunculano, in Ecclesia primum Sacrum et prima concio dicta, die 27. Sept. Residentia Caldariensis ad Conventum formatum a Maioribus Provinciae elata, praelibatus Alphonsus primus Guardianus constitutus, et die 11. Oct. Ecclesia a Reverendiss. D. Antonio Crosina, Episc. Bellinensi et Suffrag. Brixinensi, in honorem S. Claudiae V. et M. s. liquoribus perlinita fuit[2].

102. An. 1657 ratione aquaeductus, ad Conventum derivati, de quo pars aquae an. priori civibus Caldariensibus relicta, inter istos et illum transactio, conservationem concernens, cusa est. An. 1660 Nobilis Domina Veronica Troylin de Troyburg, vidua, Ecclesiam Conventus lumine perpetuo, coram Sanctissimo arsuro, instruxit. Fulmen, an. 1684 die 17. Aug. noctu per varia loca Ecclesiae ac Conventus volitans, plurimas res perdidit ac adussit, icone ter amabili S. Antonii et velamine subtilissimo, eandem tegente, nec non imagine sat speciosa S. Petri de Alcantara, quadratis regulis inclusa (esto, istam in terram regulis totaliter dilaceratis prostraverit), ad stuporem omnium illaesis. Plures ex communitate Caldariensi an. 1711 die 18. Aug. circa horam undecimam antemeridianam parvum lumen in superficie turris Conventus oculis suis usurparunt. Hac ipsa die horribilis tempestas, repetitis vicibus rediens, plura damna frugibus terrae ac domibus in vicinia intulit, Caldario ab omni malo per Dei gratiam conservato. Ex variorum benefactorum charitate an. 1722 Chorus ab Ara summa ad ianuam Ecclesiae translatus, 1723 nova infirmaria exstructa, an. 1730 domus, Conventui vicina, coemta, et isti 1731 extradita fuit. Via Crucis, praemissa praevia promulgatione, a Conventu et ingenti incolarum Caldariensium an. 1742 tempore siccitatis prolixae peracta, repentinas pluvias[3], in solo territorio Caldariensi defluas, e coelo accersivit. Diversae personae an. 1747 circa tempus, quo solemnitas canonizationis S. Petri Regalati, gloriosi stemmatis Observantium surculi, celebrata, ad eum recurrentes optatam sanitatem, uti authentica testimonia dant, recuperaverunt[4].

103. Ecclesia, S. Claudiae V. et M. sacra, Festum Patrocinii die 18. Maii, anniversarium vero dedicationis, de qua n. 101. actum, Dominica post Octavam S. P. Francisci celebrat. Ad specialem decorem eiusdem facit imago S. Antonii Patavini, hic in tanta copia miraculorum et beneficiorum

---

[1] Evincitur ex mox cit. Monum.

[2] Hueb. in Chron. col. 729. Cont. Orb. Seraph. iam cit. Chron. Prov. Tyrol. p. 148 et 150. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Caldar. Franciscan.

[3] Ingressum habuerunt in ipso actu continuato, esto inchoatus fuerit coelo vix non in integrum sereno.

[4] Monum. citata.

coruscantis, ut Ecclesiae parietes excipiendis tabellis votivis pares non sint. Homines in maxima copia, ex dissitis etiam terris advolant, et diversae sortis gratias impetrant; unde in proverbium abiit: *Qui Patavii gratiam petitam non obtinet, pergat Caldarium.* De miraculis huius Sancti ab an. 1666 usque ad an. 1688 P. Franciscus Caccia, Prov. Austriae alumnus, in libro, *antiquo-novum Oraculum et Miraculum* vocato, agit. Conventus iconem eius in acceptis refert Praenobili D. Christophoro Udalrico a Pach, Iurium Doctori, Patavii eam comparanti, et per intercessionem huius Divi inimicum vitae insidiantem, an. 1638 effugienti. Altare maius quotidie privilegiatum, et S. Claudiae V. et M. sacrum, in forma priori an. 1650, in moderna vero 1753 surrexit, et 1758 ultimatam perfectionem retulit. E cornu Evangelii obviat Ara B. V. Mariae expensis D. Rudolphi Ruedl an. 1643 extructa, an. 1758 ad praesentem formam traducta. E cornu Epistolae adest Ara S. Antonii Patavini, miraculosae imaginis huius Divi sedes, an. 1643 sumptibus fati Domini de Pach excitata, ad modernam formam an. 1758 elata, coram qua 7 argenteae lampades radios suos dispergunt. In infirmaria Ara S. Iosephi visitur, consecratione carens. Inter Reliquias speciales, in Ecclesia hac exstantes, particula S. Antonii Patavini, Fer. III. devotioni fidelium prostans, et S. Crucis veniunt. Media, fideles ad merita acuentia sunt: Archi-Confraternitas S. P. Francisci, paulo post ortum Conventus introducta, verbum Dei in Ecclesia Parochiali ab an. 1659 certis diebus Dominicis et festivis, et in Ecclesia Conv. singulis mensibus semel, subin saepius explanatum, et via Crucis an. 1730 plantata. Sepultura Fratrum in navi Ecclesiae locum habet. Exstat hic a potiori Philosophia, subin Novitiatus, aut Theologia Moralis. Fratres, quorum 25 circiter Conventum incolunt, benefactoribus suam sustentationem adscribunt. Sigillum maius Conventus obiicit S. Claudiam V. et M. his in orbe exaratis literis: *Sigill. Guard. Conventus Caldariensis;* minus haec verba numerat: *Sigill. Guardiani S. Claudiae Caldariensis*[1].

§ 9.

Conventus Halensis ad S. Mariam Angelorum.

104. Hala, Germ. *Hall,* aut, ut distinguatur ab aliis civitatibus huius nominis, *Hall im Innthal*, civitas inclyta Tyroleos in valle Oenana inferiori ad Oenum sata, unico mill. Germ. Oeniponte et duobus Suazio remota, intra limites Dominii temporalis Austriaci, et spiritualis Brixinensis constringitur; locus hic antiquitus proprios Dominos, Comites Aquipolenses

---

[1] Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. Reform. p. 148 etc. Monum citata.

seu Wasserburgenses [1], nec non Halenses nuncupatos, recensuit. Ex favore Ottonis III., Ducis Meraniensis, ad dignitatem civitatis an. 1303 [2] ascendit, variis subin privilegiis a Principibus Tyroleos donata. In re temporali magnum lucrum ex duabus solemnibus nundinis, ex Oeno merces et res alias tum advehente, tum devehente; ex officina Monetaria, aquae ductu animata; ex sale in magna copia concocto; ex via publica viatoribus in diversas terras migrantibus, inserviente; ex Regio Parthenone et Parochia, varios Officiales sustentantibus, ac aliis titulis haurit. Ad felicitatem spiritualem variae Ecclesiae tum Cleri saecularis, tum status Religiosi viam sternunt; primatum tenent Ecclesia S. Nicolai Parochialis, numerosis Reliquiis a Waldaufio de Waldenstein, Maximiliani I. militari Duce, allatis, instructa; B. V. Mariae Visitantis, Regio Parthenoni, a Ferdinando I. Caesare et Magdalena eius filia fundato, adscripta; Omnium Sanctorum, olim Iesuitarum; S. Mariae Angelorum Franciscanorum, S. Sebastiani Clarissarum, S. Spiritus in Hospitali. Succedunt Ecclesiae minoris momenti, nempe: S. Georgi in officina Monetaria, B. V. Mariae Desponsatae in domo Salinaria, SS. Salvatoris, B. V. Mariae Assumtae, S. Iosephi, S. M. Magdalenae, S. Iacobi Maioris, S. Viti M. in coemeterio, S. Ioannis Evangelistae in Scharenstein, B. V. Mariae versus Absomium, S. Rochi in Thurnfeld, S. Leonardi, B. V. Mariae Lauretanae, Parochiae Thaurensi inserta. Iuventus studiosa olim excolebatur per Gymnasium, sua aula, Congregatione, Convictu et aliis necessariis instructum, modo sublatum. Porro civitas haec, in superiorem (colli iniectam), et inferiorem (in plano positam) secata, an. 1247 ab Ottone II., Meraniensi Duce, occupata, et Comitibus Wasserburgensibus erepta, in bello an. 1411 inter Domum Austriacam et Bavaricam fervente, varia damna, et a terrae motibus in prioribus saeculis graves assultus sustinuit. An. 1703 militi Gallo-Bavarico cessit; mox iterum a rusticis occupata, ab iisdem nec non civibus strenue contra eum defensa [3].

105. Operae spirituales a Franciscanis Prov. Tyroleos, Conv. Suazensis Incolis, intra an. 1509 et 1635 in Cathedra, Confessionali et aliis occasionibus, quadragesimali et alio tempore Halensibus delatae, istis desiderium eos habendi instillarunt. Istud ad primum effectum deduxit Nobilis Dominus Pantaleon Schiestl a Leichtenthurn, domum suam *Scheibenegg*, vi-

---

[1] Nomen hoc fluit a *Wasserburgo (Wasserburg)*, Bavariae civitate, ripae Oeni adiecta.

[2] Annus hic correspondet Ottoni, Fratri Henrici, Regis Bohemiae, iuxta Megis. an. 1310 mortuo; unde an. 1102, a quibusdam assignatus, eliminandus venit.

[3] Mohr in Chron. M. S. Tyroleos. Burglechner in Aquil. Tyrol. M. S. Brandis in Corolla eius part. 2. p. 132 etc. Granelli in Topograph. German. Austr. aucta part. 1. p. 232 etc. Hueb. in Chron. col. 734. Lex Basil. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 347 etc. Chron. Prov. parv. Prov. Tyrol. Francisc. p. 151 etc. Megiserus p. 491. Catalog. Dioec. Brixin. et alii.

triariam, vulgo *Glashütte* vocatam, Fratribus an. 1635 die 11. Maii consignans; simultaneam opem Sereniss. Claudia, Gubernatrix Austriae anterioris, die 5. Iulii consensum dans et cives Halenses ad introductionem Franciscanorum animans, adhibuit. Effectus an. eodem [1] die 27. Iulii, consensu Ordinarii obtento, in Festo S. Pantaleonis M., quo crux in signum possessionis apud fatam domum solemniter fixa, correspondit. Provincia, re severiore trutina ponderata, agnovit, locum, utpote a fluvio Oeno et eius brachiolo circumscriptum, eius inundationibus expositum, ac nimis palustrem pro structura Conventui non quadrare; proin operam alium fundum acquirendi navavit. Adversarii quidam, sinistro hoc intuiti oculo, haud levem sarcinam querelarum contra Fratres coagularunt, et Sereniss. Claudiae stiterunt. Haec illam sine apertura vulcano dicavit, adiunctis his verbis: *Nolo munus Doctoris contra S. P. Franciscum suscipere.* Fratres difficultatibus variis superatis fundum in *colle anserum,* vulgo *Gänsbühel,* Nobili viro Iacobo Gienger substratum, a Syndico Apostolico haud exiguo pretio coemtum, an. 1643 adepti sunt. Illustriss. Dominus Ioannes Michael Schmaus [2], Camerae Oenipontanae Praesidens, nomine Sereniss. Claudiae primum lapidem angularem pro Ecclesia Conventus an. 1644 die 8. Octobr. in praesentia numerosa Personarum status Ecclesiastici et Politici iecit, Reverendiss. D. Benedicto, Abbate *montis S. Georgii,* Pontificalia munia cum musica Regii Parthenonis obeunte, et P. Felice a Brandeburgo sub dio e Cathedra dicente. Lapidi haec illata fuere verba: *Nomine Serenissimae Claudiae, Archiducis Austriae, Illustriss. D. Ioannes Michael Schmaus, Camerae Archiducalis Praesidens, me posuit anno Domini 1644 die 6. Octobris.* Dignitatem fundatoris sibi vindicavit Illustriss. D. Georgius ab Ettenhart, S. R. I. et Calatravensis [3] Eques auratus, Ærarii cruciatae in Regnis Hispaniarum Praefectus, quinque florenorum millium in aedificium expendendorum elargitor, specialibus favoribus spiritualibus a Provincia exceptus. Isto an. 1648 die 17. Ianuarii in Hispaniis vita functo, tintinabulum Conventus hora antelucana fati diei in fortes pulsus exiit. Porta aperta nemo pulsans inventus, nec ullum hominis aut pecudis vestigium, esto nix recens ceciderit, detectum fuit. Ratione huius, nuntio mortis adveniente, Fratres sat fundate iudicarunt, quod haec ad indicandam mortem fundatoris altior manus praestiterit. Loco eius opus ad perfectionem promovit D. Enghelhardus ab Ettenhart, fundatoris frater. Reverendiss. D. Jesse Berckhofer, Suffrag. Brixinensis, an. 1648 die 12. Iulii Ecclesiae ac eius Aris, fato fratre fundatoris, Ferdinandi Caroli Archiducis Consiliario, prae-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. annum hunc assignant; unde an. 1636 exclusus manet.

[2] Evincitur hoc ex inscriptione, lapidi angulari inarata.

[3] Ordo istorum Equitum a Sancio, Hispaniae Rege, circa an. 1158 fundatus fuit.

sente, consecrationem impendit; Congregatio vero media Oenipontana Residentiam Halensem ad dignitatem formalis Conventus extulit [1].

106. Nobilis Dominus Ignatius Gienger an. 1660 non solum literas de fundo, ab eius patre per Syndicum Apostolicum coemto, expedivit, sed etiam Conventum ab omni censuum solutione, ob eum praestanda, exemit. An. 1679 fabrica novae infirmariae suum esse obtinuit. An. 1692 bibliotheca translata, et infirmariae instrata est. An. 1740 die 25. Nov. vivere desiit D. Maria Schmidhauserin, eximia Conventus benefactrix, eidem 200 florenos gratis, et 100 pro stipendiis Missarum legans. Horribile incendium, per ventum validum dilatatum, in platea vietorum an. 1740 die 4. Decemb. ortum, 42 domos vastavit et Conventum, utpote vicinum, in extremum discrimen egit. B. V. Mariae, S. P. Francisco, S. Ant. Pad. et S. Petro de Alcantara, ad quos Conventus speciali devotione recurrit, adscribitur, quod illaesus manserit; multae personae fide dignissimae, quaedam etiam iurato, contestatae sunt, se in tecto Franciscanos, flammas avertentes, conspexisse. Arae B. V. M. Angelorum, S. Antonii, S. Petri de Alcantara, et Cathedra intra an. 1750 et 1752 ex munificentia Illustrissimae D. D. Mariae Annae Khuen, natae Comitissae de la Tour, Valasina et Taxis, in nova forma exstructae sunt. Ignis, a malevolo extero an. 1760 die 28. Oct. circa horam undecimam nocturnam excitatus, a fortissimo vento afflatus, Conventum cum Ecclesia subito in tristes cineres redegit, et plures Fratrum in arce Thurnfeld, a Regio Parthenone Halensi oblata, sedem figere adegit. Anno 1761 Conventus et Ecclesia in maiori decore ex subsidiis diversorum benefactorum, praesertim Illustrissimae D. D. Mariae Annae Comitissae de Khuen surrrexerunt. Die 22. Iulii huius anni Reverendiss. D. D. Ferdinandus de Sarenthan, Suffrag. Brixinensis, quatuor Ecclesiae Aris beneficium consecrationis indulsit [2].

107. Ecclesia, S. Mariae Angelorum dicata, anniversarium dedicationis, de qua modo egi, Dominica festum S. Bonaventurae excipiente, patrocinium vero die 2. Augusti colit. Altare summum, quotidie privilegiatum, S. Mariam Angelorum ceu Patronam suspicit. Infra eam e cornu Evangelii Ara S. Petri de Alcantara, e cornu vero Epistolae Ara S. Antonii Patavini, nec non in Sacello Ara S. Annae prostant. In domo Capitulari S. P. Franciscus, in infirmaria vero Sancti morientium Patroni primarii coluntur. In computo moderno SS. Reliquiarum corpus S. Pudentianae V. et M., incendio an. 1760 subductum, venit; accesserunt an. 1763 corpora SS. Iustini et Donati MM. Romae comparata, pulcherrime exornata et Arae summae illata. Vulcanus an. 1760 Conventum depascens, os insigne

---

[1] Hueb. in Chron. col. 734 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 348. Chron. Prov. Tyrol. p. 153 etc. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Halens. Franciscan.

[2] Hueb. et Cont. Orb. Seraph. iam citati. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 154. Monum. citata.

S. Oswaldi Regis, particulas ossis, carnis et pilorum S. Petri de Alcantara, pagellam propria manu S. Ioannis Capistrani exaratam, particulas S. Crucis, et S. Antonii Patavini, nec non velum S. Magdalenae de Pazzis consumsit. In Sacello S. Annae sepultura Fratrum sedem habet. Pro spirituali fidelium bono sudant hic: Archi-Confraternitas S. P. Franc. aequalis aetatis; Archi-Confraternitas S. Michaelis Archangeli, Monacensi adiuncta; verbum Dei, diebus Dominicis ac Festivis in Ecclesia ista a Concionatore Conventus, in Ecclesia Clarissarum ab alio singulis mensibus explicatum; labores spirituales, Clarissis a Confessario et Concionatore proprio iuxta istas residentibus, delati, et via Crucis. Hoc in Conventu studium nunc philosophicum, nunc theologicum floret, et 34 circiter Fratres ex eleemosyna, sive humiliter mendicata, sive sponte oblata, sive per spiritualem laborem parta, victitantes, morantur. Sigillum Conventus S. Patronam eiusdem exhibet sub his verbis: *Sigillum Guard. Convent. Halens. Mariae Angelorum* [1].

§ 10.

Conventus Ehinganus ad Matrem Amabilem.

108. Ehinga, vulgo *Ehingen,* civitas Sueviae, intra ditionem Austriacam et Dioecesin Constantiensem reposita, a fluviolo Schmiecha transecata, fluvio celebri Danubio vicina, medium inter Ulmam et Riedlingam tenet. Praestat longitudine (in superiorem, et inferiorem diffinditur), et ex Gymnasio, a R. R. D. D. Benedictinis celeberrimi Monasterii Imperialis Zwifaldensis, scholas inferiores et philosophiam tradentibus, proviso inclarescit. In bello Suecico, praesertim an. 1632 et 1648 acerbas calamitates devoravit; a peste an. 1635, et a vulcano an. 1688 et 1749 haud leviter afflicta fuit. Multi in ea congressus status Austriaci et Equestris, quorum quilibet suos Officiales hic numerat, instituuntur. Inter Ecclesias eminent Parochialis [2] S. Blasii E. et M., Cordis Iesu et Mariae Collegii Benedictini, Matris Amabilis Coenobii Franciscanorum, S. P. Francisci Monialium tertii Ordinis, S. Spiritus in Hospitali. Accedunt quaedam Sacella, videlicet S. Michaelis prope Ecclesiam Parochialem, S. Nicolai, et S. Petri de Alcantara Tertiariarum, vota simplicia emittentium et in communi viventium, intra moenia plantata, nec non S. Martini in coemeterio, S. Wolfgangi, et S. Catharinae extra ea sita. Ecclesiam Franciscanam nobilem reddit statua B. V. Mariae, ob ter miram suavitatem *Amabilis* dictae, miraculis et

---

[1] Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. pag. 154 etc. Monum. citata.

[2] Nolo vocare Ecclesiam Collegiatam, cum careat Praeposito, et in libello Dioeces. Constant. hoc nomine non insigniatur.

beneficiis praeclarae, septem pedes in altitudine adaequans. Ista in valle *Blavi*[1] inventa, adminiculo duorum boum Ehingam delata fuit; hi collem, olim *bovinum*[2], nunc Marianum dictum, attingentes, nulla vi ad ulteriorem gradum adigi potuerunt. Formato exin iudicio, quod B. V. Maria hunc locum pro cultu suo selegerit, impendiis Comitum Pergensium, de quorum stirpe ultimus an. 1319 decessit, Ecclesiola excitata est. Eidem successu temporis successit alia, an. 1454 die 1. Martii inchoata, uti haec inscriptio eidem olim affixa, evincit: *Als man zält von Christi Geburt MCCCCLIV Iahr, den 1. Tag des März ward dieser Bau angehebt zu Lob und Ehr unser lieben Frauen Mariae.* Fundator eius verisimiliter Albertus VI., Archidux Austriacus, Friderici III. (in aliorum calculo IV.)[3] Imperatoris frater, locis Austriacae Sueviae eo tempore ius dicens, extitit. Suadent hoc insignia Austriaca, penes quae in antiqua figura, modo amota, ex una parte Princeps, et ex altera femina, erectis manibus, et infra puerulus conspiciebatur, annexa an. 1469, cum autem fatus Albertus an. 1463 vitae epilogum confecerit, opinatur auctor inscriptionis inferioris figuram post mortem istius Archiducis erectam esse[4].

109. Ehinga, iam an. 1616 Franciscanos anhelans, voti sui aliqualiter compos evasit an. 1630, quo Optimates Provinciae, acquisito consensu Archiducis Leopoldi, in Comitiis Provincialibus, die 5. Novemb. celebratis, P. Ioannem Berthi ibi Praesidem, et Iosephum Soder Confessarium Monialium, adiunctis duobus sociis Laicis constituerunt et illuc amandarunt. Fatus Archidux literis, die 22. Novemb. signatis, perillustri Ioanni Christophoro Schenck Domino de Stauffenberg, D. in Wifflingen et Rissdissen, Praefecto Ehingano, et D. Iacobo Reinhard, Doctori ac Syndico suo, in mandatis dedit, ut Franciscanis Ehingam pro spirituali bono Monialium tertii Ord. S. P. Francisci illic degentium deputatis, de habitaculo provideat, et sedulam operam impendat, quatenus cum tempore ad honorem Dei, bonum Monialium et aliorum fidelium Coenobium, cum consensus Episcopalis non desit, assequantur. Die 28. Novemb., quo luci huic primum ave Sigismundus Franciscus, secundo genitus filius Leopoldi, in magnum istius et Sereniss. Claudiae solatium dixit, praetacti Fratres Ehingam attigerunt, paulo post in domo quadam Capellanica, ab Ecclesiola S. Mariae remotiori, locati, an. seq. ad ampliorem translati, et in illa cives cum

---

[1] Nomen suxit a fluviolo huius nominis, *Blau* dicto.

[2] Vulgo *Ochsenberg*.

[3] IV. in eorum sensu, qui Fridericum Pulchrum, Austriae Ducem, Caesarum calculo inserunt.

[4] Zeiller in Chron. Suev. p. 262 nec non p. 515 etc. Lex Basil. Libell. Dioeces. Constant. Hueb. in Chron. col. 993 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 348 etc. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 155 etc. Monum. Prov. et Conv. Ehing. Franciscan. Chartae Sueviae. Platner in Corolla Mariana Matris Ehing. p. 1 etc. et alii.

accolis laboribus suis spiritualibus ad sui amorem trahentes. Iidem a Suecis s. supellectili an. 1632 exuti, et dire vexati, ad domum Capellanicam, Ecclesiae Marianae maxime propinquam, an. isto transierunt. Sereniss. Archiduce Leopoldo falci mortis succumbente, negotium pro formato Coenobio, iuxta Ecclesiolam Marianam exstruendo, Claudia, Austr. anterioris Gubernatrix, et Ferdinandus II. defuncti Archiducis frater, Caesar, urserunt, ac consensum civilem et Episcopalem elicuerunt; enim vero Celsiss. Princeps, et Episc. Constant. Ioannes de Wolfegg edictales, a Reverendiss. Vicario Generali intimatas, an. 1636 die 24. Sept. expedivit, volens, ut fata Ecclesiola Franciscanis extradatur, quinque Beneficia eius cum fundationibus ad Ecclesiam Parochialem Ehinganam transferantur, domus Capellaniarum ad novi Coenobii structuram applicentur, et domus aliae pro Capellanis exstruantur. Favorem hunc eodem adhuc anno erectio crucis in possessionis signum, ac tandem difficultatibus, quae ratione oblationum movebantur, in ordinem redactis, an. 1638 die 25. Nov. solennis immissio in Ecclesiam et fundum excepere. An. 1644 trunci, civitati subordinati, ex Ecclesia amoti sunt. An. 1647 Ehinga intuitu laborum, a P. Basilio de Menzingen in bello Gallo-Suecico in bonum civitatis apud belliducem Turrenium et alios exantlatorum, novum spatium in pomoerio Fratribus cessit. An. 1648 Sueci Ehinganam Residentiam adaequate, nec frustulo panis remanente, et Ecclesiam potissima ex parte spoliarunt. An. seq. Senatus Ehinganus indulsit, ut Coenobium ultra moenia extendi possit. Celsissimus Princeps Franciscus Ioannes a Prasperg, Ep. Constant., P. Isidoro Kern ab Aiblingen, Ministro Prov. Tyrol., copiam solemniter cruces erigendi et primos lapides ponendi pro novis Templis et Coenobiis Ehingae, Horbae, Waldseae, Sulgavii ac Kenzingae exstruendis, decreto in fine allegando, an. 1650 die 4. Aprilis dedit. Conformiter ad hanc Ruffinus a Pludento, Praeses Residentiae Ehinganae, primum lapidem sine solemnitate die 20. April. et fatus Minister cum solemnitate die 16. Maii fixit. An. 1652 in Congregatione intermedia Oenipontana, aedificio ex liberalitate variorum benefactorum, praesertim praetacti perillustris D. Ioannis Christophori Schenck, an. 1638 vita functi, ad substantialem terminum promoto, Residentia Ehingana ad dignitatem formati Conventus ascendit, praelibato P. Ruffino munere primi Guardiani donato [1].

[1] Hueb. cit., nec non col. 725 ac 813. Suev. Eccles. p. re ipsa 298. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 349. Chron. cit. p. 157 etc. Monum. citata.

FRANCISCUS IOANNES

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Constantiensis, Dominus Augiae Maioris, et Oeningae etc.

Reverendo, et Religioso Nobis in Christo dilecto P. Fratri Isidoro de Aiblingen, Ord. Min. Reform. Prov. Tyrol, Ministro Provinciali, salutem in Domino et omne bonum.

Ut iuxta humilem Nobis traditam supplicationem in Austriacis oppidis scilicet Ehingen ad Danubium, Horb ad Nicarum, Sulgau, Waldsee et Kenzingen, pro novis Monasteriis et Templis aedificandis (si quidem id per Nos, seu Vicarium Nostrum Generalem ob rationales causas commode fieri nequeat) primos lapides ponere et cruces erigere, consuetis adhibitis caeremoniis iuxta praescriptum Pontificalis Romani, aliaque ad hunc actum requisita, obire possis et valeas, vigore praesentium ex auctoritate Nostra ordinaria in Domino concedimus et damus facultatem vel ei, cui id commiseris. In quorum fidem praesentes a Vicario Nostro subscribi, et Pontificali sigillo communiri demandavimus. Constantiae an. 1650 die 4. mensis Aprilis, Indictione tertia.

L. S.

MARTINUS VOGLER *SS. Theolog. D. Vicarius Generalis.*

110. Reverendiss. DD. Georgius Sigismundus, Episcopus Heliopolitanus, Suffrag. Constant., tribus Altaribus Ecclesiae Fratrum s. liquores an. 1656 die 6. Maii affudit. An. 1665 Arae B. V. Mariae Dolorosae, ac SS. trium Regum surrexerunt. Reverendiss. DD. Ioannes Wolfgangus Bodman, Episc. Dardaniensis, Suffrag. Constant., an. 1687 die 5. Maii Aram S. Petri de Alcantara, an. 1683 erectam, lustravit, Reliquias SS. MM. Maximi et Faustini, Perfectae et Felicis eidem inserens, ac fidelibus consuetas Indulgentias ministrans. Incendiariis Gallicis 1688 varios excessus producentibus, die 14. Decemb. ignem plurimis in locis supponentibus, et 30 circiter domus in cineres redigentibus, charitas Franciscanorum illuxit; eorum enim opera ignis positus in uno loco suffocatus, quaedam domus civitatis superioris ab incendio vindicatae, tota civitas inferior illaesa conservata, et ignis SS. Venerabili benedictus fuit, hoc facto vires suas mox amittens, ac nullam amplius domum adurens. In hoc casu schedula brevis, massa instructa, nullo involucro munita, in ignem a quodam cive coniecta, illaesa mansit. Similem campum an. 1704 post cladem Höchstadianam Gallorum, quo Munderkin-

gam, villam Ernsthof dictam, Monialibus Ehinganis appropriatam, Sulmentingam superiorem a vulcano, et Monasterium Warthusianum a spolio praeservarunt, nacti sunt. Reverendiss. DD. Ferdinandus Conradus Geist, Episc. Tricalensis, Suffrag. Constant., Capellam S. Annae, expensis strenui D. Meinradi Ruesch, status Equestris Consulentis, excitatam, sacris ritibus an. 1719 die 28. Novemb. inauguravit. Intra 1723 et 1725 loco veteris Ecclesiae, populum accurrentem saepe non capientis, nova ex diversorum benefactorum subsidiis exstructa fuit, lapide primo an. 1723 die 28. Iunii posito. Ista an. 1725 die 13. Iunii in honorem B. V. Mariae, S. P. N. Franc. et S. Antonii benedicta, consecrationis gratiam unacum 4 Altaribus a Reverendiss. D. Francisco Ioanne L. B. de Sirgenstein [1], Suffrag. Constant., Episcopo Uttinensi, die 5. Oct. retulit. In incendio, an. 1749 die 8. Sept. noctu exorto, flante vehementissimo vento citissime dilatato, 107 circiter domus depopulato, Conventus incolumis haesit, hoc adscribens protectioni B. V. Mariae, coram qua supplici genu votum de Officio solemni, per dies 8 exposito Ciborio decantando, fecit et fideliter solvit [2].

111. Ecclesia ad Matrem Amabilem dicta, consecrationis, n. priori tactae, anniversarium Dominica post Octavam S. P. Francisci, patrocinium die 8. Sept. colit, ac eximiam elegantiam, statui Franciscano proportionatam, possidet. Ad eam ob plurima miracula et beneficia [3] ad intercessionem B. V. Mariae obtenta, incolae et accolae magna in copia confluunt, et multae communitates processiones annuas ordinant. Altare maius, quotidie privilegiatum, B. Matri Amabili sacrum, statuae Marianae Thaumaturgae sedes, in praesenti forma ex munificentia Adm. Rev. D. Iosephi Gietinger, Capellani Ehingani, an. 1726 surrexit. Pergo ad Altaria lateralia; e cornu Evangelii occurrit: 1. Ara S. Matris Dol., expensis praelibati D. Capellani an. 1730 in hac figura excitata; 2. S. Francisci P. N. Seraphici, sumtibus Adm. Rev. D. Georgii Baumann, Capellani Ehingani, an. 1727 exstructa. 3. S. Annae, ex aere strenuae D. Annae Renatae Rueschin viduae an. 1728 assurgens; e cornu Epistolae visitur: 1. Ara SS. trium Regum, sumtibus Dominae Franciscae Willin, hospitissae ad albam Crucem, an 1729 confecta; 2. S. Antonii Patavini, an. 1729 erecta, imaginem artificiosam S. Patroni strenuo D. Ioanni Baptistae Kraft, Pratritio Ulmensi et administratori status Equestris, adscribens; 3. S. Petri de Alcantara, ex liberalitate plurimum Rev. D. Francisci Caroli Beller, Parochi Illerbergensis, potiori ex parte an. 1730 combinata. In domo Capitulari assurgit Ara S. Crucis, a Reverendiss. D. Francisco Ioanne de Sirgenstein, supra tacto, an. 1729 die 31. Iulii consecrata. In infirmaria, an. 1743 ad praesentem

---

[1] In Orbe Seraph. corrupte vocatur *Seichenstein*.

[2] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 349 etc. Chron. cit. p. 157 etc. Monum. cit.

[3] De his libellus, de hac peregrinatione an. 1762 editus, et Monum. Conv. Ehingani fusius agunt.

formam traducta, Ara S. Francisci, non consecrata obviat. Adsunt quoque copiosae SS. Reliquiae, praesertim particula S. Crucis, in Altari B. V. Dolorosae exponi solita; subucula B. V. Mariae., fibulae S. Liliosi et S. Ampliatae, Reliquiae plurimorum Apost., Martyrum de societ. S. Mauritii et S. Ursulae, nec non aliorum Sanctorum. Adiumenta, quibus honor Dei et salus proximi adaugentur, censentur: verbum Dei a Concionatore in Parochia certis diebus Dominicis ac Festivis, et aliis; in Ecclesia vero Conventus, uti etiam Monialium, singulis mensibus fixo die, et quibusdam aliis explicatum; labores spirituales Monialibus Ehinganis et adiacentibus, nimirum Warthusianis, Oglspirensibus et Munderkinganis delati, Archiconfraternitas S. P. N. Francisci, an. 1655 inducta, et via Crucis. In gratiam doctrinae, iuventuti Seraphicae instillandae, hic communius studium theologicum locum habet. Domus praxatoria hic posita Fratribus potum ordinarium subministrat, quem et cetera ad victum et vestitum necessaria, benefactoribus diversis modis influentibus, in acceptis referunt. Sigillum Conventus, 34 circiter Fratres complectentis, stat in imagine Thaumaturgae Virginis cum his verbis: *Sig. Guard. Conv. Ehing. Fratrum Reform.* [1]

§. 11.

Conventus Horbensis ad B. V. Natam.

112. Horba, vulgo *Horb*, civitas Sueviae in Comitatu inferiori Hohenbergensi, Dioecesi Constantiensi, et dominio temporali Austriaco plantata, a fluvio Nicaro alluitur. Esse suum, uti quidam opinantur, Rudolpho, Comiti Hohenbergico, adscribit, potiori ex parte colli insidet, et 5 horis Rottenburgo ac Haigerlocha abest; loco huius olim ius dixere Comites de Eberstein, istis Comites Hohenbergici, his Habsburgici successere; exin ad tempus paruit civitatibus Imperialibus, et post 40 annos ad Domum Austriacam rediit. Tres olim Horbae morabantur arces, quarum una monti Ottiliano, altera loco modernae Ecclesiae, tertia (*Herrenberg* dicta) loco Capellae Marianae adiacenti, instrata fuit. Serenissima Claudia, Administratrix Austriae anterioris, Hebraeos, hic sat copiosos, decreto suo, ad instantiam civium lato, ac an. 1644 die 8. Iulii exsecutioni mandato, e civitate pepulit, Provincia nostra religionis ergo strenuam operam navante. Ignis an. 1725 in ea saevitiam suam exercuit. Devotioni fidelium variae inserviunt Ecclesiae, nempe: S. Crucis Parochialis et Collegiata, B. V. Natae Franciscanorum, S. Iosephi Tertiariarum, B. Matris Dolorosae Dominicanarum, S. Spiritus in Hospitali, S. Ioannis Baptistae, S. Leonardi, S.

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 349. Chron. cit. p. 157 etc. Monum. citata.

Michaelis in coemeterio. Civitati accumbunt Ecclesiolae S. Ottiliae in monte Ottiliano, Matris Dolorosae in colliculo, S. Erhardi in prato, et SS. Philippi et Iacobi in balneo[1].

113. Suavis virtutum odor, a Fratribus Provinciae Tyrolensis Franciscanorum in actu visitationis Monasteriorum Seraphicorum tertii Ordinis Horbae, ac in vicinia[2] fatorum diffusus, plures Horbenses tanta vi afflavit, ut repetitis vicibus filios eorum ceu concives expetierint. P. Wolfgangus Grindl, Minister dictae Provinciae, ferrum calens incudi suppositurus, et negotium ad formam legalem traducturus, P. Augustinum Moser a Feldkirchio, Residentiae Ehinganae Praesidem, Horbam an. 1639 ablegavit, annexa obedientia, ut Coenobium tertii Ordinis illius circumferentiae visitet, et consensum legitimum Horbensium pro introductione Franciscanorum impetret. Res successit ad vota, Senatu an. fato[3] die 7. Oct. in structuram Coenobii ore et calamo suffragante. Optimates Provinciae, de sufficiente Fratrum sustentatione timidi, eos illuc locare distulerunt; hinc Senatus ad interpositionem cuiusdam civis, Capuccinis faventis, pro eorum admissione assensum an. 1644 die 4. Maii impetravit; ast cives alii, nobis devoti, effecerunt, ut iste consensus fuerit suspensus. P. Fridericus a Monachio, cognomine Gailer, Minister Prov. Tyrol Franciscanorum, de his certior redditus, ocius convolat Horbam, firmationem consensus, ante quinquennium dati, obtinet, et illuc Constantinum de Friburgo et Zachariam a Weillhamio amandat, quorum prior in Comitiis, Oeniponte an. 1644 die 27. Iunii[4] celebratis, munere Praesidis, alter vero Concionatoris decoratus fuit. Fratres hi ad interim in domo privata, ab Anna Fessin benefactrice cessa, locati, Divina ex licentia Reverendiss. DD. Abbatis Wiblingensis in Capella B. V., vulgo *die Mutter Gottes Capelle*[5] dicta, peregerunt, et suis moribus residuos cives, introductioni adversantes, successive in amicos et benefactores transmutarunt. An. eodem die 8. Iulii consensus Serenissimae DD. Claudiae, Austriae anterioris Administratricis, et die 8. Oct. consensus Celsissimi DD. Principis Ioannis a Wolfegg[6], Episc. Constantiensis, per Reverendiss. D. Ioannem, Ep. Megariensem, eius Vicarium Generalem expedi-

---

[1] Zeill. in Chron. Suev. p. 298 etc. ac 550. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 350. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 161. Monum. Prov. Tyrol. et Convent. Horbens. Franciscan. Chartae Sueviae.

[2] Intelliguntur Monasteria Bernsteinense Tertiariorum, duo Horbensia, Rottenburgense, Silchense, Eitingense, et Nordstettense Tertiariarum.

[3] Unde P. Romualdus Stockacensis in Hist. Prov. Austr. anterioris Capuc. p. 396 et seq. aiens, Capuccinos primitus admissos fuisse, et loco eorum, Maioribus ob bellum Suecicum remissius agentibus, alios Religiosos (Franciscanos intelligit) scenae servientes, an. 1650 admissos, a veritatis tramite aberrat.

[4] Pro hoc die Protocoll. Prov. et alia Monum. stant.

[5] Antiquitus pertinuit ad Prioratum Reichenbacensem Ducatus Wirtembergici, Monasterio Hirsaugiensi adiunctum; hoc vero cum illo everso, Monasterio celeberrimo Wiblingensi accrevit.

[6] Eruo hoc ex libello Dioeces. Constant. asseverante, cum an. 1644 die 15. Decemb. obiisse.

tus, pro Coenobio Horbae exstruendo emanavit. An. 1645 Cathedra Ecclesiae Collegiatae relate ad tempus Quadragesimale Fratribus obvenit, an. seq. ad Festa SS. extensa. Magistratus Horbensis an. 1648 die 6. Febr. Fratribus locum, *Purgstall* dictum, unacum armamentario et antiquissima turri cessit, et postea domus quaedam per eleemosynas indifferentes Provinciae pro fundo Monasterii comparatae fuerunt. Reverendiss. et Celsiss. DD. Franciscus Ioannes a Prasperg decreto, an. 1650 die 4. April. lato (n. 109. adducto) P. Isidoro Kern, Ministro Prov. Tyrol. Reform. indulsit, ut Horbae possit solemniter crucem figere, et primos lapides ponere. An. eodem die 3. Maii in festo S. Crucis inventae Reverendiss. D. Martinus Vogler, Vicarius Generalis Constant. et plurimum Revdus Paulus Muer, Decanus Rottenburg., nomine praedicti Celsissimi praelibato Ministro Prov. Capellam B. V. Mariae extradiderunt, et simul crux, a fato Decano benedicta, erecta fuit, civitate loco istius Capellae Ecclesiam S. Ioan. Bapt. Principi Celsiss. sub certis conditionibus cedente, et campanile cum campanis sibi reservante. An. 1655 die 4. April. P. Ruffinus a Bludento, Definitor, aedificii Director, primum lapidem sine solemnitate, et die 31. Aug. iuxta Monum. Conv. Horb. P. Fridericus Gailer, Minister Prov. nostrae, cum solemnitate terrae inseruit. Aedificium novum, an. 1656 in mense Novembr. prima vice a Fratribus inhabitatum, per decretum in Comitiis Provincialibus Oenipontanis, an. 1657 die 11. Oct. coactis, formatum, dignitatem formati Conventus obtinuit. Robur meis verbis conciliaturus adduco consensum Archiducalem, omisso civico ac Episcopali, ad linguam Latinam traductum [1].

Nos Claudia Dei gratia vidua Archiducissa Austriae, Ducissa Burgundiae, Comitissa Tyroleos, Landgravia Alsatiae, nata Principissa Tusciae, Romano — Caesarea Plenipotentiaria, et vi testamenti Contutrix et Gubernatrix, omnibus et singulis status Ecclesiastici ac Civilis, cuius cunque sint dignitatis, personis, diploma hoc visuris aut lecturis, praesertim Archiducalis tutelae Superioribus et subditis offerimus Nostram gratiam et omne bonum, et istis hisce indicamus.

Cum N. Consul, Senatus, et Communitas civitatis Horbae, pio zelo commoti, decretum fecerint Patres S. Francisci, Ordinis Nudipedum, recipiendi, et ex ardore pro fide Catholica unice salvifica, et exercitio bonorum operum Conventum cum tempore pro iis exstruendi, et hoc ipsum Nobis V. Religiosus ac dilectus Fridericus de Monachio, fati Ordinis Minister Prov. Tyrolensis, humillime insinuaverit, et pro Nostro Archiducali consensu submississime supplicaverit, Nos intuitu devotionis, quam civitas Horbensis erga istum S. Ordinem fovet, et operis pii, Deo abs dubio peraccepti, Nostrum consensum ex auctoritate Tutoria et Gu-

[1] Hueb. in Chron. col. 738. Suev. Eccles. p. 446. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 350. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 162 etc. Monum. cit.

bernativa Nobis competente elargimur, gratiosissime volentes et mandantes, ut fati Ord. Patribus ac civitati Horbensi nullum impedimentum in introductione et fabrica Conventus ponatur, quin potius subsidia et promoventia impendantur. Hac enim via gratia Nostra obtinebitur, et voluntas Nostra exsecutioni mandabitur.

Dedimus Oeniponte die 3. Iulii an. 1644.

[L. S.]

Claudia
Paratiss.[1] *Serva*

Ad mandatum Serenissimae
Dominae Archiducissae proprium
MICHAEL GENRIG etc.

114. Anno 1658 loca pro colligenda s. eleemosyna ex gratia Sereniss. Archiducis Ferdinandi Caroli, Austriae anterioris Domini, in bonum Conventus designata fuere. Lanificium, hic an. 1660 inchoatum, an. 1667 desiit. Vulcano an. 1725 die 17. Ianuarii Horbae ultra Ecclesiam Collegiatam et Parthenonem Ord. S. Dominici 175 domus depascente, Conventus ex speciali Dei protectione illaesus mansit. V. Definitorium Monialibus Horbensibus S. Dominici an. 1736 Confessarium ex Conventu indulsit. Liberalitas strenui Domini Iosephi Stahl, Archi-Satrapae Sternöggensis, et aliorum refectorium ad praesentem decorem extulit, et Ven. Capitulum rurale Dornstettense id novis imaginibus ornavit. Domus, in vicinia horti an. 1757 inchoata, ad lites ansam dedit. Rottenburgi an. 1759, Friburgi an. 1761 sententia pro eius structura absolvenda lata est, addita inhibitione, ne unquam aliquae fenestrae aut aliae aperturae versus hortum nostrum formentur[2].

115. Ecclesia, B. V. Natae oppignerata, an. 1370 a Reverendiss. D. Petro, Episcopo Ciconii, Reverendiss. ac Celsissimi Domini Henrici III. B. de Brandis[3] Episc. Constantiensis Suffraganeo, benedicta ac consecrata, Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi anniversarium recolit. In Ara summa, quotidie privilegiata, B. V. Maria visitur, fovens in sinu suo Iesulum, annulo sibi S. Catharinam V. desponsantem. E cornu Evangelii adest: 1. Ara S. Wendelini, a plebe rustica sedulo culti; 2. B. V. M. Thaumaturgae, ab antiquissimo tempore hic cultae, et ab incolis accolisque in magna copia frequentata, cui Ecclesia suum nomen in acceptis refert; e cornu Epistolae occurrit Ara S. Antonii Patavini. Merita fidelium augent: verbum Dei, certis diebus Dominicis ac Festivis a Concionatore Parochiali in Ecclesia

---

[1] Diploma originale Germanicum utitur his terminis: *Dienerin;* si vir eruditus alio modo explicaturus sit, optime contentus sum.

[2] Monum. citata.

[3] Iste Cathedram an. 1356 conscendit, et an. 1383 obiit; Libell. Dioeces. Constant., et Merck in Chron. Constant. p. 223 etc.

Collegiata, et ab eo, aut alio in Ecclesia Conventus Dominicis menstruis et quibusdam aliis diebus propositum; Archiconfraternitas S. P. Francisci, an. 1662 introducta; Confraternitas S. Antonii, an. 1656 inchoata, et via Crucis circa an. 1733 erecta; spirituales labores Fratribus Tertiariis Bernsteinensibus, Monialibus Horbensibus tertii Ordinis S. P. Francisci ac Ord. S. Dominici, Rottenburgensibus tertii Ord. S. P. Francisci impensi. Sepultura Fratrum coram Altari summo, Monialium vero ante Altare B. V. Mariae in cornu Evangelii locum habet. De cetero degunt hic communiter 20 circiter Fratres, ex s. eleemosyna sustentati. Sigillum sistit B. V. Mariam cum Iesulo, S. Catharinam annulo sibi devinciente; in orbe eius leguntur haec verba: *Sig. Guard. Convent. Frat. Min. Reform. Horbae*[1].

§ 12.

Conventus Waldseensis ad B. Matrem Auxiliatricem.

116. Waldsea, vulgo *Waldsee*, civitas Sueviae, Austriacae ditionis, Dioecesis Constantiensis, Capituli ruralis Wurzacensis, 5 horis Biberaco, et 4 Ravensburgo remota, nomen a *silva* (Germ. *Wald*) et *lacu* (Germ. *See*), ei accubantibus, attraxit. Incunabula, uti quidam volunt, a viro Nobili Emerigo Marbach an. 330, Constantino Magno fasces Romani Imperii tenente, retulit, an. 800 ad ampliorem formam traducta. Adiacet ei arx splendida, Illustriss. DD. S. R. I. Comitibus de Waldburg, Dapiferis Haereditariis[2] ex stirpe Wolffegio-Waldseensi, pro Residentia inserviens. Vicinia amoenitatem haud exiguam ex agrorum, copiosum frumentum gignentium, planitie silvis intersecata, sugit, iuxta Praetorium granarium grande, a numerosis frumenti emtoribus in hebdomadalibus nundinis frequentatum, moratur. Civitatem exornant quaedam aedificia spiritualia, videlicet Collegium DD. Canonicorum Regularium S. Augustini, a Friderico I. Barbarossa[3] Caesare 1091 fundatum; Conventus et Ecclesia B. Matris Auxiliatricis Franciscanorum, Coenobium S. Elisabethae Monialium tertii Ordinis, Capella, B. V. Lauretanae sacra, donatum; Capella B. Elisabethae Rauthensis, olim locus nativitatis eius; Ecclesia S. Spiritus in Hospitali sat ambulo et pingui. Extra civitatem obviant Ecclesiolae (Parochialis filiales), nempe S. Crucis in arce, B. V. in monte, S. Annae in Stainach, S. Leonardi in Gaissbeürn, S. Mauritii in Volckertshausen. Sueci an. 1634 die 10.

---

[1] Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 161 etc. Monum. citata.

[2] Germ. *Truchsess;* sunt autem tales, uti asseverat Lex. Basil., relate ad Sueviam.

[3] Constat ex diplomate fundationis, in Suev. Eccle. p. 848 etc. expresso.

Ianuarii civitatem hanc occuparunt. Turennius, bellidux Gallicus, an. 1646 in ea stationem fixit[1].

117. Magistratus Waldseensis, religiosa vita Franciscanorum Prov. Tyrol. excitatus, eorum incolatum exoptavit, et hoc ad effectum deducere an. 1649 vix nato decrevit. P. Isidorus Kern ab Aiblingen, Minister fatae Provinciae, a P. Bonifacio de Palla, Residentiae Sulgaviensis Praeside, primo hoc in negotio instrumento desuper certior redditus, Magistratum literis die 21. Ianuarii exaratis in pia intentione fovit, et ad comparanda requisita animavit. Iste die 20. Febr. supplices ad Sereniss. Archiducem Ferdinandum Carolum, Austriae anterioris Dominum, pro obtinendo consensu, et ad praelibatum Ministrum pro submittendis Fratribus dedit, seque pro fundo, et Ecclesia sibi appropriata, consignanda, oppigneravit. Consensu Archiducali die 2. Martii emanante convenit Celsiss. Episc. et Principem Constantiensem, qui die 6. Maii inquisitionem hac in re A. R. Michael Oelp, Parocho Aulendorffensi et Decano Ven. Capituli Sulgaviensis, iniunxit, et hac absoluta die 27. Maii votis eius subscripsit. Die 24. Iunii Fratres processionaliter allegato Ministro Prov. crucem praeferente, ex Ecclesia Parochiali ad Capellam S. Bartholomaei, vulgo *Krettels Capelle*, aut *Krettels Kirche*, nec non ad *Coeli portam*, vulgo *Himmelspforte* nuncupatam, processerunt, et actum solemnem possessionis in praesentia copiosissimi populi produxerunt, authenticis instrumentis die 30. Iunii signatis, donati. In Congregatione intermedia, Oeniponte an. cit. die 30. August. habita, P. Maximus Häckel a Donaverda primus Praeses huius novae Residentiae (duobus sociis additis, Sacerdote et Laico) constitutus fuit; primitus apud Moniales, dein in domo a Praenobili D. Ioanne Brakenhofer libere data, sedem figens. Adest consensus Archiducalis (Latinismo adaptatus) et Episcopalis[2].

Ferdinandus Carolus.

Nos ex vestris submississimis percepimus literis, quod ad promovendum honorem Dei et multorum salutem unanimi decreto sanciveritis, Ordini S. Francisci strict. Observ. Prov. Tyrolensis fundum, Ecclesiolam et domum pro construendo Coenobio in civitate Waldsea attribuendi, et ratione huius consensum Nostrum Principalem humillime imploratis. Cum autem Nobis vestrum pium intentum placeat, Nostrum Principalem consensum gratiosissime impendimus, ut pro fata Coenobioli structura cer-

---

[1] Zeiller in Chron. Suev. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 350. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 163 etc. Lex. Basil. Chartae Suev. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Waldseensis Franciscan. Libell. Dioeces. Constant.

[2] Hueb. in Chron. col. 737. Suev. Eccles. p. 852. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 351. Chron. cit. p. 164 etc. Monum. citata.

tum fundum, Ecclesiolam et domum praedicto Ordini in districtu, civitati subiecto, extradere, et ad ipsam structuram procedere possitis. Conservamus vos in Nostra gratia.

Dedimus in Nostra civitate Oeniponte die 2. Martii an. 1649.

[L. S.]

Vicarius Reverendissimi in Christo Patris, Illustrissimique Principis ac Domini Domini Francisci Ioannis[1], *Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Constantiensis, Domini Augiae maioris et Oeningae etc. in spiritualibus Generalis. Universis ac singulis praesentes Nostras literas recognituris salutem in Domino.*

Pastoralis officii Nostri exposcit solicitudo, ut ea, quae in supremi Numinis, Coelitumque laudem et gloriam, divini cultus augmentum, animarumque salutem pie directa et instituta sunt, paterne foveamus, et ne temporis tractu deficiant, auctoritatis Nostrae praesidio roboremus. Pro parte igitur in Christo dilectorum providorum ac circumspectorum DD. Consulis, et Senatus Austriaci oppidi Waldsee Nobis humiliter supplicando expositum est, quod iam dicti Domini exponentes dudum in votis habuerint, de Seraphici S. Patris Francisci Religione ad maiorem Dei praepotentis gloriam, ac Bmae Mariae semper Virginis omniumque Coelitum honorem Religiosos in oppidum suum assumere, illisque locum ad Monasterium pro eius qualitate exstruendum assignare, Capellam videlicet, vulgo des Krettlin Capelle nuncupatam, cum contigua area et domo, ita quidem, ut inibi fundatae Missae per Capellanum in septimanas singulas legendae, in futurum ab eodem in B. V. colle iuxta oppidum sito Sacello, nec non Hospitali, oppidi Templo, alternis dicendae transferantur. Quod quidem bonum intentum hucusque saeviens Bellona impedivit, quominus ad opus ipsum deduci potuerit; nunc vero, uti speratur, divino Numine pacato et exitiosis hisce armis sedatis, ad exoptatum finem plene redactum iri. Quare cum praememorati DD. exponentes Serenissimi Archiducis Austriaci Ferdinandi Caroli veluti territorialis Domini etc. consensum iamiam impetraverint, Ordinarii quoque, ceu de iure requisitum, ad praefatam assumtionem, Monasterii exstructionem ac Missarum translationem confirmandas ac ratihabendas demisse sollicitent. Nos itaque praevia petitionis aequitate perspecta, nemineque post emissum publicum citationis edictum se opponente, praedictam assumtionem Reverendorum ac Religiosorum PP. FF. S. Francisci Min. Reform. Provae Tyrol., Monasterii exstructionem nec non Missarum translationem ratificandam et confirmandam duximus, prout easdem praesentis

[1] Intelligitur Franciscus Joannes a Prasperg an. 1645 electus, et an. 1689 mortuus.

scripti patrocinio ex auctoritate Nostra ordinaria in Dei nomine ratificamus, approbamus et confirmamus, supplentes, quantum in Nobis est, omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan in praemissis intervenissent; committentes insuper Venerabili Domino Parocho et Decano in Aulendorff, ut sacrum Ordinem nomine et auctoritate Nostra in Capellam assignatam immittat. In quorum omnium fidem, et robur praemissorum praesentes literas, manu Nostra subscriptas, officii Nostri Vicariatus sigillo communiri demandavimus.

Datae Constantiae die 27. mens. Maii an. 1649, indictione secunda.

MARTINUS VOGLER, *SS. Thlgiae*
Doctor, Vicarius Generalis.

118. Providus Senatus Waldseensis, fundum pro aedificio Conventus suppeditaturus, domum Sorethanam [1] 900 florenis an. 1650 coemit, ac domum Sacellani unacum alia domo contingua Fratribus an. 1655 consignavit. In loco domus Sorethanae primus lapis, conformiter ad licentiam Episcopalem an. 1650 datam et n. 109. insinuatam, an. 1655 Fer. II. post Dominicam in Albis fixus fuit, structura tum Coenobii tum Ecclesiae ibidem, ac in spatiis aliarum domuum, ac Capellae concessarum ac dirutarum, potioribus expensis Praenobil. ac strenui D. Wolfgangi Pirchner, excelsae Camerae Austriae anterioris Consiliarii, continuata et an. 1656 substantialiter absoluta. Fratres hoc anno die 22. Iunii, quo Reverendissimus Melchior, Praepositus Waldseensis Monasterii Canonic. Regul. S. Augustini, primum lapidem pro Altari summo posuit, Conventum incolere coepere. Die 13. Oct. ingressum habuit solemnis Ecclesiae consecratio, a Celsiss. ac Reverendissimo DD. Francisco Ioanne a Prasperg, Episc. Constant. ac S. R. I. Principe, peracta; in qua Ecclesia cum summa Ara B. V. M. Auxiliatrici, Ara collateralis ex cornu Evangelii S. Leopoldo, et ex cornu Epistolae S. Annae, Deiparae Genitricis [2], dicatae fuere. In Congregatione intermedia, Oeniponte an. 1657 die 11. Oct. habita, Residentia Waldseensis dignitatem Conventus formalis obtinuit, P. Constantino Fetscher, Friburgensi primo Guardiano, eidem praefixo [3].

119. P. Ruffinus Laxner Bludentinus, Minister Prov. Tyrol., obstacula ratione Monialium Waldseensium III. Ord. Seraphici Patris in Ecclesia Conventus huius, conformiter ad favorem a V. Definitorio eis anno 1655 col-

---

[1] Stetit sub dominio celeberrimi Collegii Imperialis Sorethani, vulgo *Schussenried*, Ord. Praemonstrat., in districtu Ven. Capituli ruralis Sulgav. siti.

[2] Hoc affirmant Monum. Conv. Waldseens. Franciscan.; unde auctores aliter discurrentes non attendo.

[3] Hueb. Suev. Eccles. etc. Cont. Orb. Seraph. iam citati. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 165 etc. Monum. citata.

latum, sepeliendarum mota, an. 1669 sustulit, et modum in sepultura observandum praescripsit. Breve Apostolicum, an. 1703 latum, plenum robur huic ordinationi adiecit. P. Iustus Redn, Minister Prov. Tyrol., an. 1708 die 20. Iunii in Ara pulcherrima S. Antonii Patavini, in castro *Zeill* noviter erecta, primam Missam solennem decantavit, Monasteriolum pro Franciscanis Prov. Tyrol. transeuntibus aut ibi servitia spiritualia praestantibus excitatum benedixit, ac eidem Sancto dicavit. V. Definitorium ad instantiam DD. Comitis Wolfegg de *Waldsee* an. 1739 indulsit, ut infra Octavam S. Antonii quotidie exposito Ciborio de mane *Responsorium*, ac ad vesperam Litaniae decantentur. An. 1741 die 22. Martii vitae periodum absolvit P. R. D. Ioan. Peregrinus Müettinger, Parochus in Aindürn, ac Deputatus V. Capituli Wurzachensis, specialis benefactor Fratrum, iis tria plaustra vini optimi legans. An. 1757 nova Cathedra ex munificentia Illustriss. DD. Comitis Waldseensis coaluit[1].

120. Ecclesia moderna loco Ecclesiolae a D. Conrado Mutelhauser Waldseensi, Viennae in Austria cive, circa an. 1460 surgentis, excitata, suam perfectionem et consecrationem an. 1656 retulit. Patrocinium die 8. Sept., anniversarium dedicationis vero Dominica ante Fest. S. Galli celebrat. Altare summum eius, S. Mariae Auxiliatrici devotum, quotidie privilegiatum, an. 1749 in hac forma erectum est. E cornu Epistolae Ara S. Antonii Patavini, olim S. Annae obviat, an. 1752 noviter exstructa; e cornu Evangelii vero Ara S. Petri Regalati, antea S. Leopoldi, eodem anno excitata. Ex sacris Reliquiis, speciali nota distinctis, adsunt particulae de S. Cruce, SS. Ant. Patavino, Petro Regalato et aliis. In domo Capitulari B. V. Maria ad Nives, et in infirmaria beata Mater Auxiliatrix visuntur. In salutem proximi cedunt: verbum Dei, a Concionatore Conventus Dominicis menstruis et variis aliis Festivis diebus expositum; labores spirituales in Illustrissima aula Montfortensi et Zeillensi, nec non apud Moniales Waldseenses tertii Ordinis exantlati; Archiconfraternitas S. P. N. Francisci, 1661 introducta; Confraternitas S. Ant. Patavini, an. 1705 inchoata; Archiconfraternitas S. Michaelis Archangeli, Monacensi unita, ac via Crucis. Fratres coram Altari summo, Moniales autem Tertiariae in navi Ecclesiae conduntur. Religiosi Iuvenes subin hic in Philosophia, subin in Theologia Polemico-Speculativa aut etiam Morali instruuntur. Alumni Conventus 28 circiter variis celeberrimis S. R. I. Monasteriis SS. Ord. Benedictini, Cisterc., Praemonstratensis, Canoniae Waldseensi S. Augustini, Carthusiae Buxhemiensi, Illustriss. S. R. I. Familiis, et aliis incolis et accolis sua alimenta referunt in acceptis. In sigillo monstratur B. V. Maria cum his verbis: *Sigill. Guard. Convent. Waldseensis*[2].

---

[1] Monum. citata.

[2] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 351. Chron. Prov. Tyrol. p. 165 etc.

§ 13.

Conventus Kenzinganus ad S. Iosephum.

121. Kenzinga, vulgo *Kenzingen*, civitas Brisgoviae, Austriacae ditionis ac Dioecesis Constantiensis, 5 horis Friburgo ac Brisaco versus septentrionem deflectit. Considet in insula, a fluvio Elz[1] (alveo primario occidentale latus eius alluente, et brachiolo residuam peripheriam circumscribente) formata, et primum suum esse adscribit Rudolpho, Comiti de Isenburg, an. 1249 initia eius fodienti. Rudolphus I., Romanorum Rex, ad instantiam Hessonis et Rudolphi, Comitum de Isenburg fratrum, civitatem iis privilegiis, quibus Friburgum Brisgoviae fruitur, affecit. Contractus, an. 1369 initus, illam Ducibus Austriae, subin Archiducum dignitatem adeptis, transcripsit, a quibus uti et Imperatoribus varia exin retulit privilegia. Bellum Suecicum ac Gallicum haud levia civitati, a solertia et bona oeconomia commendatae, inflixere vulnera. Cultum divinum promovent variae Ecclesiae, nempe: S. Laurentii M. Parochialis, S. Iosephi Coenobii Franciscanorum, S. Ioannis Baptistae olim Equitum Melitensium, intra civitatem sitae, nec non S. Petri et S. Georgii extra eam plantatae; medio quadrante a civitate versus austrum occurrit inclytum Parthenium Wunenthalense, B. V. Assumtae dicatum, a Nobilibus puellis an. 1230 inchoatum, a Rudolpho et Hessone, Comitibus Isenburgensibus, continuatum, et Ord. Cisterc. 1256 aggregatum[2].

122. Kenzinga, vita exemplari Franciscanorum Prov. Tyrol. animata, an. 1630 die 25. Ianuarii[3] in admissionem eorum convenit, et eodem adhuc anno Franciscanos, in domo quadam locatos, excepit. Capitulum Provinciale, Oeniponte an. cit. die 5. Nov. coactum, munus primi Praesidis huius novae Residentiae P. Pacifico Binninger concredidit, cui an. 1631 P. Accursius Hueber, isti an. 1637 aut seq. Arsenius Raitsch successere, unacum suis subditis accolas et incolas copiosis charitatis obsequiis prosecuti. Sane circa primos annos belli Suecici Fratres quidam in Dynastia Mahlbergensi morabuntur, uxori catholicae alicuius Officialis belliducis, sub Suecica corona militantis, sua obsequia deferentes, et simul Parochialia mu-

---

[1] Continuator Orb. Seraph. sinistre cum hoc confundit fluvium Treisam, utpote ortu et fluxu distinctum, in fluvium Elz se exonerantem.

[2] Monum. civit. Kenzing. Monast. Tenebac. Ord. Cisterc. Prov. Tyrol. ac Convent. Kenzing. Franciscan. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 351. Suev. Eccles. p. 907. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 167.

[3] Constat ex literis ad Minist. Prov. datis, in Protocoll. Conv. Friburg. t. I. p. 323 etc. expressis.

nera obeuntes; pariter an. 1637 evocati sunt, ut in civitate Emmedinga, inter Friburgum et Kenzingam sita, Lutheri haeresi infecta, verbum Dei divulgent, at abs effectu, Marte boreali istum impediente; incolatus Kenzinganus an. 1639 desiit, quo Fratres iniuria temporum adacti, discesserunt, his reversalibus[1] a civitate muniti[2]:

Nos Schultetus, Consules et Senatus civitatis Kenzingae hisce confitemur, quod postquam Admodum Reverendi, devoti ac Religiosi D. Patres Ord. FF. Minorum S. P. Francisci undecim circiter annos[3] abs dubio ex speciali Altissimi dispositione heic nostro cum consensu sedem fixere, firma cum spe, mox Monasteriolum ad honorem et gloriam Omnipotentis, nec non nostrarum animarum salutem et solatium exstruendi, nos ob graves bellorum motus, totam viciniam devastantes et ruinam agentes, et urbeculam istam per milites praesidiarios et perpessa incendia depauperantes, et eius incolas diminuentes, hoc pro tempore moderno ad effectum deducere non potuerimus, et ex necessitate ad eos dimittendos adacti simus. Ratione huius a M. V. P. Simone de Kilshaimio, moderno Friburgi Guardiano, et F. P. Arsenio, moderno Kenzingae Praesidente, implorati, ob eorum abitum et reditum instrumentum exaramus, et isto attestamur, quod omnes D. Patres, hoc tempore apud nos morati, in promovendo honore Dei seduli, in quaerenda animarum salute solertissimi extiterint, et in ceteris omnibus ita ad solatium et bonum nostrum se gesserint, ut nihil de eis, nisi honorificum et bonum asserere queamus. Coram Deo vota nostra essent, ut nobiscum morarentur; at cum hoc iniuriae temporum non concedant, nos istis Patribus pro omnibus delatis obsequiis summas referimus gratias, addito pro nobis et posteris nostris promisso, quod si Deus optimus et fidelissimus loco isti sit benedicturus, fatos Patres, priori intentioni insistentes, ante alios velimus recipere Religiosos, ad structuram Monasterii procedere, et ad hanc nostram opem pro viribus impendere. In robur horum affigimus civitatis sigillum. Actum Kenzingae die 23. Decembris an. 1639.

[L. S.]

123. Providus Senatus Kenzinganus, suo promisso de iterata receptione Fratrum satisfacturus, instrumento[4], an. 1648 die 26. Sept. signato, intra

---

[1] Ex earum tenore manifestum est, scriptores an. 1639 pro introductione allegantes, lapsum fecisse.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Friburg. et Kenzingani Franciscan. Hueb. in Chron. col. 740. Suev. Eccles. p. 458. Cont. Orb. Seraph. t. 6. p. 351. Chron. Prov. Tyrol. p. 167.

[3] Determinate loquendo annus decimus erat inchoatus, et nonus completus, ut iam ex dictis deducitur.

[4] Invenitur in Archivo Conv. Kenzing. et Protocoll. Conv. Friburg. t. I. p. 200 etc.

moenia[1] novum fundum, an. 1649 coemtis duabus domibus ampliatum, designavit. Residentiae recuperatae P. Constantinus a Friburgo, an. 1649 die 11. Oct. Kenzingae appulsus, praefuit. Conformiter ad favorem an. 1650 collatum, n. 109. tactum, crux an. 1654 die 19. Iulii[2] a P. Friderico Gailer, Ministro actuali, plantata, primus lapis sine solemnitate pro structura Claustri an. 1657 die 18. Maii[3], pro aedificio Ecclesiae an. 1658 in Vigilia omnium Sanctorum fixus est. Die 19. Novemb. Fratres Conventum primitus incoluerunt, et an. 1659 die 15. Maii Reverendiss. D. Franciscus, Abbas celeberrimi Coenobii Ettoniani, primum lapidem solemnem pro Ecclesia posuit. Structura ad suum esse ex subsidio variorum benefactorum, praesertim Monasterii Ettoniani, civitatis Kenzinganae, Praenob. virginis Sibillae de Winckelhofen, et aliorum locorum aut personarum, lignis, vecturis, pecunia aut aliis modis subvenientium, pervenit, et ex decreto V. Definitorii an. 1661 die 11. Iulii lato ad dignitatem formati Conventus ascendit[4].

124. Reverendiss. D. Gabriel Haug, Episcopus Tripolitanus ac Suffraganeus Argentinensis, de licentia Celsissimi Principis Constant. Francisci Ioannis a Prasperg an. 1662 die 11. Iunii Dom. infra Octav. SS. Corporis Christi Ecclesiae ac tribus Aris eius, et die 12. Arae S. Francisci, in peristylio locatae, consecrationis favorem, additis consuetis Indulgentiis, impertitus est, RR. DD. Abbatibus Schutterano, Ettoniano et Tennebacensi actui huic assistentibus. An. 1676 die 4. Sept. turma exercitus Gallici ostio pomarii ac cellae vinariae vi aperto, militibus ad tutelam datis, verberibus, quin uno eorum vulnere affecto, totum vinum epotando, amovendo et effundendo pessumdedit, et quidquid in Conventu obviabat, surripuit. Bellidux Luxemburgicus, de hoc excessu per militem tutelarem certior redditus, carnificem supremum cum 20 equitibus amandavit, adiuncto mandato, ut praedones, quos invenerit, suspendat. In illorum manus octo, diutius moram trahentes, delapsi sunt. Carnifex quatuor ex his in distinctis Claustri ianuis affixurus, ad preces P. Guardiani Ieremiae a Bulsano mentem mutavit, et vinctos, isto comite, ad belliducem duxit, qui duobus laqueo addictis, ceteris ad intercessionem P. Guardiani ulteriorem auram indulsit. Porro Guardianus sustentandis Fratribus impar, plurimis ex his ad Conventus Sueviae dimissis, unacum Patre et Fratre Laico Kenzingae haesit. Paulo post perrexit Endingam, Parochialia munia in Ecclesia S. Petri obiens, istamque uti etiam Ecclesiam S. Martini a spoliatione vindicans.

---

[1] Intentio prima, an. 1630 formata, ad fundum extra civitatem situm collimabat.

[2] Constat ex Protocoll. Prov. Tyrol. Franciscan.

[3] Manifestum est ex Protocoll. cit. et Conv. Kenzing.

[4] Hueb. Suev. Eccl. et Cont. Orb. Seraph. iam cit. Monum. citata. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 167 etc.

An. 1677 milites quidam ducis Crequii, ad pabulum exeuntes, res ad victum destinatas nec non totam supellectilem Conventus amoverunt, coryphaeo eorum stricto gladio Guardianum terrente. Intra an. hunc et 1679 Fratres noviter aucti variis in Parochiis, suis pastoribus destitutis, munia Parochialia exercuerunt. An. 1698 die 1. Iulii Reverendiss. D. Robertus, Abbas celeberrimi Monasterii Tennebac. Ord. Cisterc., Capellam S. Annae cum suo tractu et pertinentiis Conventui via venditionis transcripsit. An. 1705 munia Parochialia in pago Wagenstadt (ab an. 1683 vicario modo producta, Provincia ea ultronee resignante) finem attigerunt. An. 1756 ac seq. pars muri claustralis, et altera cella vinaria excitatae sunt [1].

125. Ecclesia, S. Iosephum ceu suum Patronum reverens, anniversarium dedicationis, cuius tempus iam assignatum, Dominica post Festum SS. Corporis Christi celebrat. Ara maior S. Iosephi quotidiano pro defunctis fruitur privilegio. E cornu Epistolae occurrit Ara S. Antonii Patavini, Pusionis Pragensis sedes, Fer. secunda pro membris Archiconfraternitatis S. Francisci privilegiata; e cornu Evangelii vero Ara S. Annae [2], B. Matris Boni Consilii sedes. Istae modernam formam unacum Cathedra an. 1759 et seq. ut plurimum ex liberalitate Pl Rev. D. Ioannis Caspari Machleid, Parochi Ringsheimensis, ac Diffinitoris Ven. Capituli ruralis Lahrensis, nactae sunt. Horto Conventus adiacet Sacellum S. Annae, cum sua Ara an. 1501 die 25. August. a Reverendiss. D. Balthasaro, Ep. Traiano, Ord. Praedicat., Suffraganeo Celsiss. DD. Hugonis de Landenberg (Ep. Constant.) s. liquoribus perfusum, et consuetis Indulgentiis condonatum. In peristylio moratur Ara S. P. Francisci, n. priori tacta. In calculo SS. Reliquiarum, authentica gaudentium, particulae de tunica S. Iosephi, de cingulo B. V. Mariae, de S. Cruce, et S. Petro Regalato obviant. Saluti animarum intendit: 1. Verbum Dei, in Ecclesia Parochiali certis Dominicis ac Festis, et in Conventuali in Dominicis menstruis et certis aliis Festis, explanatum. 2. Archiconfraternitas S. Francisci, an. 1663 introducta. 3. Via Crucis, an. 1733 erecta. Subin hic Novitiatus, subin studium Philosophicum aut Theologicum, et 28 circiter Fratres sedem habent, benefactoribus suam sustentationem in acceptis referentes. In sigillo Conventus S. Iosephus, Nutritius Christi, conspicitur, his in orbe exaratis verbis: *Sig. Guardiani Conventus Kenzingensis* [3].

---

[1] Hueb. et Suev. Eccles. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 351 etc. Chron. cit. p. 168 etc. Monum. Prov. Tyrol. et Conventus Kenzing. Franciscan.

[2] Constat ex instrumento consecrationis. Usus invaluit, quod vocetur Ara S. Mariae; fors ex eo, ut discernatur ab Ara S. Annae, in istius Sacello sita.

[3] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 351. Chron. cit. p. 168 etc. Monum citata.

§ 14.

Conventus Sulgaviensis ad S. Antonium Patavinum.

126. Sulgavium, vulgo *Sulgau*, *Saulgen*, *Sulgen*, civitas Sueviae, a fluviolo Schwarzacha humectata, Dioecesi Constantiensi inserta, *Alaudis* Austriacis in re temporali genua flectit. Olim erat curtis Regalis Sueviae, *Sologe, Sologum, Solagon, Sulichgowe, Sulegow* nuncupata, in qua Otto II. Imp. pro Monasterio S. Maximini an. 963, Otto III. Imp. pro Abbatia Gandersheim an. 994 diplomata expediverunt. Proprios antiquitus recensuit Comites, e quorum stirpe, uti quidam praetendunt, S. Menradus M. prodiit. Agri civitatem cingentes largum frumentum, silvae vero, in vicinia assurgentes, numerosas suppeditant feras. In computo sacrorum aedificiorum morantur Ecclesiae: SS. Ioannis et Andreae Parochialis, S. Antonii Franciscan. cum adiuncto Conventu, S. Spiritus in Hospitali, S. Elisabethae Tertiariarum cum suo Coenobio intra moenia sitae. Extra eam obviant Ecclesiolae: B. Matris Dolorosae in Moshaubten, S. Crucis, S. Leonardi, SS. 14 Auxiliatorum in Leprosorio, SS. Trinitatis, S. Verenae, et S. Brunonis [1].

127. Reverendissima, et Illustrissima D. D. Catharina de Spaur, Pflaum et Valör, Abbatissa Ducalis Collegii Buchaviensis [2], S. R. I. Principissà, P. Basilio de Menzingen, Praesidi Residentiae Ehinganae, Oglspirii visitationis causa degenti, ad se accito, an. 1646 die 26. Ianuarii mentem suam de Coenobio Franciscanorum Sulgavii in honorem Dei et salutem animarum struendo explicavit, annexa conditione, ut Franciscani munus Cooperatoris Sulgavii saltem usque ad colophonem aedificii ex reditibus Parochialibus, supposito consensu Celsiss. Ordinarii excitandi, obeant. Isto reponente, rem a voluntate Ministri Prov. dependere, baiulum ad hunc amandavit, qui facilem annutum dans, Patrem ad servitia ex Residentia Ehingana tollendum addixit. Sors cecidit supra P. Theobaldum a Monachio, qui una cum Fratre Iacobo de Brixina, suo socio, Sulgavium die 14. Martii attingens, servitiis suis spiritualibus civium cor Ordini addixit, et die 22. in domo Parochiali sedem fixit. Negotium energice promovit P. Minister Provincialis simul Defin. General. Fridericus, Sulgavii an. fato die 7. Aprilis appulsus, utpote qui consensum Ferdinandi Caroli, Austriae

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 352. Chron. Gottwic. t. 1. part. 2. p. 512. Wegelinus, ex eo procedens, t. 2. p. 16 et 44. Chartae Suev. Lex. Basil. Zcill. Monum. Conv. Sulgav. Franciscan. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 170.

[2] Situm habet Buchaviae, circuli Suevici civitate Imperiali, lacui Plumario, vulgo *Federsee*, adiecta.

anterioris Domini, civitatis Sulgaviensis, ac Celsissimi Principis Constantiensis ocius elicuit, et 2. Maii cum Plrm. Rev. Parocho ratione Cathedrae et aliarum functionum spiritualium transactionem cudit. Die 3. Principissa suam auxiliatricem manum pro Conventus structura oppigneravit. Actus hos excepit locatio Fratrum in aedibus D. Ioannis Eller, in sinu civitatis sitis, nec non Congregatio intermedia Oenipontana, an. 1646 celebrata, in qua fatus Theobaldus Praeses evasit, ius dicens Petro a Monachio, Concionatori Parochiali, ac duobus Laicis. Incolae Residentiae an. 1650 ex aede Elleriana ad domum D. Ioannis Müller, olim Sulgav. Archigrammatei, tunc temporis Consulis Wangensis, in suburbio sitam, benefactorum eleemosynis coemtam, ac ad modum formatae Residentiae redactam, migrarunt. Iam brevitatis ergo omitto consensum Archiducalem, an. 1646 die 6. Iunii, et Sulgaviensem die 9. April. signatum, et adduco Episcopalem [1].

Vicarius Reverendissimi in Christo Patris, Illustrissimique Principis ac Domini Domini Francisci Ioannis, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Constantiensis, Domini Augiae Maioris, et Æningae etc. in spiritualibus Generalis, A. R. et Religioso Patri Friderico a Monachio, Fratrum Minorum Reformat. Ord. S. Francisci Definitori Generali, et per Tyrolim Provinciali Ministro, reliquisque eiusdem Ordinis et Provinciae Patribus et Fratribus salutem in eo, qui est ipsa salus.

Vigor aequitatis, rationis ordo, et pastoralis Nostri officii solicitudo exigit, ut pia fidelium vota, Deo grata et Ecclesiae suae perutilia, maxime ea, e quibus Religionis et devotionis propagatio, Nominis Numinis divini laus, et animarum salus indubie speratur et obtinetur, benigno prosequamur favore. Sane petitio vestra Nobis exhibita continebat, quod pro divini cultus fideique Catholicae incremento, Reverendissima et Perillustris Principissa ac Domina Domina Catharina [2], Abbatissa Ecclesiae Collegiatae SS. Cornelii et Cypriani in Buechau etc., vobis praedictis Patribus et Fratribus Monasterium et Templum ad oppidum Austriacum Saulgen, Dioecesis Constantiensis, erigere et aedificare piissime intendat, iamque fundamentum ad structuram opportunum realiter attribuerit, accedente ad hoc ipsum laudabile opus Magistratus et communitatis Sulgaviensis Nobis in scriptis exhibito consensu.

Enim vero cum vota huiusmodi absque Ordinarii auctoritatis et consensus interventu adimpleri nequeant, quare ipsam et bene fata Abba-

---

[1] Hueb. in Chron. col. 745. Suev. Eccles. p. 737 et Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 170. Monum. citata.

[2] Ad dignitatem Principissae an. 1611 ascendit, et 1650 die 21. Martii e vivorum calculo amota fuit. Successit eidem Illustr. et Reverendiss. D. D. Maria Francisca ex Comitibus de Montfort, munificentiae istius aemula.

tissa per literas, vos vero ipsi Patres et Fratres per A. R. P. Provincialis Friderici a Monachio vivam vocem a Nobis enixe et humiliter petiistis, quatenus huic erectioni et aedificationi Episcopalis quoque assensus, auctoritate Nostra ordinaria decretus, favorabiliter accederet. Nos igitur, qui Dei gloriae, sanctissimae Deiparae Virginis Mariae et S. Francisci laudis augmentum intenta solicitudine quaerimus, atque sub Seraphici Patris Regulae observantia, perfectionis studio vacantes, utriusque sexus fideles benigno foveamus affectu, piis vestris desideriis annuendum et aequissimae petitioni vestrae consentiendum duximus, atque, ut ad memoratum oppidum Saulgen intra vel extra moenia, prout commodius vobis videbitur, Monasterium et Templum iuxta Ordinis vestri Constitutiones erigere et aedificare vobis ibidem vota vestra Altissimo praestituris, libere ac licite possitis ac valeatis, auctoritate Nostra ordinaria, absque tamen alieni iuris praeiudicio, et iuribus Episcopalibus, Archidiaconalibus, Capitularibus ac Parochialibus in dicto Saulgen in omnibus et per omnia salvis, in Domino consentimus per praesentes, manu propria subscriptas, et Vicariatus Nostri sigillo munitas.

Die 17. Aprilis anno Domini 1646, indictione 14.

Martinus Vogler
SS. Theologiae D. Vicarius Generalis.

128. Illustriss. Ducale Collegium Buchaviense fundum potissimum ad totum aedificium instrumento, an. 1650 die 7. Ianuarii signato, a civitate, cui de suis agris quatuor iugera cessit, comparavit; residuus ex domo Mülleriana iam tacta, et quodam hortulo, ex s. eleemosyna coemto, coaluit. Celeberrim. Monast. Siessense S. Dominici, Sulgavio adiacens, an. 1657 gratiosum annutum pro aqua, ex suo tractu transferenda, dedit. Ecclesia nova, pro Conventu deputata, an. 1664 substantialiter absoluta, die 28. Sept. an. fati consecrationis favorem una cum tribus Aris a Reverendissimo D. D. Georgio Sigismundo, Episcopo Heliopolitano, Suffraganeo Constantiensi, retulit. Fabrica Conventus an. 1665 [1] inchoata, ex charitate variorum benefactorum an. sequenti perfectionem assecuta, Fratres ceu primos incolas die 23. Octob. an. eodem [2], ac primum Guardianum 1668 suspexit. Primo aquaeductu saepe saepius sistente, D. Ioannes Eberle, Consul civitatis et Conventus Syndicus, alium ex suis agris et aquis an. 1707 indulsit. An 1713 controversia occasione domus, per cuius fenestras in hortum et varia loca Claustri patebat prospectus, per transactionem et instrumenta, ab

---

[1] Annum hunc Protocoll. Conv. Sulgav. allegat; unde an. 1663, ab aliis assignatus, eliminandus est.

[2] Neutiquam an. 1668, uti ex allegato Protocollo innotescit.

Excelsiss. Regimine Oeniponti ratificata, composita fuit. An. 1738 prima manus aedificio novo Provincialatus et infirmariae admota, et Chorus ad posteriorem partem Ecclesiae translatus fuit. Excell. D. D. Comitissa de Königseck Aullendorf pro reparandis Ecclesiae laquearibus 400 florenos gratis 1756 suppeditavit. An. 1763 Ecclesia et Conventus ad praesentem ex diversorum benefactorum subsidiis pervenit formam[1].

129. Ecclesia, S. Antonio Patavino dicata, et Dominica, Festum S. Michaelis praecedente[2], anniversarium dedicationis celebrans, ob varia beneficia, per suum S. Patronum collata, a multis invisitur peregrinis. Ara maior S. Antonii quotidiano privilegio pro defunctis gaudet. E cornu Epistolae Ara B. V. Mariae Auxiliatricis obviat, sedes iconis a gratioso D. Ioanne Francisco Spreng de Velsenheim, in Camera Oenipontana Consiliario, Conventui an. 1696 consignatae. E Cornu Evangelii Ara S. Iosephi surgit, sedes B. V. Mariae de Bono Consilio. In classe Reliquiarum authenticarum particula S. Crucis, de cineribus S. Antonii Patavini, et veste S. P. Francisci prostant. Domus Capitularis a Reverendiss. D. D. Conrado Ferdinando Geist, Episc. Tricalensi, Suffraganeo Constant., an. 1696 die 11. Maii in honorem B. V. Mariae, S. Annae et S. Ioachim consecratione affecta est. Pro honore Dei et salute proximi pugnant: Archiconfraternitas S. P. Francisci, ex favore Constantiensi an. 1661 impenso introducta; verbum Dei a Concionatore in Parochia, ab alio in Conventu, ab alio in Aullendorf declamatum; servitia spiritualia Ducali Collegio Buchaviensi, Archi-Commendaturae Alshusianae, Aulae Königseckio-Aullendorfensi, et Monialibus Tertiariis Sulgaviensibus praestari solita; ac via Crucis, an. 1717 intra Sacellum B. V. Mariae in Moshaupten, et Conventum per Capellulas et Cruces, nec non in Ecclesia inferiori an. 1762 erecta. Incolae Conventus 25 circiter ex sacra eleemosyna, humiliter petita aut sponte oblata, ac Missarum stipendiis vitam protrahunt. Sigillum Conventus exhibet S. Antonium cum his verbis in orbe exaratis: *Sigill. Guard. Conventus S. Antonii Sulgavii*[3].

§ 15.

Conventus Inticensis ad S. Leopoldum.

130. Intica, al. *Inticha*, olim *Aguntum*, *India*, vulgo *Innichen* seu *Iniching*, olim etiam *Campogela*, oppidum haud ignobile Tyroleos, Dioecesis Brixinensis, ac in re temporali quoad ius altum Comitibus Tyrolensibus, quoad bassum Episcopis Frisingensibus[4] adscriptum, 7 milliaribus German.

---

[1] Cont. Orb. Seraph. iam citatus. Chron. cit. p. 171 etc. Monum. cit. Suev. Eccles. p. 738.

[2] Constat hoc ex instrumento consecrationis et Monum. Conv. Sulgav. Franciscan.

[3] Cont. Orb. Seraph. iam citatus. Chron. cit. p. 171. Monum. citata.

[4] Neutiquam Salisburgensibus, ut vocat Cont. Orb. Seraph.

Brixina, et 4 Leontio avulsum, in valle Pusteriana, al. Pustrissa [1], stationem fixit. Alluitur a fluviolo Dravo, vulgo *Drau*, in conspectu eius torrentem *Sextensem* epotante, peragratis variis terris dignitatem momentosi fluvii attrahente, et Essekini in Slavonia sese in Danubium exonerante. Celebre evadit ex insigni Ecclesia Collegiata SS. Candidi et Corbiniani, olim Benedictinorum, dein Canonicorum saecularium. Primitus hoc in loco erectum est Monasterium a Duce Boiariae Tassilone, iuxta Resch an. 770 fundatum, cuius Ecclesiam Otto I. Caesar an. 925, 965 et 972 [2] multis bonis ac privilegiis ditavit; ei aggregatae sunt Ecclesiae: B. V. M. Oettinganae, Claustri S. Catharinae olim Monialium S. Dominici, SS. Salvatoris in Eremo, S. Silvestri Papae in monte, Parochialis S. Michaelis Archangeli, et S. Mauritii filialis [3] eiusdem. Annectenda venit Ecclesia S. Leopoldi cum adiecto Coenobio Franciscanorum, de quo iam disserendum [4].

131. Provincia Franciscana Tyroleos gratia Augustissimi Leopoldi I. Caesaris, occasione Monasterii RR. PP. Servitis ad pontem ante pagum Volders stratum Claustrum erigendi [5] oblata, usura, Coenobio Inticae acquirendo animum suum addixit, et P. Eustachium Kracker, Superiorem Brixinensis Monasterioli, actu deputatum Visitatorem Commissarium Provinciae Austriacae Franciscanorum, pro actore huius causae selegit. Iste ante abitum consensum ore factum, et recommendatitiis literis stipatum Celsiss. Princip. Brix. D. D. Ioannis Francisci Comitis de Kuen, et exin die 6. Maii an. 1690 [6] literalem Augustissimi obtinuit. Maxima contradictionum tempestas exin ocius orta, decretum Caesareum suspensivum, meliorem informationem exspectans, elicuit, Celsissimi Ordinarii mentem fluctuantem reddidit, et negotium in summum discrimen egit; pro tempestate hac dissipanda operam suam Franciscanis adiunxerunt Sereniss. Eleonora, Regina Poloniae, soror Leopoldi I. Caesaris, Reverendiss. D. Horatius Antonius Carara, Praepositus Inticensis, Excellentiss. Comes et Capitaneus Künigle, gratios. D. Spreng, arcanus Consiliarius, Praenob. D. a Winckelhofen, Capitaneus Peutelsteinensis, Commissarius huius negotii, et Franciscus Walter, Praefectus Inticensis. Iste ex mandato Sereniss. Clementis, Electoris Colon. ac Episcopi Frisingensis, die 7. ac 8. Sept. vota singularia Inticensis communitatis

---

[1] Cont. cit. corrupte eam *Putrissam* vocat.

[2] Cl. Resch in aetate millenar. Eccles. Aguntinae, seu Inticens. p. 45 etc. 48 etc. diplomate ista sistit.

[3] Neutiquam Parochialis.

[4] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Inticens. Franciscan. Meichelbeck in Hist. Frising. p. 64, 106 et alibi, nec non in Compend. Chron. Frising. p. 47, 60 et 87. Resch. cit. nec non p. 12, 22 et plurib. aliis. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 352. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 173. Granell. in Topograph. Germ. Austr. aucta part. 1. p. 234 etc. et alii.

[5] Erectio haec ob vicinitatem Conv. Hal. et Suaz. nobis praeiudicabat.

[6] Neutiquam an. 1689.

collegit, tertia parte votorum, videlicet 60, in favorem nostrum cadente. Exin consensus fati Sereniss. Monachii die 12. Oct. exoratus, ac an. 1691 ad instantiam praedicti Patris Eustachii Vindobonam profecti, et re de novo desperata ad S. Theresiam confugientis, relaxatio suspensionis, primum Caesareum consensum afficientis, nec non istius nova concessio sub clausula: *Si Episcopus agnoverit, nullum praeiudicim aliis infligendum*, subintrarunt. Sereniss. Electore Clemente domum Praefecturae, vulgo *Pfleg-Haus*, pro incolatu Fratrum ante structuram Coenobii die 21. Martii offerente, Celsiss. Principe Brix. die 6. Iulii ibi stationem temporariam duorum Franciscanorum, Missionariorum officium gesturorum, indulgente, Augustissimo Caesare die 26. Iulii ligna pro Coenobio futuro concedente, illuc missi sunt P. P. Matthaeus Mayr et Laurentius Mans, qui die 29. Iulii ductore P. Adriano Huepper, Ministro Prov., Inticae appulsi, et diplomate Brixinensi die 1. Aug. pro libera productione suorum obsequiorum spiritualium muniti, vineam Domini tanto fervore excoluerunt, ut varii inimici in amicos nostros transierint, et nova testimonia Cleri saecularis, ac 11 communitatum temporalium pro introductione Franciscanorum confluxerint. Decretum Brixinense, die 30. Dec. latum, Patribus duobus tertium adiunxit, sicque initium formatae Residentiae, cui P. Matthaeus Schneid primitus praefuit, dedit [1].

132. RR. PP. Capuccini per Venerab. P. Marcum ab Aviano, virtute conspicuum, Caesari Leopoldo apprime charum, duobus elapsis annis hoc in puncto ipsis inservientem, et de novo servitia sua [2] offerentem, novam remoram an. 1692 ponere studebant; ast ad Celsissimum Ordinarium, cui Augustissimus iam antea rem commiserat, remissi, actum egerunt. Ex istius voluntate anno dicto die 10. Sept. ad valvas Ecclesiae Collegiatae Inticensis edictales affixae, et sententia definitiva die 18. eiusdem Brunopoli [3] promulgata fuit. D. Michael Dinsl, Collegiatae Ecclesiae Praefectus, fundum, vulgo *das Pummes Gut* vocatum, ab oneribus suis redemtum, subin Provinciae condonatum, suppeditavit, in quo, coemta quadam domuncula et horto aucto, Praenob. D. Franciscus Walter, Praefectus Inticensis, an. 1693 die 6. Maii primum lapidem pro structura Conventus terrae immisit, fato anno pro aliquali sustentatione Fratrum Reverendiss. et Illustriss. D. Georgius Trapp ad Pisein, Comes de Matsch, eleemosynam annuam 80 florenorum, et Monasterium Brixinense Clarissarum 100 florenorum, Augustissimus vero Caesar Leopoldus tria millia florenorum pro structura Coe-

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 352 ac seq. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 175.

[2] Constat hoc liquide ex Protocoll. Conv. Int., et tangitur etiam strictim in Protocoll. Provinciae. Cont. Orb. Seraph. ait, fato P. Marco decisionem huius negotii fuisse commissam, cumque in favorem nostrum pronuntiasse; at Protocoll. Prov. et Conv. Intic. nil de hoc habent.

[3] Locus hic, ab aliis Bruneggium, vulgo *Bruneck* vocatus, est civitas vallis Pustrissae, 4 mill. Germ. Intica elongata.

nobii deputarunt. Anno 1694 die 29. Iulii Residentia primitus a Fratribus inhabitata, lapis primus pro Ecclesia a praefato Celsissimo positus, crux benedicta et erecta fuit, lapidi hac inscriptione adiuncta: *Ad laudem et gloriam sanctissimae et individuae Trinitatis, honoremque gloriosissimae Virginis Mariae, ac S. Leopoldi Confessoris me lapidem primum posuit Celsissimus Agni Praesul ac Imperii Princeps Ioannes Franciscus ex Comitibus de Kuen etc. die 29. Aug. 1694.* Celsissimus hic an. 1697 die 1. Sept. Ecclesiam novam cum 4 Altaribus sacris liquoribus perfudit. Capitulum Provinciale, Oeniponte an. 1698 die 26. Maii celebratum, Residentiam Inticens. ad dignitatem formati Conventus extulit, P. Stocker primum Guardianum statuens [1].

133. Celsissimus Princeps Brix. Ioannes Franciscus Conventui absoluto Cathedram Ecclesiae Parochialis, et D. Michael Dinsl aquaeductum an. 1700 consignarunt. Anno 1706 die 4. Iunii Brunopoli piissime in assistentia P. Caesarii Gump, Guard. Inticensis Conv., et P. Chrysostomi Friz exspiravit D. Michael Dinsl, Tertiarius Seraphicus, fundator Conventus, specialibus suffragiis donatus; enim vero pro eius structura 7 millia florenorum numeravit, fundum potissimum gratis subministravit, et plura alia maiora bona praestitit. De eo in decursu libri VII. redibit sermo. Plurim. Reverend. ac Excell. D. Ingenuinus Lercher, SS. Theol. Doctor ac Decanus prope Passavium, Conventui huic an. 1715 ducentos transcripsit florenos. An. 1716 conciones Quadragesimales in Ecclesia Collegiata singulis Feriis VI. habendae, Celsissimo Ordinario consentiente, et communitate salarium in recognitionem laborum taxante, Conventui concreditae fuerunt. Ven. Definitorium Plurim. Reverendo D. Schraffl, Canonico Inticensi, sepulturam et quasdam functiones spirituales an. 1748 addixit [2].

134. Ecclesia S. Leopoldo, Provinciae nostrae Patrono, sacra, anniversarium dedicationis, n. 132. tactae, Dominica post Festum Exaltationis S. Crucis [3] recolit. Ara maior primitus sumtibus Nob. et strenui D. Ferdinandi Caroli Fidelis an. 1699, an. vero 1763 insigni munificentia Reverendiss. et Illustrissimi D. D. Ioan. Iacobi Caroli, Comitis a Recordin de Nein et Haanberg, Domini in Radegg et Zellburg, Collegiatae Ecclesiae Inticensis et Cathedralis Ratisbonensis ad SS. Ioan. Bapt. et Evangelistam mitrati Praepositi, nec non Cathedralis Brixinensis Canonici, de novo erecta est, et quotidiano privilegio pro Defunctis potitur. E cornu Evangelii Ara B. V. M. Immaculatae, et SS. Ioachim et Annae, e cornu Epistolae vero Ara SS. Petri de Alcant. et S. Theresiae surgit; succedit e cornu Evangelii haud procul a maiori Ecclesiae ianua Capella S. Antonii Patavini

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 353 et seq. Chron. cit. p. 173 ac 175.

[2] Monum. citata.

[3] Asseverat hoc Protocoll. Conv. Int. in actis an. 1698.

cum sua Ara, expensis Praenob. ac Plurim. Rev. D. Ioannis Caspari Troyer ab Aufkirchen, Canonici Inticensis, an. 1697 confecta. Accedit Ara S. P. Francisci in domo Capitulari. Fidelium cultum excitant particula de S. Cruce et caputio S. P. Francisci, Reliquiae SS. Apostolorum, S. Leopoldi, S. Antonii Patav., SS. Perpetuae, Iustini, Reparati, Perpetui, Urbani, Placidae, Abundii, Ursulae, Fortunati, Columbae; Nerei, Piae, Victoriae, Innocentii, Felicissimi, Iucundini, Honoratae, Columbi, Victorii, Christiani, Illuminati, Clementiani et aliorum; praetereo Sanctorum Reliquias, Altaribus in consecratione insertas. In bonum spirituale incolarum et accolarum facit hic: 1. Verbum Dei a Concionatore Parochiae in Ecclesia Collegiata ac Parochiali, et ab alio in Ecclesia Conventus nostri certis temporibus propositum; 2. Archiconfraternitas S. P. Francisci, an. 1699 inchoata; 3. Schola normalis a Patre Conv. directa; 4. Via S. Crucis an. 1733 plantata. Sepultura Fratrum coram Altari summo locum habet. In hoc Conventu, communius Novitiatum numerante, Fratres 26 circiter ex s. eleemosyna, diversis modis affluente, sustentantur. Sigillum eius S. Leopoldum offert cum his verbis: *Sigill. Guard. Conventus S. Leopoldi Inticae* [1].

CAPUT III.

MONASTERIOLA SEU HOSPITIA FORMATA
Fratrum exstantia, Provinciae Tyrolensi substrata.

§. 1.

Monasteriolum Brixinense ad S. Elisabetham.

135. Brixina, al. *Brixinum*, olim *Brixino, Bressena, Bresseno,* Germ. *Brixen*, nobilis Tyroleos ac Dioecesis Brixinensis civitas, 7 horis Sterzinga, ac 3 Clusina remota, a fluviolo Eisack, torrentem Rienz deglutiente, humectata, furorem ignis an. 1174 et 1234 sensit. Splendida evadit ex Cathedra Episcopali, Sabiona [2] Brixinam translata; ex palatio Celsissimi Principis, et Episcopi Brixinensis; ex palatiis aliorum Nobilium; ex magnifica Ecclesia Cathedrali B. V. Mariae assumtae, 19 Canonicos numerante; ex Gymnasio scholarum inferiorum, et doctissimis Professoribus Cleri saecularis, Theologiam ac ius Canonicum docentibus, et ex Coenobiis ibi florentibus. Inter residuas Ecclesias Cleri saecularis veniunt: Parochialis in

---

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 353 et seq. Chron. cit. p. 173 etc.

[2] Locus iste, civitati Clusinae vicinus, olim erat urbs celebris, Episcoporum Sabionensium sedes, ab Hunnis eversa; nunc hic Parthenium Ord. S. Benedicti in monte virescit.

Insula S. Crucis, Collegiata B. V. M. *in ambitu*, Aulica B. V. M. Immaculatae, B. V. M. Auxiliatricis in Zinggen, S. Ioannis Bapt. *in ambitu*, SS. Episc. Erhardi et Godehardi, Parochialis S. Michaelis, S. Spiritus in Hospitali, S. Barbarae in Coemeterio, S. Angel. Custod. in Stufels. Filiales rurales, praeter Curatam S. Georgii M. in Vahrn, numerantur: S. Iacobi Ap. in Mahr, S. Ioan. Bapt. in Tschötsch, S. Nicolai Ep. in Tetschling. S. Ioan. Ev. ibidem, S. Udalrici Ep. in Pinzagen. Capellae consecratae sunt: SS. trium Regum, S. Onuphrii, S. Barbarae, in domibus Canonicis plantatae, et alia trium Regum extra civitatem. Silentio premens Capellas non consecratas, pergo ad Ecclesias status Religiosi, inter quas obviant: Ecclesia S. Catharinae V. et M. Capuc., S. Elisabethae Clarissarum, et B. V. M. ad Nives modo dictae Clarissarum Ecclesiae adhaerens. Florescit quoque hic Institutum B. V. M. Anglicanum, et Congregatio Sororum tertii Ord. S. Francisci, vota simplicia emittentium. Media hora a civitate caput effert inclytum Collegium Neocellense, vulgo Neustift, B. V. M. ad Gratias, a RR. DD. Canonicis Regularibus S. Aug. inhabitatum. Regio, civitatem ambiens, frumentum, vinum et varia alia large subministrat[1].

136. Veritati sat consentaneum est, quod Clarissis, Brixinae sedem figentibus, ocius unus alterve Minorita ipsis servitia spiritualia deferens, adiunctus fuerit; enim vero ex una parte de extero, ad talia obsequia assumto, nullum alicubi deprehendi vestigium, ex altera vero in prima Clarissarum aetate iuxta Monasteria earum locati fuere Minoritae, non solum piis Sororibus in spiritu servientes, sed etiam pro illis s. eleemosynam quaerentes. Firmat id specialis favor, in Archivo Parthenonis Brixinens. expressus, a Nobili Agnete de Gärnstein Clarissis, et Fratribus Minoribus Brixinae exsistentibus an. 1245 impensus. Paucis evolutis annis Brixinenses Clarissae tum pro bono proprio, tum alieno plures anhelarunt Patres, et Monasteriolum, sex capiendis Fratribus par, exstrui curarunt. Pium hoc opus Innocentius IV. PP. confirmavit, et in nomine eius Rainaldus, Ep. Ostiensis et Velitriensis, diplomate *Quam frequenter* Perusiae VIII. Id. Iunii, D. praedicti Papae an. IX. seu an. 1252[2] die 16. Iunii, Ministro Prov. Austriae FF. Min. (cui Monasterium Clarissarum Brixinens. subiecerat) in mandatis dedit, ut Fratres linguae Teutonicae gnaros, in illo ponat. Innotescit ex his verbis Bullae: *Ad haec statuimus, ut Minister Austriae*[3], *qui pro tempore fuerit, teneatur semper vestrum Monasterium visitare,*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Resid. Brix. Franc. Libell. Dioeces. Brix. p. 1 etc. 21 et 23. Mohr in Chron. M. S. Tyroleos. Brandis part. 2. p. 130 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 354. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 175 etc. Resch in Annal. Eccles. Sabion. ac Brixin. t. 1. p. 263, t. 2. p. 94 ac alibi. Burglechner in Aquila Tyrol. M. S. Granelli in Topographia German. Austr. aucta part. 1. p. 228. Lex. Uchsenii. Lex. Basil. Chartae Tyrol. et alii.

[2] Papa hic iuxta Bullar. Franciscan. an. 1243 die 25. Iulii electus, et die 28. coronatus est.

[3] Ex hoc solide eruitur, Provinciam Austriae ante an. 1260 stetisse.

et Fratres utentes lingua Teutonica [1] *in vestro Monasterio collocare, non obstante, quod vestrum Monasterium dicitur esse situm in finibus Ministrationis Marchiae Tarvisinae* [2]. Idem Papali dignitate insignitus, Alexander IV. dictus, duplici diplomate, mox sistendo, structuram huius Monasterioli in Provincia Austriae Custodiae Feliciensi seu Villacensi adscripti, an. 1257 die 11. Martii ratum habuit [3].

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, Abbatissae et Conventui Monasterii sanctae Helisabeth [4] *in Brixina Ordinis S. Damiani, salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestrae petitio Nobis exhibita continebat, quod Nos tunc in minori Officio constituti, statuendum duximus, ut sex Fratres Ordinis Fratrum Minorum discreti, et providi pro Missarum vobis solemniis* [5] *celebrandis, et ministrandis Ecclesiasticis Sacramentis in vestro Monasterio continuo morentur, quod felicis recordationis Innocentius PP. Praedecessor Noster ratum habens, et gratum id per suas literas confirmavit. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod per Nos tunc in minori constitutos Officio et Praedecessorem eundem in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.*

Datum Laterani V. Idus Martii, Pontificatus Nostri anno tertio [6].

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio, Ministro Fratrum Minorum Austriae salutem et Apostolicam benedictionem. Cum olim in minori Officio constituti Nostris tibi dederimus in virtute obedientiae literis in mandatis, ut dilectis in Christo filiabus, Abbatissae et Conventui Monialium Monasterii S. Elisabeth de Brixina Ordinis S. Damiani de sex Fratribus tui Ordinis provideres, a quibus tam dicta Abbatissa et Moniales, quam populus Brixinensis et circumiacentis Provinciae in Confessionibus, et expositione verbi Dei spiritualia obtinere solatia merentur, quique eleemosynas ad opus dictarum Abbatissae et

---

[1] Seu Teutonice.

[2] Intellige Provinciae Marchiae Tarvisinae, subin S. Anton. nomine insignitae.

[3] Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 49. Chron. cit. p. 177. Cont. Orb. Seraph. cit. Pisanus fol. 163. Wad. t. 9. an. 1400, n. 12. p. 228.

[4] Elisabethae.

[5] Solemniis seu solenniis.

[6] Spectato hoc anno deficiunt scriptores, Bullam ad an. 1259 revocantes: quippe Alexander IV. an. 1254 die 12. Decembr. electus, et die 21. coronatus est, uti Bullar. Franciscan. noviss. et varii script. adstruunt.

Monialium peterent et reciperent, a quibuscunque prohibitione contraria non obstante. Nos, quod super hoc factum est in hac parte ratum habentes et gratum, idque auctoritate Apostolica confirmantes, discretioni tuae per Apostolica scripta in virtute obedientiae praecipienda mandamus, quatenus Fratres ipsos ad praemissa pietatis opera exercenda in Monasterio colloces supradicto, iuxta praedictarum Nostrarum continentiam literarum praefatum senarium numerum iuxta dispositionem Nostram exacta diligentia inibi conservando.

Datum Laterani V. Id. Martii, Pontificatus Nostri anno tertio.

137. Provincia Minoritica Austriae Monasteriolum Fratrum ad dignitatem Conventus extulit, eique Guardianum praefecit; evincitur hoc ex sequentibus monumentis, in Archivo Brixinensi Clarissarum et Prov. Tyrol. Franciscan. prostantibus. Alexander IV. PP. Bulla *Sanctorum meritis* Viterbii Non. Iunii Pontific. an. III. (sicque 1257) data, ad Guardianum et Minoritas Brixinenses directa, fidelibus vere poenitentibus et confessis Ecclesiam, eorum usui addictam, in die consecrationis et anniversario dedicationis, in Festivitatibus SS. Francisci, Antonii, Clarae, ac 8 diebus seq. nec non Festis SS. Patronorum, Altaribus praefixorum, devote visitantibus Indulgentiam 100 dierum impertitus est. Roboratur: 1. Ex literis D. Morhardi de Greiffenstein, an. 1293 signatis, Fratre Bernardo, Guardiano Brixinensi, Fratre H. [1] de S. Vito, Fratre Francisco de Bozano, Sorore Mechtilde de Weineck, Sorore Agnete de Greiffenstein, Sorore Alhaide de Weineck sese ceu testes subscribentibus; 2. Ex literis D. Conradi de Monte, filii D. Gothschalci, in quibus an. 1295. D. Henricus Rufinarius, Ulricus cirotecarius[2], Frater Marquardus, Frater Ditwinus Guardianus, Frater Dieterus Saxo, et plures alii sese subscripserunt; 3. Ex literis D. Hartmanni, Canonici Brixinensis, an. 1326 signatis, in quibus ex nostratibus (exteros omitto) velut testes leguntur: Fr. Bertholdus Guardianus ad Parthenium Brixin. Ord. S. Francisci et S. Clarae. Oppones: In Monasteriolo hoc unice degebant ad summum sex Fratres, sicque non sufficientes ad Conventum. Repono: Numerus hic antiquis sufficiebat, qui inter Conventum et Residentiam formatam seu Conventulum regulariter nullum discrimen formabant, velut ex variis vetustis Catalogis monstrari potest. Successu temporis nomen Guardiani evanuit, et Monasteriolum ad sphaeram purae Residentiae, an. 1455 per auctoritatem Apostolicam a Provincia Austriae FF. Min. Conventualium ad Provinciam Argentinensem Observantium translatae, depressum fuit[3].

---

[1] Legendum erit: Henrico.

[2] Melius: chirothecarius.

[3] Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 1114. etc.

138. Fratres in persecutione, a Duce Austriaco Sigismundo contra Monasterium excitata, alibi fusius delineanda, multas calamitates devorarunt; ipsis aeque, ac Monialibus intentabatur mors, ob periculum vitae per octo dies sub tecto delituerunt et exin Brixina, Monialibus necdum expulsis, amoti sunt. P. Nicolaus Preiss [1], Confessarius Clarissarum istarum, successor P. Hermanni [2] an. 1461 ante discessum Clariss. vita functi, ex mandato fati Ducis Brixinae in carcerem coniectus, inque eo 13 septimanis detentus fuit. Tempestas haec an. 1464 evanuit, quo pace inter Papam et Ducem cusa, Fratres et Sorores pristinum repetierunt domicilium. Ioannes de Lindenfels, Vicarius Provincialis Argentinensis Prov. de Observantia, decreto, Brixinae lato an. 1490, sub poenis gravibus inhibuit, ne sine expressa Vicarii Provincialis licentia in Monasteriolo Fratrum aliquid immutetur, destruatur aut alienetur, et hoc ipsum Capitulum Provinciale an. 1492 Landishuti innovavit. Gregorius XIII. PP. Provinciam Tyrol. Franciscan. an. 1580 erigens, Residentiam hanc eidem adiudicavit, adiudicatione an. eodem die 31. Maii per V. Patrem Henricum Sedulium, primum Provinciae istius Ministrum, ad effectum deducta, et ab Urbano VIII. de novo an. 1630 stabilita. Fabrica nova Monasterioli Fratrum sub directione A. R. P. Ruffini Laxner, Ministri Provinc. nostrae emeriti, in solo novo (priore Clarissis cesso) an. 1671 primum fundamentum et 1675 [3] colophonem attigit [4].

139. Ecclesia S. Elisabethae Clarissarum, Fratribus pro suis functionibus spiritualibus, in ea producendis, inservit. In Oratorio Fratrum, sacristiae instrato, Ara assurgit a Reverendiss. et Celsiss. Paulino, Ep. Brixinensi, an. 1680 die 11. Oct. in honorem SS. Bernardini, Ioannis de Capistrano et Iacobi de Marchia inaugurata. Honor Dei et salus proximi hic augetur per verbum Dei, a Concionatore Dominicali et Festivali expositum; per obsequia spiritualia Clarissis, Tertiariis ac exteris delata, et per viam Crucis, in Ecclesia an. 1734 erectam. Olim hic etiam viguit Confraternitas S. Annae, an. 1619 ad Ecclesiam Cathedralem translata. Nostrates hic vita decedentes, in peristylio condi solent. Moram hic ducunt 6 Fratres, videlicet Superior, Confessarius ordinarius Clarissarum, duo Concionatores, unus alius Sacerdos, ac Laicus, a Monasterio Clarissarum optime sustentati, et distincto horto provisi. Sigillum Superioris exhibet S. Eli-

---

[1] Agnomen hoc est stirpis et non patriae, uti ex Monum. Parthen. Brix. et eiusdem elogio, mortem eius ad an. 1505 revocante, constat.

[2] Loco huius legit Hueber: Helmann, et hoc agnomen sinistre Nicolao Preiss applicavit, aliosque in hunc errorem induxit.

[3] Neutiquam an. 1669; constat ex Protocoll. Prov. Tyrol. vol. I. p. 564 et 604.

[4] Hueber in Chron. col. 1135 ac 1163. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 354. Chron. cit. p. 176. Monum. citata. Schmid in vitis SS. Tyrol. part. 3. p. 65 etc.

sabetham Thuring. sub his verbis: *Sigill. Super. Brixinen. ad S. Elisabetham*[1].

§ 2.

Monasteriolum Telfsense ad B. V. Mariam Immaculatam.

140. Telfsium, vulgo *Telfs*, oppidum, si non formale, saltem aequivalens, Dioecesis Brixinensis, Principi, Comiti Tyroleos (pro hoc actu colitur Augustissima Domus Austriaca) attributum, prope Oenum considens, 3 mil. Germ. Oeniponte, ac sesquihora a celeberrimo Monasterio Stamsensi Ord. Cisterc. abest. Coarctatur intra limites Dynastiae Hörtenbergensis[2], Comitibus de Fieger oppigneratae. Devotionem fidelium acuunt Ecclesiae, Parochialis S. Petri et filiales eius, praeter Curat. S. Valentini et S. Antonii in Riez, B. V. M. Assumtae in Pirchenberg, S. Viti, S. Mauritii et Capella in Coemeterio. Sociam operam iis navat Ecclesia B. V. M. Immaculatae cum Monasteriolo Franciscanorum, cuius haec initia[3].

141. Communitate Telfsensi, Reverendissimo DD. Edmundo, Abbate Stamsensi, Illustrissimo DD. Ferdinando Carolo Fieger, Comite Dynastiae Hörtenbergensis subordinato Domino, assensum, pro Franciscanis, hoc in loco introducendis, dantibus; A. R. D. Francisco Oberberger, Celsissis. Principis Brixinensis Consiliario, assistentiam suam et simul subsidium eum in finem adpromittente, P. Eustachius Kracker, Minister Provinciae, clavo Provinciae P. Iusto Redn, Commissario Provinciali, concredito, Vindobonam 1698 perrexit, Augustissimum Caesarem Leopoldum ad annutum flexurus. Oleum et operam decem septimanis perdens, ad imaginem B. V. M. a Lacrymis agnomen alentem, miraculis celeberrimam, olim Peschii in Hungaria, iam vero Vindobonae in Basilica S. Stephani degentem, confugit, facto voto de imagine iuxta exemplar depicta et eidem attacta, Telfsii, si suis sit benedictura laboribus, appendenda. Exin brevi scena mutatur, Caesare propria manu consensum[4] pro hospitio 5 aut 6 Fratrum exarante, et Statibus Austriae anterioris progressum ad opus, si Episcopus Brixinensis[5] annutum dederit, iniungente. Minister dictus, die 12. Nov. hoc favore instructus, rediit in Provinciam, et consensum praefati Celsissimi elicere sudavit. Iste varias difficultates circa consensum sentiens, voluit, ut Provincia prius

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 176 etc.

[2] Nomen ducit ab arce huius nominis, pago Pfaffenhofio adiacente.

[3] Mappae Geograph. Tyrol. Libell. Dioeces. Brix. p. 25. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 354. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. 177 etc. Monum Prov. Tyrol. et Monasterioli Telfsens. Franciscan.

[4] Constat ex Protocoll. Prov. Tyrol. volum. I. p. 874; unde non emanavit an. 1702.

[5] Intellige: Ioan. Franc. Com. de Kuen.

Romam ad S. Congregationem Cardinalium recurrat. Post haec communitas Telfsensis novum consensum, et quidem etiam pro Conventu 12 saltem Fratres continente, congerit; Celsiss. Princeps suum an. 1699 adiungit, et Romae causam nostram promovet. S. Congregatione in favorem nostrum sententiam an. 1701 die 3. Iunii ferente, ac eodem Celsissimo die 30. Iulii affixionem edictalium iubente, die 14. Aug. istae in Ecclesia Parochiali Telfsensi appensae sunt; easdem sententia Celsiss. pro introductione Fratrum, die 26. Nov. lata, die 7. Decemb. Telfsii promulgata, ac receptio solemnis Fratrum excepit. Primum vero Superiorem eorum egit P. Sigismundus Wiz, Definitor Provinciae actualis, in domo Praefecturae ad interim una cum duobus Sacerdotibus et uno Laico locatus [1].

142. An. 1703 die 11. Martii crux (fundo iam an. 1702 comparato, et ab omnibus oneribus redemto) erecta, et lapis primus pro Monasteriolo a P. R. D. Bartholomaeo Gschwender, Parocho Imstensi ac Decano, Commissario a Celsissimo Principe Brix. Casparo Ignatio [2] Comite de Künigle designato, terrae debitis cum solemnitatibus infixus est. Die 13. Decemb. in assistentia Franciscanorum P. R. D. Franc. Oberberger, num. priori tactus, vivere desiit, de Monasteriolo hoc, pro cuius structura quatuor millia florenorum numerari fecit et in cuius bonum alia praestitit, optime meritus. An. 1704 die 13. Iulii Dominica nona post Pentecost. Illustriss. et Reverendiss. D. D. Iosephus Cyriacus Comes Troyer, Cathedr. Eccles. Brixin. Canonicus, Parochus Flaurlingensis et Decanus ruralis, ex Commissione Celsissimi et Reverendissimi D. D. Caspari Ignatii Comitis de Künigle, S. R. I. Principis ac Episc. Brixinensis, primum lapidem pro Ecclesia in honorem SS. Trinitatis, B. V. M. Immacul., SS. Angelorum Custodum, Francisci, Antonii et aliorum Sanctorum, uti ex inscriptione [3] ei annexa innotescit, posuit. Praedictus Celsiss. an. 1705 die 23. Iunii Ecclesiam et quatuor Altaria eius consecrationis gratia beavit. Exin die 21. Novem. transactio ratione aquaeductus confecta est, ac die seq. statio prima Fratrum in Monasteriolo, ex subsidiis variorum benefactorum, aere, vecturis aut alio modo subvenientium excitato et substantialiter absoluto, fixa fuit. D. Mathias Zwerger, olim essedarius Archiducalis, oleum pro lumine, coram Sanctissimo radios perpetuos dispersuro, an. 1707 fundavit. An. 1709 novus aquaeductus ex meliore scaturigine expensis strenui Domini Ioan. Chrysostomi Schölling ad Monasteriolum derivatus est. Celsiss. Princeps Brix. Casparus Ignatius Comes de Künigle attenta gravi mole functionum spiritua-

---

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 354. Chron. cit. p. 179.

[2] Successit D. D. Ioanni Franc. de Kuen, an. 1702 die 13. April. e vivorum calculo amoto.

[3] Eam, utpote sat prolixam, omitto; partem eius adducit Cont. Orb. Seraph.

lium, praesertim in confessionibus excipiendis, Monasteriolum premente, an. 1713 maiorem numerum Fratrum in eodem admisit [1].

143. Ecclesia B. V. Immaculatae dicata, anniversarium dedicationis iam insinuatae, Dominica IV. post Pascha ex mandato Celsissimi Ordinarii colit. Ara maior B. V. Immaculatae, quotidiano privilegio pro defunctis munita, in moderna forma una cum Aris lateralibus an. 1756 surrexit. E cornu Evangelii conspicitur Ara S. P. Francisci, sumtibus D. Christophori Walter, Celsiss. Princip. Brix. Consiliarii et oeconomi, an. 1707 primitus erecta. Exin occurrit Capella S. Annae, suum fundum [2] strenuo D. Ioan. Christoph. Schölling, Praefecto Dynastiae Hörtenberg, in acceptis referens, nec non Ara eius, expensis nobilis Dominae Christinae Schölling [3] an. 1706 exstructa. Ex cornu Epistolae visitur Ara S. Antonii Patavini, sumtibus strenui D. Andreae Dinsl ann. 1707 elata. Colitur hic particula S. Crucis, et in Capella S. Annae quiete sua fruitur corpus Aureliae M., eidem an. 1707 illatum. In honorem Dei et salutem proximi hic redundat: 1. Verbum Dei a Concionatore certis diebus explanatum. 2. Archiconfraternitas S. P. Franc. an. 1709 inchoata. 3. Via Crucis an. 1733 fixa. Praetereo obsequia spiritualia, incolis et advenis praestari solita. Fratres, quorum 10 circiter hic morantur, in Choro inferiori ante Aram maiorem conduntur, et ex s. eleemosyna emendicata, aut sponte oblata, aut ex Missarum suppetiis fluente vivunt. Sigillum exhibet B. V. Immaculatam, his in orbe exaratis verbis: *Sigillum Superioris Telfs. ad Immacul. Concept. B. V. M.* [4].

§ 3.

Monasteriolum Selbacense ad S. Michaelem Archangelum.

144. Selbachium, al. *Selbacium*, vulgo *Selbach*, pagus Brisgoviae in Dynastia Hohen-Geroldseggensi [5] (ista per modum feudi Augustiss. Domui Austriacae substernitur) ac Dioecesi Argentinensi situs, 5 horis Kenzinga, a; 1 ½ Lohra dissitus, ad fluviolum Schutteram quiescit. Comitibus Hohengeroldseggensibus exspirantibus, pars magna Comitatus ad Comites Cronbergenses, et ab his ad Layenses [6] migravit. Pago adiacet arx Dauttenstein, Ecclesiola S. Ant. Patav. instructa. In ipso pago Ecclesia S. Nicolai Ep. Parochialis, ac Franciscanorum S. Michaelis cum suo Monasteriolo

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 354 et seq. Chron. cit. p. 178 et seq. Monum. cit.

[2] Protocoll. Monasterioli Telfs. in actis an. 1703.

[3] Protocoll. Monasterioli Telfs. in actis an. 1706.

[4] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 355. Chron. cit. p. 178, et Monum. cit.

[5] Nomen habet ab arce diruta, cum arce huius nominis in Alsatia et alia in Tyroli iuxta Kuefsteinium sitis, non confundenda.

[6] Isti communius Confluentiae, ubi Rhenus Mosellam excipit, sedem habent.

assurgunt. Parochus in pago Schutterthal dicto, vix non hora Selbachio remoto, Ecclesia S. Antonii Abbatis donato, sedem habet. Parochiae huic adiunctae sunt duae filiales Ecclesiae: una S. Stephani Levitae in pago Reichenbach, altera B. V. Mariae Praesentatae in pago Kuebach [1].

145. Labores Apostolici, quos Franciscani Provinciae Tyrolensis ab an. 1651 usque ad an. 1730 in Dynastia Hohengeroldseggensi tum in convertendis haereticis, tum in Catholicis in sua fide firmandis et ad Christianam vitam animandis exantlarunt, viam iis ad sedem in eadem figendam stravere. Assertum hoc stabilio ex libro Baptismali Parochiae Prinzenbacensis, in cuius folio primo edicitur, quod P. P. Franciscani *inclyti Monasterii Kenzingani* ab an. 1651 usque ad an. 1695 (in isto proprius Pastor Ecclesiae concessus est) vicario modo servierint. Robur huic adiicit licentia R. R. P. P. Capuccinis Conventus Mahlbergensis pro collectura data, in qua haec formalia continentur: *Patres Franciscani iam habent licentiam collecturae, et quidem in recognitionem laborum, quos prioribus temporibus in bonum animarum Geroldseggensium exantlarunt, et adhuc exantlant; hinc vobis quidem concedimus licentiam collecturae, ast cum clausula, ubi primum finierunt suam Patres Franciscani.* Accedit schema scripturae remonstrativae, in quo citantur documenta et acta Cancellariae, et haec verba habentur (ad tertium): *Die Patres Franciscani Kenzingani tyrolischer Provinz qua veri restauratores orthodoxae fidei in der Herrschaft Hohen-Geroldsegg.* De ipsa hac conversione per Franciscanos procurata dissertis verbis Excell. D. Carolus Casparus Comes de Layen in literis ad Augustiss. Carolum VI. Imperatorem, Confluentiae an. 1730 die 10. April. exaratis, nec non Pl. R. Parochi Selbacensis ac Prinzenbacensis in suis testimoniis mentionem faciunt. Sane in fatis literis Comitis leguntur haec verba: *Finaliter wohl anmerckliche bey- und anzufügen, das erst Zeit 50 oder 60 Jahren die Lechenbahre Herrschaften Geroldsegg aus dem Lutherthum zur wahren Römisch-Catholischen Religion und Glauben durch die nembliche Franciscaner Ordens-Religiosen gebracht und belehrt worden; warumben dan auch mehreres auf solche, als auf andere, und auch deren noch täglich geistliche Officia in der Herrschaft die billigmessigiste Reflexion und Consideration zu machen were.* Per haec momenta nolo R. R. P. P. Capuccinis partialem operam, in conversione Geroldseggensium impensam, denegare, sed unice ostendere, quod P. Romualdus a Stockachio [2] asserens, quod Dynastia Geroldseggensis per solos Capuccinos ad fidem Catholicam traducta sit, promotoribus Monasterioli Selbacensis ac Franciscanis palmarem iniuriam inferat, et a veritatis tramite aberret.

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Monasterioli Selbac. Franciscan. Chartae Brisgoviae. Lex. Basileense. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 355. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 180.

[2] In hist. Prov. Aust. anter. Capuc. p. 353.

Tandem ab an. 1700 usque ad an. 1730 Fratres Conventus Kenzingani, quinque horis fortis mensurae Selbachio (interiecto alto monte) avulsi, hic regulariter in Cathedra, Confessionali et aliis modis obsequia sua produxerunt. Unde sedes haec illis sine meritis non obvenit [1].

146. Communitates Dynastiae Geroldsegg. his charitatis actibus allectae flexo poplite coram Excell. D. D. Carolo Casparo de Layen, Dynastiae Domino, pro Residentia Franciscanis consignanda, apparuerunt. Iste precibus annuens, D. Francisco Antonio Solati, Satrapae suo, in mandatis dedit, ut negotium nomine suo Vindobonae et Argentinae urgeat, eumque literis recommendatitiis, ad Augustiss. Carolum. VI. Caesarem directis, munivit. Satrapa viriliter hoc praestitit Vindobonae, ubi, censura favorabili pro Franciscanis a Dicasterio Oenipontano et Friburgensi adveniente, attentis precibus a subditis fusis, et rationibus ab Excell. D. D. Hannibale Comite de Schaumburg, nostrae causae patrono, propositis, consensus Caesareus a Throno an. 1731 die 31. Ianuarii [2] emanavit. Idem haud minori alacritate negotium hoc in Curia Argentinensi una cum P. R. Sigberto Dornbluet Archidiacono, Parocho Selbacensi, et Iosepho Schneider, Parocho Prinzenbacensi, testimonia efficacia de fructu spirituali, a Franciscanis Prov. Tyrol. collecto et ex spe solida de futuro colligendo, sistentibus, prosecutus est. Nostro P. Adalberto Kleinhans strenuam istis ubique adiungente operam, evenit, quod fato an. die 27. Sept. Reverendiss. D. Ioannes, Episc. Parensis, Eminentiss. ac Sereniss. Ep. et Principis Argentinensis Armandi Gastonis de Rohan (S. R. E. Cardinalis) Suffraganeus ac Vicárius Generalis, auctoritate istius consensum pro Residentia 4 Patrum et 2 Laicorum exararit, et Dicasterio Oenipontano per hunc non satiato, ipsemet Eminentiss. die 13. Decembr. Tabernis Alsaticis consensum suum apposuerit. Dicasterium Oenip. an. 1732 die 12. Ianuarii consensum Caesareum, chartae illatum, expedivit. Die 30. Ianuarii [3] P. R. D. Sigbertus Dornbluet, Commissarius Ep., P. Victori Lachartinger, Guardiano Friburgensi, a Ministro Provinciali pro hoc actu delegato, claves in signum possessionis tradidit, et instrumentum desuper, a V. Definitorio subin subscriptum, confecit. Primus Superior huius novae coloniae, in domo Canonica Selbacensi locatae, P. Adalbertus Kleinhans, tres Patres et unum Laicum (paulo post duos) sub sua directione numerans, constitutus est [4].

147. Exin decretum S. Congregationis de Propaganda Fide actum possessorium irritans, obreptitie extortum, advolavit; ast, contra spem partis

---

[1] Monum. citata.

[2] Eruo hoc ex rescripto, fideliter descripto, in Archivo Prov. deposito.

[3] Innotescit ex instrumento introductionis ac Protocollo Conv. Friburg. ac Kenzing.; neutiquam id contigit die 20. Ianu..rii, aut alio.

[4] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. i..m cit. Chron. cit. p. 181.

adversae, actui novum robur addidit; enim vero S. Congregatio a Curia Argent. solidius instructa, rescripsit, *omnia laudabilissime et dexterrime esse facta, et acta.* Evolutis quibusdam ab introductione diebus P. R. D. Parochus Selbacensis, iuxta conventionem iam antea factam, secessit ad pagum Schutterthal, ibique in humili casa haesit, donec nova domus Parochialis, ex s. eleemosyna Provinciae Tyrol. ibi excitata, culmen perfectionis attigerit; eodem adhuc anno prima manus structurae Monasterioli, ex subsidio partim aliorum Conventuum, partim specialium benefactorum (ex quorum classe Monasterium Brixinense Clarissarum, 300 florenos suppeditans, venit) ad colophonem deductae, admota fuit. Anno 1735 in Festo S. Michaelis Archangeli Fratres solemniter ex domo Canonica ad Monasteriolum migrarunt, ibique stabilem sedem fixerunt. Subintravit structura Ecclesiae, cui P. R. D. Iosephus Lindenmayr, Rector in Niderschopfheim, ex praevia Eminentissimi Cardinalis ac Episc. Argent. licentia an. 1738 in Festo S. Michaelis gratiam solennis benedictionis impendit[1].

148. Ecclesia S. Michaeli Archangelo dicata, eundem in Altari maiori colit. E cornu Evangelii Ara S. Antonii Patavini, e cornu vero Epistolae Ara S. Ioannis Nepomuceni, sedes imaginis Matris Dolorosae, quotidie privilegiata[2], conspicitur. Ex SS. Reliquiarum calculo adest particula S. Crucis, cui Reliquiae SS. Innocentium, Blasii E. et M., Bonaventurae Cardinalis, Petri de Alcantara et Paschalis Baylon adiunctae sunt. Praetereo varias Reliquias SS. capsulis insertas, in Altari summo prostantes. Accedit Sacellum infirmariae, Ara S. Iosephi, non consecrata, condonatum. Fratres nomen Missionariorum Episcopalium gerentes, honorem Dei et salutem animarum energice promovent: 1. Per servitia Parochialia, vicario modo per se praestita Selbachii, Reichenbachii, Kuebachii, ac in domibus ad haec loca revocandis, nec non per accidens (necessitate urgente) in valle Schutterae ac Prinzenbachii; in istis locis nunc concionantur, nunc catechizant, nunc confessiones audiunt, nunc matrimonio assistunt, nunc baptizant, nunc aegrotos ad felicem mortem disponunt, nunc alias spirituales functiones agunt; 2. Per Archiconfraternitatem S. Francisci vix non eiusdem senii; 3. Per viam Crucis, Ecclesiae coaevam. Morantur hic 4 Patres, et 2 Laici, haud raro a Patre Conventus Kenzingani in suis momentosis laboribus adiuti, et ex s. eleemosyna, sive sponte oblata sive humiliter emendicata, ac Missarum suppetiis nutriti. Sigillum ostendit S. Michaelem his in orbe exaratis literis: *S. Super. Selbac. ad S. Michael. Ord. Min. Reform*[3].

---

[1] Monum. citata. Chron. cit. p. 180 etc.

[2] Uti constat ex Monum. Monasterioli Selbac.; unde deficit quidam scriptor, privilegium hoc Arae maiori affigens.

[3] Monum. citata. Chron. p. 180 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 355.

CAPUT IV.

MONASTERIA CLARISSARUM URBANISTARUM
Provinciae Tyrolensi annexa.

§ 1.

Monasterium Brixinense Clarissarum ad S. Elisabetham.

149. Clarissae verisimilius circa an. 1234 Brixinae sedem fixerunt, et tenue Monasteriolum extra urbem iuxta locum *Bauhof* vocatum, obtinuerunt. Deduco hoc ex diplomate Reverendissimi Henrici IV. Comitis de Taufers, Episc. Brixinensis [1], an. 1235 die 10. Maii exarato, fundum Ecclesiae atque locum noviter in honorem Gloriosae V. Mariae et B. P. Francisci ibi exstructum, et a Sororibus Conversis seu potius Conclusis, sub Regula FF. Minorum constitutis, inhabitatum, ab omnibus infestationibus et gravaminibus eximentis, et in suam specialem protectionem suscipientis. Sedes Clarissarum *locus noviter constructus* verisimilius ex eo vocatur, quia formatam structuram Monasterii, utpote posteriori tempore excitatam, non habuit. Aedificium hoc tenue verisimilius circa an. 1234 caput extulit, cum in diplomate, an. 1235 die 10. Maii signato, *locus noviter constructus* ac *nova structura* eius nuncupetur; verbis meis fidem conciliaturus diploma tactum, omissis abbreviationibus praeter unicam, fidelissime sisto [2].

o	r
r	o

In Nomine Domini Amen. Henricus Dei gratia Brixinensis Ecclesiae Episcopus praesentibus et futuris salutem in perpetuum. Si iustis petentium desideriis benignum praebemus assensum, et vota Christo devote famulantium, quae a rationis tramite non discordant, prosequente opere adimplemus, quia facimus, quod debemus; non dubitamus, quin pro his terrenis et temporalibus coelestia et aeterna Nobis Retributor bonorum omnium largiatur. Eapropter Nos universis Christi fidelibus, ad quorum notitiam praesentis scripti tenor pervenerit, volumus esse notum, quod ad instantiam Venerabilis Personae Heinrici Maioris Praepositi, ac Capituli Brixin. Ministerialium, atque civium, et ad ipsorum consilium et assensum, fundum Ecclesiae atque locum extra

---

[1] Successit Bertholdo Comiti de Neufen, an. 1224 defuncto, uti ex Catalogo Episc. Brix. a Bucelino et Brandisio parte 2. p. 8 expresso, eruitur.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Monast. Brix. Clarissarum. Wolckenstein in Chron. M. S. Tyrol. L. 12. p. 86, L. 13. p. 305. Hueb. in Chron. col. 1064. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 356 etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 187 etc.

civitatem Brixinensem versus Insulam[1], *quae Bauhöfe appellatur, de novo constructum ad honorem Gloriosae Virginis Mariae et Beati Francisci, ubi Sorores Conclusae*[2], *sub Regula Minorum Fratrum*[3] *constitutae, Domino famulantur, ab omnium impetitione et gravamine eximentes, sine aliquorum contradictione, salvo in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus iure Dioecesani Episcopi, tradimus libertati, tam locum quam Personas, ibidem Deo servientes, sub Nostra protectione et successorum Nostrorum, et specialiter sanctorum Patronorum Cassiani, Ingenuini et Albuini recipientes, nec in aliquo, si Deo dante locus creverit, et Personae alicui tam in spiritualibus quam in temporalibus, praeterquam Episcopo Brixinensi*[4] *respondere teneantur.*

Actum Brixinae anno Domini millesimo CCXXXV. Indictione VIII. X. die in Maio.

150. Praeposito hoc fundamento aggredior opinionem, initium primi Domicilii Clarissarum Brix. ad an. 1221 revocantem. Innititur haec Protocollo Praenob. D. Christophori Andreae Lindtner de Gärnstein, Consil. Brix. Aulae, Camerae Praesidis ac Registratoris, olim Commissarii Monast. Brix. Clarissarum, in quo haec verba in idiomate Germanico reperire licet ad an. 1221, in margine insinuatum: *Inhalt verhandener Brief und alter Schriften von an. 1221; haben noch bey Lebszeiten S. Franc. und S. Clarae etliche Schwesteren von der Welt bekert, an disen Orth gewohnt, und gelebt unter der Regl der minderen Brüeder, und das Clösterle zu Ehren der allerseeligsten Mutter Gottes Mariae, und S. Francisci zu bauen angefangen, damals diese Schwesteren Damianerinen genant worden seindt.* Latine ita sonant: *Synopsis exstantium literarum et antiquarum scripturarum ab an. 1221; vivente S. Francisco et S. Clara quaedam Sorores, de saeculo conversae, in hoc loco habitarunt, et sub Regula Fratrum Minorum degerunt, ac Monasteriolum in honorem Beat. Virg. Mariae et S. Fraucisci exstruere inchoarunt, tunc temporis Damianistae vocatae.* Viri quidam nostrae Provinciae, iudicium suum huic asserto concredentes, in suis manuscriptis edixerunt, quod an. 1221 Clarissae Brixinae receptae sint, ante vel cum vel post Franciscanos, in Germaniam superiorem anno fato feliciter penetrantes, ibi appulsae. Assertioni huic subscribere nolo, sequentibus rationibus convictus: 1. Compilator Protocolli Brixin. Monast.

[1] Insula hic accipitur conformiter ad ius et alios Auctores pro domo libere stante, et nulli alteri adiuncta.

[2] Antiqui legerunt *Conversae*; fors legendum erit *Conclusae*, qui terminus magis ac prior quadraret; interim et prior explicatio locum habet, quatenus Sorores istae a saeculo ad statum Religiosum conversae fuerunt.

[3] Intellige: sub Regula ab Auctore FF. Minorum, nempe S. Francisco, dictata; ratione cuius Clarissae subin Minorissae nuncupatae sunt.

[4] Clausula haec per decreta posteriora immutata fuit.

in literis, quas magno cum studio plurimis annis ante Lindtnerum congessit, de aliqua litera, an. 1221 exarata, nihil scit, et talis post repetitam exactissimam inquisitionem, post mortem Lindtneri in priori et moderno saeculo institutam, inveniri non potuit. Unde P. Engelhardus Tschueg in epistola, an. 1686 die 28. Iunii ad P. Iustinum Kaltpruner, Prov. Chronologum ac Exministrum, exarata, disserte indicat, virum hunc hallucinatum esse, et cifras non bene attendisse; exin exempla aliquorum errorum ab eodem circa computum annorum commissorum adiungit. Denique, si in tali litera praestationum de Clarissis nulla mentio fit, ea fulcrum nullum pro Monasterii exordio ad an. 1221 suppeditat, sed tantum erit litera Clarissis vi donationis aut emtionis posteriore tempore adveniens. 2. Iuxta Lindtnerum Regula Clarissarum in Monast. Brixin. an. 1227 initium habuit; ergo istae Sorores ab an. 1221 usque ad an. 1227 militassent sub Regula III. S. P. Francisci. At hoc locum non habet; nam ista primum an. 1221 incoepit, et non constat, quod ante an. 1227 Tertiariae in Germania claustraliter vixerint. 3. De Sororibus Conversis, sub Regula Fratrum Minorum viventibus, et de Monasterio in honorem B. V. Mariae et S. Francisci exstructo unice in diplomate an. 1235 dato, et in nulla alia litera ante istum annum exarata, memoria adest. 4. S. P. Franciscus an. 1226 spiritum emisit, et an. 1228 Sanctorum apotheosi illatus est; ergo nec an. 1221, nec ullo alio ante an. 1228 Monasterium in eius honorem structum fuit. 5. In diplomate an. 1235 Monasterium Clarissarum dicitur noviter erectum. 6. Chron. Blalduini Brunsvicensis iter Franciscanorum, in Germaniam an. 1221 susceptum, ex relatione F. Iordani de Iano, eorum comitis, pluribus describens, de Clarissis Brixinae inventis, aut Fratres comitantibus, aut eodem anno sequentibus nec verbulum habet. Dein Fratres perrexerunt in Germaniam ad martyrium parati, hieme fores pulsante, et animo Germanos aedificandi; proin credibile haud erit, feminas eis fuisse associatas [1].

151. Alii in suis scriptis volunt, Clarissas intra an. 1222 et 1226 Brixinae esse introductas. Noster P. Ferdinandus Troyer [2] et praefatus Lindtner asseverant, quod Regula S. Clarae in Monasterio Brix. an. 1227 ingressum habuerit. Gonzaga [3] adstruit, Monasterium hoc primum post mortem S. Clarae, quae in an. 1253 incidit, elatum esse. Contra primam, et secundam opinionem ita insurgo: 1. Assertores hoc ipso cedunt ab instrumento, an. 1221 signato; ergo ipsis incumbit, ut aliud pro suo asserto allegent; secus non elidunt instrumentum a me n. 149. adductum, innuens, quod Monasterium circa an. 1234 ortum nactum sit. 2. Opinioni huic fun-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol., in Archivo eius ac cista Monast. Brix. reposita, ac Parthen. Brix. Clariss.

[2] In Chron. Bulsan. M. S. cap. 13.

[3] In Prov. Tyrol. Monast. I. Clariss.

damentum 3., 4. et 5., n. priori allata, adversantur. 3. Nullum adest instrumentum de Regula S. Clarae, Brixinae an. 1227 inchoata. Sane Gregorius IX. plures Bullas ratione huius Parthenonis expedivit, quarum prima non an. 1227, sed 1236 exarata est. 4. Monasterium Clarissarum Tridentinum ad S. Michaelem abs dubio antiquitate Brixinense transcendit; nam, uti ex Bulla Gerardi, Ep. Trid., deducitur, inter antiquissima Monasteria Clarissarum reputatur: atqui Clarissae Tridentinae[1], prius iuxta Ecclesiam S. Apollinaris locatae, primum an. 1229 per diploma fati Ep. Trid. Ecclesiam S. Michaelis cum pertinentiis et possessionibus suis, pro exstruendo ibi Monasterio, obtinuerunt, Gregorio IX. hanc donationem an. 1234 roborante. 5. Noster P. Engelhardus Tschueg, Archivi Monast. Brix. indagator solertissimus, in suis literis an. 1689 attestatur, quod in Archivo Brix. reperire liceat literas D. Henrici Ep. Brix. an. 1232 exaratas, nec de Monasterio nec de Monialibus mentionem facientes; unde autumat, literas has per solam resignationem aut donationem alicuius mansi, census aut fundi Monasterio posteriori tempore obvenisse. Gonzagae opinio ex tot diplomatibus, ante mortem S. Clarae intuitu Monasterii Brix. Clariss. emanantibus, corruit.

152. Redeo ad Monasterium, cuius formata structura in loco infimo suburbii Runggadae, vulgo Runggad dicti, inchoata, post lapsum plurium annorum ex subsidiis, e diversis regionibus manantibus, culmen perfectionis retulit. Gregorius IX. PP. Bulla *Cum dilectae* Cal. April., Pontif. an. X. (seu an. 1236[2] die 1. April.) data, fidelibus Dioeces. Salisburg., Trid. et Brixinensis pauperibus Clariss. Brixinensibus subvenientibus, 40 dierum Indulgentias addixit; Bulla *Ut ait Apostolus* II. Idus Martii, Pontif. an. XI. (seu an. 1238 die 14. Martii) fideles Dioeces. Salisburg. ad complendam structuram Monasterii opem ferentes, Indulgentiis 40 dierum, et Bulla alia *Ut ait Apostolus* IV. Idus Ianuarii, Pontif. an. XII. (seu an. 1239, seu die 10. Ianuarii) exarata, fideles pro sustentatione istarum Clarissarum operam navantes, simili favore affecit; Tandem Bulla *Sacrosancta Romana Ecclesia* II. Id. Ianuarii, Pontificatus an. XII. (seu an. 1239 die 12. Ianuarii) Sorores et Monasterium unacum bonis eius acquisitis et acquirendis in suam protectionem suscepit. Reverendiss. DD. Egeno, Episc. Brix., ac Capitulum Brix. diplomate *Pateat universis* 1241 XV. Cal. Martii Parthenoni fundum, inter Monasterium et amnem Eisack stratum, addixit. Reverendiss. DD. Fridericus de Parsperg[3], Episc. Eistettensis, de consensu sui Capituli eidem novale incultum, sub sua villa Pinzagen situm, cum omni iure suo perpetuo possidendum an. 1244 contulit. D. Udalricus de Rasen an. 1246 villam in Teis, quam DD. Albertus et Nicolaus de Teis commutari fece-

---

[1] P. Bonelli in Hist. Trident. vol. 2. p. 561 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 456.

[2] Iuxta Bullar. Franciscan. an. 1227 die 19. Martii electus, et die 21. coronatus est.

[3] Agnomen hoc ex catalogo Episcoporum Eistettensium mihi constat.

runt; DD. vero Wernerus et Erpo de Schenkenberg agrum an. 1247 Parthenoni transcripserunt. Reverendissimus Egeno, Episc. Brix., agrum hunc a servitute an. 1248 exemit, ac fidelibus Ecclesiam Clarissarum visitantibus in Festo S. Elisabethae, ac eius translatione, Indulgentiam 40 dierum de poenis ob venialia subeundis, nec non 10 dierum pro tota septimana, Festum huius Divae excipiente, concessit. Idem an. 1250 die 6. Iulii praedium Eberhardi de Sabiona, Brixinae in Runggada situm, et die 2. Aug. quoddam pratum a vinculo feudi exsolvit, et utrumque liberum reddidit. Henricus quidam eodem an. peciam terrae casamque, in pertinentiis civitatis Brixinensis sitam, cum omnibus suis cohaerentiis eidem Claustro obtulit. Iam sisto Bullam primam Gregorii IX. et diploma primum Egenonis, omissis ceteris, in Archivo Prov. nostrae aut Monasterii Brixinensis inveniendis [1].

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus per Salzburgensem, Tridentin. ac Brixinensem Civitat. et Dioeces. constitutis salutem, et Apostolicam benedictionem. Cum dilectae in Christo filiae... Abbatissa, et Conventus Monialium inclusarum Monasterii Sanctae Elisabeth[2] *iuxta muros Brixinens. nimia premantur sarcina paupertatis, propter quod fidelium Christi subsidium eis esse dignoscitur plurimum opportunum, universitatem vestram rogamus et hortamur attente in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis collatis pias eleemosynas et grata eis subsidia charitatis erogetis, ut ad aeternae felicitatis gaudia possitis pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui praedictis Abbatissae et Conventui manum porrexint charitatis, quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.*

Dat. Laterani Calendis Aprilis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Egeno[3] *Dei gratia Brixinensis Ecclesiae electus. ℌ Praepositus et ℌ. Decanus eiusdem Ecclesiae. Omnibus tam praesentibus quam futuris, ad quos literae pervenerint, salutem in vero Salutari. Pateat universis, quod Nos vice ac nomine Ecclesiae Nostrae et totius Capituli ad honorem Dei iure donationis in perpetuum, pro remedio animarum Nostrarum investirimus*[4] *dilectam in Christo filiam, Sororem Chu*[5]*., Priorissam Mo-*

---

[1] Monum. citata. Wolckenstein cit. L. 12. p. 86, L. 73. p. 305 etc. Hueb. in Chron. col. 1064 et seq. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 357 etc. Chron. parv. Prov. Tyrol. p. 188.

[2] Diva haec an. 1236 aut praeced. post diem 26. Maii, quo a Gregorio IX. Sanctarum calculo illata, S. Patrona Parthenonis evasit.

[3] Iuxta scriptores fuit consanguineus Friderici II. Imperatoris, et successor Henrici IV., Com. de Taufers, an. 1235 die 10. Maii, ut ex n. 149. constat, inter vivos adhuc morantis.

[4] Correctius: investiverimus.

[5] Lege: Chunegundem, al. Cunegundem; in instrumento hoc Priorissa vocatur, aut quia Episc. inter Priorissam et Abbatissam non distinxit, aut quia munus Abbatissae vacavit.

nasterii sanctae Elisabeth Reginae, recipientem vice et nomine dilectarum filiarum pauperum Dominarum ibidem de omni terra Nostra, sita inter ipsum Monasterium et Isacum, culta et inculta sub agro Chunradi, piscatoris Domini Arnoldi de Rodanech, quae spectabat ad Nostras curias de Runggada; ita, quod iam dictum Monasterium et ipsae Dominae, omnesque succedentes eidem, praedictam terram pro sua re propria possidere perpetuo debeant, et tenere. Ut autem haec firma et rata permaneant, Nos et praefatum Capitulum praesentem paginam scribi iussimus, et Nostrorum sigillorum munimine roborari. Actum in Monasterio memorato XV. Calend. Martii, Indict. XIIII., anno Domini mill[mo] *CC. XL. primo. Praesentibus Dominis Chunrado de Griez et Chunrado de Reischon, Canonicis Brixinensibus; Friderico et Henrico, Fratribus Praedicatoribus*[1]*; Sifrido Hospital. Brixinens.; Arnoldo Hospital. Novecellens.; Philippo, Plebano de Schenenberch; Henrico, Plebano de Arso; Friderico, qui dicitur Leithous; Henrico Brixinens.; Gerungo de Oberhoven; Hugone, filio quondam Domini Wilhelmi de Velturns; Gotschalco et Arnoldo, filiis quondam Domini Hartungi de Phefferberch, et multis aliis testibus.*

153. Innocentius IV. Papa intra an. 1251 et 1254 specialibus (generales praetereo) favoribus Parthenium prosecutus est. Bulla *Quoniam, ut ait Apostolus* XVI. Cal. Iulii, Pontificatus an. VIII. (sicque an. 1251 [2] die 16. Iunii) Genuae exarata, fidelibus, ad Monasterium hoc devote accedentibus ac Sororibus eiusdem eleemosynas elargientibus, Indulgentias 40 dierum attribuit; Bulla, Perusiae III. Non. Iunii, Pontificatus an. IX. (seu 1252 die 3. Iunii) data, tot Indulgentias omnibus, Sororibus Brix. eleemosynam subministrantibus, impertitus est.; Bulla *Compatientes paupertati* Nonis Iunii, Pontificatus an. IX. (seu an. 1252 die 5. Iunii) admisit, quod Sorores de bonis, per rapinam aut usuram extortis, quando eorum dominus penitus ignoratur, aut pro redimendis votis (unico voto Crucis in Terrae Sanctae subsidium excepto) aliquid, videlicet usque ad centum Marcarum summam recipere possint; Bulla *Devotionis Nostrae* Perusiae VI. Idus Iunii, Pontificatus an. IX. (seu 1252 die 8. Iunii) expedita, statuit, quod Sorores hae possint recipere bona immobilia et mobilia (exceptis rebus feudalibus) iisdem, si in saeculo mansissent, ex successione aut alio iusto titulo obventura; Bulla *Solet annuere* eodem die sancivit, quod Sorores de rebus in

---

[1] Compilat. Protoc. Parthenonis Brix. opinatur, istos fuisse Minoritas, apud Moniales munus Concionatoris obeuntes; Scriptor posterior eosdem Ordini S. Dominici adscribit, aiens, Henricum fuisse consanguineum Dominorum de Schenkenberg, et multa beneficia Clarissis contulisse.

[2] Bullar. Franciscan. electionem eius ad an. 1243 die 25. Iunii, et consecrationem ad diem 28. eiusdem revocat.

suis teloniis nihil dare teneantur; Bulla, Perusiae II. Idus Iunii, Pontificat. an. IX. (seu an. 1252 die 12. Iunii) signata, fidelibus, Ecclesiam Sororum in Festis B. V. Mariae et S. Elisabeth visitantibus, 40 dierum Indulgentias addixit, et Bulla, die sequenti data, easdem Indulgentias ad omnes, devotionis causa ad Monasterium venientes et eleemosynam Sororibus tribuentes, extendit; Bulla *Religionis vestrae* Anagniae VI. Cal. Iulii, Pontific. an. XI. (seu an. 1254, attento die consecrationis: die 26. Iunii) subscripta, decrevit, quod Vestales Brixinenses decimas nullas de hortis, virgultis et animalibus dare teneantur, et alia Bulla *Fideles* Ecclesiam Parthenonis devote in Festo S. Francisci visitantes Indulgentiis 40 dierum condonavit; Bulla *Haberi percepimus* Anagniae III. Cal. Iulii, Pontificatus an. XI. (seu an. 1254 die 29. Iulii) lata, diploma Raynaldi, Cardinal. et Episcopi Ostiensis et Velitriensis, qui normam vivendi Clarissarum Brix. an. 1252 mitigaverat, et quaedam alia, uti n. seq. dicetur, statuerat, ratum habuit; Tandem Bulla *Religiosam vitam eligentibus* Anagniae IV. Nonas Iulii, Pontificatus an. XII. (seu an. 1254 die 4. Iulii) Monasterium cum Sororibus ac bonis eius in specialem suam protectionem suscepit, possessionem bonorum temporalium ac alias gratias eidem contulit, ac poenas contra violatores privilegiorum dictavit [1].

154. Tempore, quo fatus summus Pontifex oves Ecclesiae suae pascebat, Raynaldus, Episcopus Ostiensis et Velitriensis ac Cardinalis, Bullam *Quam frequenter* Perusiae VIII. Idus Iunii, Pontificatus Innocentii IV. an. IX. (seu an. 1252 die 6. Iunii) exaravit, quae in his stat punctis: 1. Sorores etiam in diebus abstinentiae, exceptis Feriis sextis et diebus ieiunii Ecclesiastici, possunt uti vino, pulmentis, ovis, lacticiniis ac omni genere condimenti, ieiunio a Festo S. Marci usque ad Festum S. Francisci, per Visitatorem Monasterio demandato, in suo manente vigore. 2. Sorores debiles aut infirmae ad rigorem ieiunii, abstinentiae, silentii et vestitus non adstringuntur; unde eaedem uti et aliae, servitiis eas excipientes aut invisentes, tempore silentii in infirmaria possunt consolationis gratia colloqui; pariter licitum erit ipsis, calceamentis, tribus aut pluribus tunicis, mantello uno ordinato, et uno curto pro labore, pedulibus lineis, fiscis ac cervicalibus, foeno aut palea repletis, uti. 3. Silentium extra casus exceptos intra Claustrum, iuxta modum a Visisitatore praescribendum, servetur. 4. Sorores ad servitia intra aut extra Claustrum deputatae, adhibere possunt calceamenta; labori gravi vacantes aut iter facientes non tenentur ieiunare, demta Fer. VI. et ieiuniis ab Ecclesia praescriptis. 5. Minister Austriae Monasterium hoc visitet, et Fratres Teutonicos ad istud amandet, esto hoc tunc temporis in finibus ministrationis Marchiae Tarvisinae, seu

---

[1] Hueb. in Chron. col. 1065. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 358. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Monast. Brix. Clariss. Wolckenstein cit. L. 13. p. 306.

Prov. Venetae S. Antonii situm fuerit. 6. Moniales ad novas Constitutiones, ultra praescriptas, et Regulam, a quocunque Visitatore cudendas, non adstringuntur, nisi ipsaemet consensum praestent. 7. Confessarius Sororum istarum Confessiones excipere et poenitentiam imponere potest, salvis poenis a Visitatore aut Abbatissa imponendis[1].

155. Alexander IV. PP., antea Raynaldus seu Reginaldus, Protector Clarissarum Parthenoni Brixinensi varios contulit favores; Bulla, V. Idus Febr., Pontif. an. II. (sicque 1256[2] die 9. Febr.) Laterani data, fidelibus, Monialibus huius Claustri s. eleemosynam dantibus aut locum pie visitantibus, 40 dierum Indulgentias concessit; Bulla *Paupertati vestrae* Laterani an. II. Pontif., XV. Calend. Martii (an. 1256 die 15. Febr.) sancivit, quod de rapinis et usuris, quando penitus nescitur, cui satisfaciendum, nec non pro redimendis votis (voto Crucis in Terrae S. subsidium excepto) aliquid usque ad centum libras recipere valeant. Bruno, Episc. Brix., successor Egenonis, fideles, Clarissas Brix. s. eleemosyna condonantes, aut earum Ecclesiam certis Festis visitantes, 40 dierum pro criminalibus, et 10 dierum Indulgentias pro venialibus an. 1256 die 15. Sept. affecit. Alexander IV. PP. Bulla *Cum sicut* Laterani an. III. Pontific., V. Idus Martii (seu an. 1257 die 11. Martii) Parthenoni concessit, quod ultra numerum tricenarium, ab Innocentio IV. praescriptum, Candidatas de assensu Ministri Prov. Austriae, eius Superioris, suscipere valeat. Bullis duabus, n. 136. adductis, an. et die modo citatis residentiam 6 Fratrum munivit; Bulla *Paupertati vestrae* Laterani Id. Martii, Pontific. an. III. (seu an. 1257 die 15. Martii) ordinavit, quod Vestales Brixinenses Legatis Sedis Apost. vel eius Nuntiis, subsidia colligentibus, nil dare teneantur; Bulla *Pietatis opera* eodem die statuit, quod de terris, vineis, molendinis et possessionibus propriis, et nutrimentis animalium nullas decimas dare obligentur; Bulla *Religionis favor* eodem an. et die expedita, concessit, quod Fratres Minores, Claustro inservientes, possint mulieres honestas in saeculo morantes, a Monialibus in Sorores receptas, si vita functae fuerint, in Claustro sepulturae concredere; Bulla Pontific. an. III., XIII. al. XV. Calend. April. (sicque an. 1257) fidelibus, Ecclesiam Monialium in Festo S. P. Francisci et S. Clarae, ac eorum Octavis devote frequentantibus, 100 dierum Indulgentias adscripsit; Bulla *Quia Ordinem vestrum* Laterani XV. Calend. Maii, Pontific. an. III. (seu an. 1257 die 17. Aprilis) favores a Gregorio IX. et Innocentio IV. PP. Claustro impensos roboravit, et fidelibus, inopiae eius subvenientibus, 40 dierum Indulgentias donavit; Bulla *Sanctorum meritis* Viterbii II. Nonas Iunii, Pontific. an. III. (seu an. 1257 die 4. Iunii) data, et ad

[1] Monum. citata. Wolckenstein modo cit.

[2] Iuxta Bullar. Franciscan. an. 1254 die 12. Decemb. electus, et die 21. eiusdem coronatus est.

Fratres Monasterioli directa, fidelibus, in certis Festis, quae describens Monasteriolum Fratrum adduxi, Ecclesiam istam visitantibus, 100 dierum Indulgentias concessit; Bulla *Sacram Religionem vestram* Pontific. an. III., Christi 1257, sancivit, quod Capellanus Ord. Min. Moniales istas, si quae ante vel post ingressum Excommunicationem incurrissent, ab hac absolvere possit [1].

156. Urbanus IV. PP. Bulla *Devotionis vestrae* apud Urbem Veterem an. II. Pontific; V. Calend. Iulii (sicque an. 1263 [2] die 27. Iunii) Monialibus Brix. copiam fecit, quod tempore generalis Interdicti in earum Ecclesia Officia diurna iuxta limites in Bulla Innoc. IV. *Religiosam vitam* (n. 153. tacta) expressos, celebrari et ab iis audiri possint. Bonifacius VIII. PP. Bulla *Laudabilis sacra Religio* Anagniae an. II. Pontific., V. Idus Iunii [3] (sicque 1296 [4] die 9. Iunii) a praestationibus decimarum, et aliis ab Ordinariis loci, Legatis aut Nuntiis Apost. vel telonariis exigendis, eas exemit; Bulla *Sacrosancta Romana Ecclesia* apud Urbem Veterem Nonis Augusti, Pontific. an. III. (seu an. 1297 die 5. Augusti) data, Monasterium eiusque Personas cum omnibus bonis possessis et possidendis in suam protectionem suscepit, et in tota massa, pacifice possessa, stabilivit; insuper Bulla *Iustis petentium desideriis* omnes favores, a summis Pontificibus, Principibus aut aliis indultos, confirmavit; Bulla *In sinu Sedis Apostolicae* Romae an. IV. Pontific., Nonis Aprilis (seu an. 1298 die 5. April.) Sponsas istas Christi omnium privilegiorum, gratiarum ac Indulgentiarum, Minoritis datarum, participes reddidit; Bulla *Dilectarum in Christo filiarum* ad Praepositum Ecclesiae Brixin. directa, Laterani IV. Cal. April., Pontific. an. V. (seu 1299 die 29. Martii) expedita, isti iniunxit, quatenus curet, ut bona Monasterii alienata vel illicite distracta, ad proprietatem Monasterii reducantur [5].

157. Matthaeus Cardinalis, Diaconus S. Mariae in Porticu [6], Protector Ord. Min. ac Clarissarum Bulla *Cum nonnullae* Laterani Idibus April. an. 1302, an. Pontific. octavo Bonifacii VIII. data, Ministro Prov. Austriae FF. Min. copiam aliquem Episcopum, Romanae Ecclesiae aggregatum, seligendi fecit, qui quasdam Moniales id expetentes consecrationis et benedi-

---

[1] Monum. cit.

[2] Bullar. Franc. electionem eius ad an. 1261 die 29. Augusti, et coronationem ad diem 4. Sept. revocat.

[3] Neutiquam: V. Nonas Iunii.

[4] Iuxta Bullar. citat. electio eius an. 1294 die 24. Decemb., et coronatio an. 1295 die 16. Ianuarii peracta est.

[5] Monum. Prov. Tyrol. Franc. et Monast. Brix. Clariss. Conf. Orb. Seraph. t. 5. p. 358 ac 360, etc.

[6] Per istum venit Matthaeus Rubeus Ursinus, an. 1261 ad Purpuram sacram assumtus, iuxta Eggs et alios an. 1306 Perusiae defunctus.

ctionis gratia afficiat, Ecclesiam consecret et coemeterium benedicat, adiecta cautela, ut iste det attestatum se hoc facere ex Commissione delegata, et non ex aliquo iure sibi vel suae Ecclesiae in Monasterium (utpote exemtum), Abbatissam et Sorores competente, aut Successoribus competituro. Nobilis Domina Sigela, relicta quondam vidua Conradi de Tyroli, in extremis posita, sana tamen mente, Parthenoni Brix. pro remedio animae suae et parentum suorum de suo allodio tria praedia in monte Ritten, et domum iuxta Claustrum cum agro, pomerio et iuribus suis cum pleno perpetuae proprietatis dominio transcripsit. Liberalitatem hanc ter magnam Otto et Henricus[1], Duces Carinthiae, Comites Tyrol. et Goritiae, Advocati Ecclesiarum Aquileiensis, Trident. et Brix., diplomate, Brixinae an. 1306 in die B. Luciae V. signato, confirmarunt. Ioannes, Episc. Brixin., diplomate Brixinae an. 1309 IV. Nonas Aug. exarato, pronuntiavit, quod D. Hugo de Tavers (Taufers) sepulturam suam in Monasterio hoc elegerit, et trecentas Marcas pro sustentatione Fratrum, iuxta id degentium, designarit, addita conditione, quod si de futuro Monasterium Clarissarum in Taufers esset exstruendum, pecunia illuc una cum suo corpore sit transferenda. Testimonium pro facienda hac decisione dedere Elisabeth de Schönenberch, soror fati Hugonis, relicta uxor, ac Ofnixa (credibilius Euphemia), mater eius. Ioannes XXII. speciali Bulla *Cum a Nobis petitur* Avenione IV. Nonas Iulii, Pontif. an. XVIII. (sicque an. 1334[2] die 4. Iulii) exarata, omnes libertates et immunitates a Praedecessoribus suis, Principibus aut aliis fidelibus Monasterio collatas, confirmavit. Fridericus cum vacua Pera, Dux Austriae, Comes Tyroleos, diplomate, Brixinae an. 1414 die lunae post solemnitatem Paschalem exarato, Monialibus copiam, ubique ligna coemendi et libere ad Coenobium transferendi fecit, Officialibus ac subditis mandans, ne in hoc actu easdem impediant[3].

158. Conventualismo in Prov. Austriae FF. Minorum invalescente, in Parthenium Brixin. multae irrepserunt laxitates, quas Ministris fatae Provinciae, licet aliquoties ab Ordinariis loci moniti fuerint, medelam efficacem non adhibentibus, D. Nicolaus de Cusa[4], S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis et Ep. Brixin., Nicolao V. PP. denuntiavit. Iste tum vivae vocis oraculo, tum Bulla *Inter cetera* Romae an. 1453 IV. Idus Maii, Pontific. an. VII.[5], fato Cardinali plenam potestatem, Monasterium illud ac alia aliorum Ordinum, in sua Dioecesi sita, ad observantiam Regularem nomine summi Pontificis reducendi, attribuit. Cardinalis redux Ioannem de

---

[1] Extiterunt fratres, filii Meinhardi II., Tyroleos Comitis, an. 1295 mortui.

[2] Iuxta Natal. Alex. t. 15. an. 1316 die 7. August. electus fuit.

[3] Monum. citata. Wolckenstein cit. p. 307.

[4] Agnomen hoc habet a Cusa, Electoratus Trevirensis pago, eius patria.

[5] Nicolaus V. iuxta Wadd. et alios electus fuit an. 1447 pridie Nonas Martii.

Tulna, Ministrum Provinciae Austriae Conventualium, aliquot diebus Brixinae degentem, sollicitavit, ut novum Monialibus praescriberet ordinem. Praescripsit; ast, istum illis non observantibus, Cardinalis Monasterium ex potestate sibi commissa visitavit, eique novam Abbatissam Barbaram Schweb, a Ministro Provinciali et a fato Papa Bulla *Audita relatione* an. 1454 die 15. Ianuarii, Pontific. an. VIII., confirmatam, praefecit. Re necdum ad optatum effectum ob instigationes aliquorum deducta, censurae successerunt, et Callistus III. PP., securim ad radicem positurus, Monasterium a Provincia Austriae Conventualium avellere, et Argentinensi Observantium adiungere decrevit; unde an. 1455 die 28. April., Bulla *Cum fide digna* ad Cardinalem directa, isti commisit, ut Guardianum Conventus Norimberg. Prov. Argentinae de Observantia pro reformando Monasterio accersat; Bulla *Quia intelleximus* ad ipsum Guardianum, videlicet Albertum Büchelbach, die 29. April. expedita, huic in mandatis dedit, ut ad requisitionem dicti Cardinalis se ad Monasterium Brixin. ocius conferat, et Confessarium idoneum ac exemplarem pro eo seligat; Bulla *Veniet ad vos* eodem die ad Moniales data, istis iniunxit, ut fato Visitatori venturo in omnibus obediant. Guardianus, morem his literis gesturus, ocius ad Monast. Brixinense convolans, hoc visitavit ac legibus salubribus instruxit. Cardinalis probe gnarus, sine bono regimine fructum stabilem non sperandum, ex auctoritate Apostolica Monasterium cum Residentia Fratrum Provinciae Austriae Conventualium decreto, an. cit.[1] die 12. August. lato, subtraxit, et Argentinensi de Observ. addixit, facta copia, quod si aliquando expediens visum fuerit, ista utrumque Prov. Austriae de Observ. consignare posset. Munus Confessarii P. Udalrico Streicher, officium vero Abbatissae Dorotheae Kolerin, ex Monasterio Clariss. Norimberg. unacum pluribus Sororibus accitae, obvenit[2].

159. Monasterium hac via ad florem Regularis disciplinae restitutum, in gravissimam paulo post incidit tempestatem, Cap. VII. pluribus exprimendam, in qua virtus eius, uti aurum in igne enituit; accivit eam Interdictum, in Tyroleos partem a Pio II. PP. latum. Clarissae Brix. ex devotione erga summam Sedem hoc servantes, an. 1461 in exsilium actae sunt. In hoc misellis pro ultimata statione inserviit Monasterium Pfullinganum[3] Clarissarum, in Ducatu Wirtembergico situm, per exsules ad meliorem disciplinam promotum. Re cum summo Pontifice an. 1464 composita exsu-

---

[1] Constat ex Monum. iam tactis. Gonz. aiens, translationem tempore exsilii (sicque intra an. 1461 et 1464) contigisse, a veritatis scopo aberravit.

[2] Monum. citata. Wolckenstein cit. Huebcr in Chron. col. 1114 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 361. Chron. Prov. Tyrol. p. 189.

[3] Gonz. aiens, exsules Ulmae receptas esse, ac ibi Monaster. Sefling. excitasse, a vero deviat; hoc verum est, aliquas ex exsulibus, Pfullingae morantibus, Parthenium Seflinganum reformasse.

les redierunt, suis iuribus ex integro restitutae. Paulus II. PP. Bulla *Immensa Dei* apud S. Marcum III. Cal. Februarii, Pontificatus an. II. (sicque[1] an. 1467 die 30. Ianuar.) signata, fidelibus die S. Veneris et Festo dedicationis Ecclesiam Sororum istarum visitantibus, et iisdem manus adiutrices porrigentibus, Indulgentias septem annorum et quadragenarum transcripsit. An. eodem structura Capellae, intra Clausuram positae, inchoata fuit. Sixtus IV. PP. Bulla *Fecistis Nobis* Romae an. 1473 die 14. Martii exarata, reformationem Monasterii, et translationem eius ad Prov. Argent. de Observant. stabilivit. Georgius Golser, Ep. Brixin., an. 1473 die Dominica 25. Oct., ut ex eius diplomate attestante constat, Capellam intra Clausuram eiusque Aram in honorem B. V. Mariae, SS. Clarae et Francisci, Andreae Apost., Marthae V. et omnium Sanctorum consecravit, Dominicam, Festum omnium Sanctorum praecedentem, pro anniversario dedicationis statuens, et fidelibus Parthenonis rite confessis, illam in Festis primariis Domini, B. V. Mariae, SS. Apost., Ioan. Bapt., Laurentii, Agnetis V. nec non dedicationis, ac SS. Patronorum Sacelli et Ord. visitantibus, Indulgentias 40 dierum communicans[2].

160. Sereniss. Sigismundus, Archidux Austriacus, diplomate, Oeniponte die S. Blasii an. 1474 dato, Monialibus his privilegium in amne Eisack a Monasterio usque ad *pontem ficarium*, vulgo Feigenbrücke, Bulsano vicinum, piscandi impendit. An. eodem die lunae post Dominicam *Invocabit* literas Sereniss. Ottonis, Ludovici et Henrici, Monasterium a solutione vectigalium ac pedagiorum eximentes, ratas habuit. Sixtus IV. PP. Bulla *Religionis, sub qua dilectae* Romae an. 1474 V. Cal. Decemb. signata, omnia decreta, occasione Reformationis et translationis Monasterii ad Prov. Argent. confecta, rata habuit, supplens defectus, si qui forsan in iis intervenissent, Bulla *Nuper Nobis exponi fecistis* an. 1478 die 4. Novemb. Monialibus, de Turcarum incursione in metu versantibus, copiam in interiorem partem Germaniae sese transferendi, ibi sedem figendi et gratiis datis fruendi fecit; usae non sunt hoc privilegio, sereniori tempestate metum abstergente. Gabriel de Verona, Cardinalis et Legatus Apostol. Sixti IV., circa Indulgentias Capellae, intra Claustrum sitae, Breve Brixinae an. 1479 die 27. Oct. expedivit. Sereniss. Archidux Sigismundus Oeniponte an. 1489 Dominica post Festum B. V. M. Assumtae Parthenoni Brixinensi copiam victualia necessaria in districtibus sibi subiectis emendi elargitus est[3].

---

[1] Dignitas Papalis ei accrevit 1465 pridie Cal. Sept., uti Wad. et alii testantur.

[2] Gonz. in Prov. Tyrol. Monast. I. Wolckenstein cit. p. 307 etc. Hueber in Chron. col. 1125 etc. Meliss. an. 1465, n. I. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 361. Chron. Prov. Tyrol. p. 188 etc. Monum. cit.

[3] Monum. citata.

161. Alexander VI. PP. Monialibus his concesserat, quod in Festo S Elisabeth, Patronae Parthenonis, historiam propriam (credibilius lectiones) cantare et legere, Festum S. Achatii ac Sociorum eius, nec non S. Dorotheae solemniter celebrare queant. Oliverius Maylardi, Vicarius Generalis Observ. Ultramontanorum, in Capitulo Generali Albiensi (sicque an. 1502) indulsit, quod Moniales favorem hunc ad effectum deducere, et Fratres Resid. Brix. se in Officio divino iis conformare possint. Ioannes Silvestris, Vicarius Generalis Observ. Ultramontanorum [1], an. 1506 die 6. Iunii in Capit. Generali Aracoelitano decretum, ad hoc Coenobium directum, exaravit, in quo ex obedientia Provinciae Argentinae inhibet, ne ex quocunque titulo, ni accedat specialis licentia Vicarii Generalis, fatum Monasterium dimittat, et simul Statuta, a Vicariis Generalibus aut Visitatoribus antea cusa, confirmat. Inhibitionem hanc P. Ioannes Macheysen, Vicarius Argentin. Provinciae, Norimbergae an. 1507 innovavit, et Martialis Boulier, Vicarius Generalis Observ. Ultramontanorum decretum Ioannis Silvestris in Capitulo Prov. Tubingae an. 1510 coacto, novo robore affecit. Intra an. 1518 et 1524 varii motus pro Monasterio hoc a Prov. Argent. Observ. secernendo, et Austriacae Observant. adiungendo efferbuerunt, ad preces et rationes graves Monialium coram summo Pontifice et Maioribus Ordinis perductas, et protestationem a Prov. Argent. oppositam, evanescentes. Laurentius Campegius, Cardinalis titulo S. Mariae trans Tiberim, Legatus Apost. in Germania, diplomate Augustae an. 1530 [2] VIII. Calend. Nov. Benignae Freyseismarin, Monial. Ord. S. August. in Monast. Vindobonensi S. Laurentii professae, an. 1529 ante obsidionem, a Turca illatam, profugae, licentiam in hoc Monaster. professionem emittendi contulit. Sebastianus, Archiep. Sipontinus, Legat. Apost. in Germania, Augustae an. 1550 de Indulgentiis Stationum almae Urbis Breve in solatium Monasterii expedivit [3].

162. Monasterium hoc a Provincia Argentinensi ad Tyrolensem, an. 1580 excitatam, transiit, transitu an. eodem die ultima Maii per P. Henricum Sedulium, Provinciae Ministrum et Commissarium Ap., ad effectum deducto; Margaretha Preüdlerin, Abbatissa, et 29 Clarissae, eius subditae, actui huic subscripserunt. Ioannes Nasus Minorita Observans, Ep. Bellinens. Suffrag. Brixin., an. 1583 Capellam in coemeterio Brixinensi Clarissarum in honorem S. Crucis et B. V. Mariae ad Nives construi curavit, sub certis conditionibus dotavit, ac die 5. Augusti, uti quaedam scheda

---

[1] In sensu Familiae nostrae; in Bulla terminus Cismontanorum reperitur, quia vir hic erat ex Familia altera, cuius alumni se Cismontanos, et nos Ultramontanos vocant.

[2] Neutiquam an. 1538; nam decretum anno VII. Clementis VII. PP., an. 1523 XIII. Cal. Decemb. electi, emanavit, sicque an. 1530.

[3] Monum. citata; praetereo Auctores de Vicariis Generalibus Ord. nostri, et Cardinal. tractantes, a me inspectos.

dat, cum sua Ara consecravit. D. D. Ioannes Thomas, Baro de Spaur, Ep. Brixin., diplomate, an. eodem die 22. Sept. exarato, fundationem hanc ratam habuit. Monasterium hoc an. 1622 Magdalenam Bräckin et Caeciliam Ursulam Troierin ad Parthenonem Friburg. Clariss. submisit, in quo prior munus Abbatissae, posterior Priorissae retulit, et utraque ad disciplinae Regularis restitutionem sedulam operam navavit. In Congregatione intermedia, Oeniponte an. 1628 habita, Provincia 40 florenos, quos ex antro Bulsan. seu *telonio Lueg* Conv. Bulsan. annuatim recepit, Coenobio huic consignavit. D. D. Guilielmus Baro de Welsperg, Episc. Brixin., ex potestate ab Urbano VIII. PP. delegata, per decretum Brixinae an. 1629 die 12. Oct. latum, assignavit dies, quibus Sorores carnibus vesci queant. Urbanus VIII. PP. Bulla, an. 1630 data, Cap. I. § 4. allegata, Parthenonem cum Residentia Fratrum de novo Provinciae Tyrol. addixit. An. 1640 quinque Clarissae Monast. Friburgensis, occasione belli profugae, hic receptae et per 6 annos magna cum charitate nutritae fuerunt. An. 1647 ad Parthenium Roboretanum Clarissarum, noviter erectum, duae Moniales Brix. videlicet: Francisca Carrara et Maria Elisabetha de Spaur migrarunt, ibi disciplinam requisitam introduxerunt, et an. 1654 ad suum rediere Domicilium. Clara Iacoba Schaidin, Vestalis huius Claustri, cum Isabella Eugenia Fuggerin ad Monast. Friburg. Clariss. an. 1653 amandata fuit, ut hoc ad meliorem promoveret statum [1].

163. Intra an. 1663 et 1668 Monasterium apertam ruinam minans, sub directione P. Ruffini Laxner, Ministri emeriti, partim renovatum partim de novo erectum fuit. Augustiss. Leopoldus I. Caesar motus ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili Dei providentia* (an. 1622 emanante) excitatos, an. 1668 stitit et S. Congregatio Cardinalium pro integritate Clausurae favorabile decretum exaravit. Intra an. 1671 et 1676 Residentia Fratrum, et reliqua Monasterii pars modernam formam retulerunt. Anno 1676 quatuor Clarissae Parthenonis Friburg. hic receptae sunt, de quibus § seq. plura dabit. Restauratio Ecclesiae novae an. 1683 terminum suum turri nova erecta attigit. Reverendiss. et Celsiss. D. Paulinus Mayr, Ep. Brixin., an. 1684 die 19. Novemb. Aram summam in honorem S. Elisabeth, nec non B. V. M. ac S. Clarae, Aram a cornu Evangelii in honorem B. V. M. Immaculatae, Aram e cornu Epistolae in honorem S. Annae, S. Francisci et Ludovici Confessoris inauguravit, ac consuetis Indulgentiis beavit; ante hunc actum eodem die Reverendiss. Guilielmus Vintler, eius Suffraganeus, Aram S. Antonii Patav. in eius ac S. Petri de Alcantara honorem simili favore prosecutus est. V. Definitorium, attentis beneficiis Sororum Brixinensium Provinciae ratione Fratrum apud eas subsistentium, transeuntium

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. Franciscan., nec non Monast. Brix. et Friburg. Clariss.

aut in Conv. Inticensi morantium deferri solitis, ultra communia suffragia Missam pro qualibet defuncta, a quolibet Provinciae sacerdote applicandam, an. 1692 oppigneravit. Transactio, a Reverendiss. Capitul. Brixin. an. 1716 confirmata, innuit, quod famulitium Clarissarum istarum in domo vicina locatum, a Parocho (excipiuntur Sacramenta Bapt. et Matrimonii) exemtum sit, et tempus immemoriale exemtioni suffragetur. Augustiss. Imperator Carolus VI. in lite nova sat acri, ex Bulla Gregorii XV. PP. iam citata pullulante, Parthenoni efficaciter adstitit, eique optatam pacem an. 1736 conciliavit. An. 1744 protectio Austriaca novo robore Parthenoni oppignerata fuit[1].

164. Ecclesia, S. Elisabethae Hungaricae si non ab anno 1235, certe 1236 devota, anniversarium dedicationis Dominica, Festum Exaltationis S. Crucis excipiente, Capella vero B. V. M. ad Nives die priori celebrat; Ara summa S. Elisabethae quotidiano privilegio pro defunctis potitur. E cornu Evangelii Ara Iesuli nati (ex relatione particulari hoc assero), sedes Pusionis Pragensis an. 1748 allati, et e cornu Epistolae Ara S. Annae quiescit; succedit in cornu Evangelii Sacellum S. Anton. Paduani, in cuius Altari Mater Mariana de Consilio Bono residet. Cultu publico in hac Ecclesia excipiuntur sex Sanctorum corpora, iuxta Altare maius locata, in parte Evangelii corpora: S. Constantiae[2] M., proprio nomine expressae, S. Iustini (nullo modo Iusti) M. et S. Celestinae M.; ex parte Epistolae vero: S. Christinae V. et M., S. Alberti M., proprio nomine nuncupati, et S. Bassae, coniugis S. Feliciani M., proprio nomine donatae. Adsunt insuper variae aliae SS. Reliquiae in Choro aut Ecclesia expositae, videlicet particula S. Crucis, ac de caputio S. P. Francisci, reliquiarium 36 Reliquiarum ac de Floriano Waldauf Parthenoni donatum, cranium S. Ludovicae, Reliquiae SS. Modesti M., Illuminatae M., Placidi, Theodorae, Christinae M., Aureliani, Gaudentiae, Innocentiae, Pacifici, Urbini, Vincentii, Prosperi, Venerandi, Iustini et Amantii MM., Casti, Honesti, Vitalis M., S. Clarae ac SS. Apost. Petri et Pauli. Fertur, quod S. Clara surculum piri Vestalibus his submiserit, qui in arborem actu residuam, sapidissimos fructus, *S. Clarae piros* vocari solitos, producentem excrevit. Olim in hac s. Aede locum habuit Confraternitas S. Annae, an. 1497 instituta, a Leonello, Episc. Concordiensi ac Legato Apostolico, ac Alexandro VI. PP. confirmata, a Cardinalibus 22, Raymundo Perault, Episc. Gurcensi, Cardinale ac Legato Apostolico, Leonello praedicto, Christophoro de Forolivio, Ministro Generali stemmatis Observantium ac Cardinale, a Christophoro de Schroffenstein certis Indulgentiis condonata, et an. 1619 ad Ecclesiam

---

[1] Hueber in Chron. col. 1163. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 361. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 189 etc. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. ac Parth. Brixin. Clariss.

[2] Neutiquam: Constantinae.

Cathedralem translata. Intra clausuram duo Sacella prostant, unum B. V. Mariae Lauretanae, propria Ara instructum, consecratione destitutum, alterum mortuorum consecratum, in cuius Ara B. Mater Dolorosa conspicitur. In horto Capellula, parva imagine B. V. Mariae, Iesulum gestantis, decorata, et in peristylio via Crucis, an. 1732 plantata, sede sua fruuntur. Extra clausuram occurrit coemeterium, in quo Tertiariae domus Brixin. et personae ad servitia Parthenonis assumtae, terrae mandantur. In eo Sacellum B. V. Mariae ad Nives, *Nasi Capella* dictum, propria Ara instructum, n. 162. expressum, locum habet. Chorus Sororum supra ianuam Ecclesiae, Chorulus vero Fratrum ad parietem e cornu Evangelii prope Altare summum exstat. Sorores 60 circiter numero, hic habitantes, in Monasterio conduntur, et ex annuis censibus et proventibus bonorum vitae suae consulunt. Abbatissa, quae etiam olim ad Comitia Provincialia, a statibus Tyroleos instituta, uti 1481 convocabatur, in suo sigillo exhibet S. Elisabetham Thuringianam, Patronam Parthenonis; in orbe eius legere licet haec verba: *Sigill. Abbat. S. Clarae Monast. Brixin.*[1].

§ 2.

Monasterium Friburgense Clarissarum ad S. Claram.

165. In antiquo suburbio civitatis Friburgensis, de praesenti sub ruinis ingemiscente, versus pagum Lehen[2] haud procul a Monasterio Dominicanorum olim Coenobium FF. B. V. Mariae, tempore haud noto erectum, consedit. Incolae eius exstitere haud Servitae, utpote ante an. 1272 Monasterium nullum in his partibus recensentes, nec Fratres Calendarii[3], Servi etiam B. V. Mariae nuncupati; enim vero hi ex mera Sodalitate coaluerunt, Monasteria saltem formata non numerabant, nec in his partibus noti erant; vero proin magis accedit, quod ex Ordine Carmelitarum, B. V. Mariae specialiter devoto et tunc temporis in Germania sedem iam habente, exierint, pro quibus etiam eos Compilator Protocolli Conventus Friburgensis Franciscanorum reveretur. Iuxta hoc Coenobium sedem fixerant quatuor Praenobiles[4] Equites Nicolaus Rettich, Conradus Colman, Rudolphus Thurner et N. Schretter, qui, quorumque uxores ex Spiritus S. instinctu generosam resolutionem sub vexillo S. P. Francisci militandi formarunt.

---

[1] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 362. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 190 etc. Mohr in Chron. M. S. Tyroleos.

[2] Distat Friburgo unica hora.

[3] De his Calles in serie Episc. Misnens. p. 306 etc. plura exprimit.

[4] Nolo vocare Equites aurei velleris, aut aureatos, utpote tunc temporis in rerum natura non morantes.

Hunc in finem domus suas cum bonis resignarunt, et in loco earum, ac Monasterii incolis suis destituti, Parthenium Clarissarum excitarunt. Viri in Provincia Argentin. FF. Minorum, uxores vero cum filiabus in hoc ipso Monasterio, eidem Provinciae sub Regula S. Clarae inserto, nomen militiae Seraphicae dedere; ex istarum choro veniebant Agnes Rettich, uxor D. Nicolai Rettich, et quinque eius filiae: Clara, Catharina, Heilvig seu Heilwigis, al. Heilvidis, Margaretha et Pekrisa, hoc est Petrissa, uxor D. Rupolphi Thurner et duae eius filiae, uxor D. Conradi Colmann et duae eius filiae. Primiceria istarum colitur Agnes Rettich, an. 1272 die 11. Nov. induta, et an. 1275 die 12. April. vita exuta. Vestigia earum Clara et Adelheidis, Comitissae de Friburgo, et variae aliae feminae, stirpe inclytae, presserunt, et Monasterium ad tantum florem extulerunt, ut aliquando 69 Vestales coarctaverit [1].

166. Anno 1307 in Festo S. Agnetis inter Monasterium et Catharinam, D. Henrici de Crozingen Equitis viduam, ratione domus, ad eam olim Friburgi pertinentis, nec non praedii, in pago Mengen [2] siti, Clarissis donatorum et ab his donanti ad usum sub certo censu concessorum, instrumentum erectum fuit, addita conditione, quod post mortem suam et aliarum duarum personarum, aut istarum ex fata domo discessum, Guardianus Convent. Friburgensis Minoritarum in eadem 40 Sorores Regulae (Tertiarias) locet. Albertus II., cognomento Sapiens aut Contractus, Dux Austriae, diplomate Rappoltsvillae [3] Fer. III. post Festum S. Verenae an. 1354 exarato, Parthenonem in suam protectionem specialem suscepit, et suos Officiales et subditos obstrinxit, ne Sorores istius Parthenonis in suis iuribus et bonis, a summis Pontificibus aut Praedecessoribus obtentis, ullo modo offendant aut offendi permittant. Clemens VII. Antipapa, antea Robertus, Comes Gebennensis, an. 1378 die 21. Sept. electus, Bulla *Cum te nuper* Avenione IV. Cal. Sept. Pontif. an. I. exarata, Guillermo, Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presbytero Cardinali, Legato Apostolico ad Regnum Bohemiae, tractum Moguntinum, Dalmatiam et alias terras destinato, facultatem ex thesauro Ecclesiae Indulgentias dispensandi dederat; hic ergo literis *Licet is, de cuius munere venit* Schafhusiae Cal. Oct., Pontif. dicti Clementis an. IV. signatis, fidelibus per Festivos anni dies Ecclesiam Clarissarum Friburgensium visitantibus, et istis (quae ex propriis vivere haud possent) eleemosynam elargientibus, Indulgentias unius anni et quadraginta dierum

---

[1] Gonz. in Prov. Tyrol. Monast. 2. Hueber in Chron. col. 1067. Suev. Eccles. p. 338 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 362 etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. 191 etc. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. Francisc. ac Monast. Friburg. Clariss.

[2] Considet iuxta Munzingam, ac Marchioni Durlacensi subest.

[3] Per locum hunc aut venit Rappolti Villa, vulgo Rappoltsweier, al. Rappoltsweiler, Alsatiae superioris civitas, aut Rappersvila, vulgo Rappersweiler, Helvetiae civitas.

elargitus est. V. Soror Magdalena Beüttler seu a Kenzinga, alibi pluribus delineanda, virtutum suarum nitore, et devota oris facundia effecit, ut Moniales in communitatem omnimodam conspirarint, et perfecto paupertatis voto locum dederint. D. Rudolphus de Kilchen, Schultetus Friburgensis an. 1445 Dom. *Iubilate* decidit, quod domus Regularis Sororum ad Pavonem Clarissis, occasione belli se in civitatem cum tempore recepturis, pro habitaculo sit destinata, et Sorores istius domus ad domum Regularem Crozinganam se conferre teneantur. Addidit, quod in casu, quo Sorores domus ad Pavonem deficerent, haec Clarissis accresceret. Henricus IV., Baro de Höwen, Episc. Constant., literis *Sincera in Domino charitate* Constantiae an. 1447 die 5. Iunii et indictione 10. datis, Breve Bonifiacii VIII. PP. *Laudabilis sacra Religio*, n. 156. tactum, Clarissas a praestandis decimis et aliis exactionibus eximens, ratum habuit, et ad Monasterium hoc extendit. Fridericus III. Imperator diplomate, Neostadii in Austria anno XVII. Regni sui [1] et V. Imperii Caesarei [2] Sabbato post Festum S. Martini (sicque an. 1456) [3] lato, omnes gratias et iura, Parthenoni olim collata, roboravit. An. 1470 ex isto Claustro 4 Sorores ad Monasterium Argentinense in Werth Clarissarum (aliae insuper aliis tribus vicibus interpolatis temporibus ad Monasterium Clarissarum Alspacense, in Alsatia situm) perrexerunt, et in iis Regularem disciplinam restituerunt. Innocentius VIII. PP. Bulla *Exponi Nobis fecistis* Romae an. 1487 die 11. Ian. Pontific. an. III. exarata, indulsit, quod Sorores huius Coenobii in ieiuniis Ecclesiae ac Ordinis (excipit hebdomadam sacram) pro oleo, utpote sat caro pretio constante, butyrum, uti hactenus iuxta morem Dioecesis Constantiensis fecerunt, adhibere possint. En diploma Alberti II. [4]!

Nos Albertus, DEI gratia Dux Austriae, Styriae, Carinthiae, praesentibus palam facimus, honestam ac Religiosam Abbatissam, et Conventum Asceterii Ordinis S. Clarae Friburgi in Brisgovia gaudere singulari tutela et patrocinio Nostro, atque, si idem Asceterium ac Virgines eiusdem Reformatae et ad Regulam Ordinis S. Francisci omnino pauperes, DEO omnipotenti pura mente et corde servire decreverint, atque a sacra Sede Romana, et a Nostris Praedecessoribus aliisque Ecclesiasticis Superioribus et Praelatis privilegiis et gratiis affectae fuerint, quiete iisdem uti ac frui posse. Ea propter volumus, et vehementer cupimus ab

---

[1] Intellige: qua Romanorum Regis, aut Imperatoris electi.

[2] Hoc est: qua Caesaris a summo Pontifice coronati.

[3] Ratio: Fridericus III. fasces Romani Imperii via electiva an. 1440 die 2. Febr. prendit, et a summo Pontifice an. 1452 die 17. Martii coronatus fuit; in diplomatibus, hanc coronationem praecedentibus, regulariter solo Romanorum Regis nomine utebatur.

[4] Monum. citata.

omnibus et singulis, qui votis ac desideriis Nostris Nobisque inclinati fuerint, praecipimus autem serio et mandamus Officialibus Nostris, servis et subditis, ut praefatam Abbatissam, Conventum et bona illius, quocunque in loco statuum Nostrorum sita, nullis vexis aut oneribus gravent, sed et pro tuendis earundem Virginum gratiis, privilegiis et donationibus, aut a sanctis Patribus Nostris, Summo Pontifice et sacra Sede Romana, aut a Praedecessoribus Nostris, Ecclesiasticis et saecularibus Principibus et Dominis datis aut factis, auxilium et omne defensionis adminiculum conferant, neque unquam concedant, easdem a quopiam aut quocunque modo a quieta possessione, fruitione et usu impediri aut deturbari. Atque haec quidem facientes, praeterquam quod a DEO omnipotente mercedem referant, Nobis pergratum praestant obsequium, ac summae affectionis testimonium. Quibus Nos quoque gratiam Nostram et amicitiam addicimus, praesentibus in fidem valituris.

Datum Rapolzwilae die Martis post Festum S. Verenae, a Christo nato anno millesimo, trecentesimo quinquagesimo quarto.

167. Maximilianus I. Caesar diplomate, Hagenoae an. 1505 die 12. April. dato, favores Monasterio huic olim concessos, stabilivit. Luthero virus suum in Germania longe lateque diffundente, Friburgensés Clarissae tum per immissionem librorum, veneno hoc afflatorum, tum per Pseudopastores, ad eas sub habitu religioso amandatos, ad defectionem a vera fide allectae sunt, ast abs effectu; nam libros remiserunt, ad poparum istorum garritus aures obturarunt, et, ut se ab omni eximerent periculo, supplices literas, devotione plenas, an. 1528 die S. Marci ad Patres Observantes Provinciae Argentinensis, in Conventu Tubingano congregatos, exararunt, rogitantes, ut eorum Provinciae insererentur, et ex ista spiritualibus obsequiis condonarentur. Votis his eodem adhuc anno satisfactum, P. Nicolao Seitz, Ministro actuali Prov. Argent. de Observant., Coenobium, cui tunc temporis D. Barbara Schellenberg praeerat, in suam iurisdictionem acceptante. Actui huic Domini, ad Parochialia munera deputati, Sigismundus de Valckenstein et Vitus Sauter, excelsi Regiminis Consiliarii, Primates Senatus civici, nec non P. Alexander Molitoris, Prov. fatae Minister emeritus, ac P. Conradus Wadenberger, pro primo Confessario Clarissarum in hac devolutione selectus, eodem adhuc anno defunctus, adstiterunt. An. 1530 Monasterium hoc 10 Clarissas Parthenonis Mülhusiani in Alsatia siti, et 5 Basileenses in Valle gratiarum, ob constantiam in fide exsules, recepit et per plures annos sustentavit, a civitate Mülhusiana nihil, a Basileensi quidpiam pro sustentatione earum ac de s. supellectili reportans. An. 1547 die 14. Aug. flamma vorax Ecclesiam, magnam partem Monasterii, montem oliveti, in horto excitatum, varia pretiosa mobilia ac scripta consumsit, et Moniales in gravem paupertatem egit.

Eleemosynae, in diversis locis collectae, paulo post Ecclesiam, et successu temporis etiam Claustrum restituerunt. In Visitatione generali Monasteriorum, ex iussu summi Pontificis in Dioecesi Constantiensi demandata et an. 1573 in ea peracta, omnia in bono ordine inventa sunt. Iam praesento diploma Maximiliani I. [1].

Nos Maximilianus, DEI gratia Romanorum Rex[2], *semper Augustus, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae Rex*[3], *Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae etc, omnibus et singulis hisce notum esse volumus, oblatas Nobis fuisse preces ab honesta, Nobis dilecta et devota Abbatissa, ac Conventu Asceterii Ordinis S. Clarae Friburgi in Brisgovia, humiliter supplicantibus, ut indulta, gratias, literas authenticas ac privilegia, a Praedecessoribus Nostris concessa, rata habere ac confirmare dignaremur. Quoniam vero ex innata Nobis clementia et Regia auctoritate omnium illorum, qui DEI servitio sese consecrant et Creatori nostro pia et spirituali vita strenue deserviunt, quieti et bono intenti sumus, Nos consideratis humilibus precibus et honesta vivendi ratione praenominatae Abbatissae ac Conventus, atque perspecto eiusdem pro Religionis incremento et cultu divino zelo indefesso et studio quotidiano, omnes et singulas gratias, literas originarias, privilegia et concessiones, uti de verbo ad verbum sonant, et a Nostris Antecessoribus, Principibus, Dominis et christianis hominibus Abbatissae et Conventui traditae fuerunt, scienter et animo praemeditato approbamus et confirmamus, sicut in virtute harum literarum approbatas et confirmatas esse, ac si de verbo ad verbum praesentibus his insertae forent, de plenitudine potestatis Nostrae Romano-Regiae volumus, earundem etiam concessionum, gratiarum etc. usum, fruitionem et possessionem liberrimam, a nemine in ius vocandam, concedentes. Mandamus insuper omnibus Dominis Equitibus et Vasallis, Centurionibus, Praefectis, Praetoribus, Administratoribus, Officialibus, Schultetis, Consulibus, Senatoribus, civibus et communitatibus atque omnibus aliis subditis, Nobis fidelibus serio et firmiter, ut supradictam Abbatissam, Conventum, Monasterium pro futuris et perpetuis temporibus iuribus suis, gratiis, privilegiis, bonisque aliis non privent, ac contra aliorum etiam aggressiones et machinationes auxilium praestent et tutelam, sub interminatione offensae No-*

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. Franciscanorum, nec non Monast. Friburg. Clariss. Hueb. in Chron. col. 1161 et seq. Continuat. Orb. Seraph. t. 5. p. 363. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 193.

[2] *Caesaris* titulo in suis diplomatibus regulariter ante annum 1508 non est usus, uti in Conventu Suaz. insinuavi.

[3] Intellige: ex iure praetenso, a Friderico III. Patre in eum refuso.

strae et poenae incurrendae. Haecque iterato et serio inculcamus, et in fidem eorum ac robur has literas damus, signatas sigillo Nostro Regio.

Hagenoae die 12. Aprilis post Christum natum anno millesimo, quingentesimo quinto, Imperii Nostri Romani 20. [1], *Hungarici vero anno decimo sexto* [2].

MAXIMILIAN.

Ad Mandatum Domini Regis Serentiner.

168. Provincia Tyrolensis, an. 1580 nata, Monasterium hoc, vi Brevis Apostolici anno eodem die 16. Aprilis sibi adiudicatum, die 7. Iulii per A. R. P. Henricum Sedulium, primum eius Ministrum et Commissarium Apostolicum, exsecutive accepit, M. Marina Mayr cum 22 subditis sese subscribente. Anno 1607 die 9. Novemb. Reverendissimus DD. Fabricius Verallus, Episcopus S. Severi, Legatus et Visitator Apostolicus, Lucernae residens, Monasterium hoc canonice lustravit, operam pro sublevanda indigentia temporali eiusdem navavit, et in eo, esto nullum naevum in re spirituali invenerit, Capuccinum pro Confessario extraordinario instituit. Paulus V. PP. illud anno 1608 Maximiliano III. Archiduci [3] in suis literis energice commendavit; iste vero de eius statu per Commissarios suos edoctus, civitati iniunxit, ut suam quoque pro posse apponat operam. Intra an. 1608 et 1610 Monasterium ex subsidiis variorum benefactorum, praesertim fati Maximiliani, mille florenos numerantis, restauratum et die 27. Octob. anno tacto primitus inhabitatum fuit. Durante structura pars Monialium Friburgi in domo vicina, altera vero in aliis Partheniis, nempe Seggingano Principali ac Tertiariarum, *Horti Dei* seu Olspergensi Ord. Cisterc., Rhenofeldae vicino, Farensi Ord. S. Benedicti in Helvetia, Bernav. Ord. S. Benedicti in Silva Nigra, et Brisgovio-Friburg. ad S. Agnetem Ord. S. Dominici haesit. Reverendiss. praedictus Nuntius Apostolicus an. 1614 in Feriis Pentecostalibus Monasterium de novo, Tobia Hendschelio (Guardiano et simul Ministro Prov.) absente, eoque uti et territorii Principe non praemonitis, scrutatus, in suam iurisdictionem immediatam recepit, Confessionale ordinarium eius Parocho Kirchhofensi concredidit, et extraordinarium in priori statu reliquit. Archidux Maximilianus, Austriae anterioris Dominus, hoc actu haud leviter offensus, varias literas pro restitutione in integrum expediit, et promissum conditionatum a summo Pontifice an. 1615 retulit. Idem Matthias et Ferdinandus II. Caesares, nec non Leopoldus

---

[1] Electio Maximiliani I. in Romanum Regem accidit an. 1486 die 16. Februarii (Fugger et alii).

[2] In praetensione Regni huius Patri, an. 1493 die 19. Augusti defuncto, successit.

[3] Fuit filius Maximiliani II. Caesaris, Gubernator Tyroleos, et Magister supremus Ord. Teutonici.

Archidux, civitas Friburgensis et alii praestitere. Pars quoque Clarissarum, mutationi ansam dans, mentem mutavit, ad fatum Leopoldum supplices nec non ad Provinciam, ut isti redderentur, dedit, et causam partis constantis adiuvit. Serenissimus Archidux Leopoldus summa Sede absolute annuente, diplomate, Brisaci an. 1622 die 6. Ianuarii lato, P. Henrico Seyfrid, Prov. Tyrol. Franciscano Ministro Provinciali, iniunxit, ut restitutionem in assistentia Commissariorum ad effectum deducat. Hic istud die 25. Ianuarii in Conversione S. Pauli, fato Serenissimo praesente, Plur. Reverend. D. Francisco Andrea Zimmermann, Profess. et Rectore Universitat. Friburg., Reverendissimo Domino Trudperto de Roggenbach, Decano Ecclesiae Basil., et Reverendissimo D. Abbate Monast. ad S. Trudpert. Commissariorum munere functis, praestitit. Serenissimus Coenobio, in gravem paupertatem acto, mille florenos dono dedit, et duas Clarissas Brixinensis Parthenonis, nempe Magdalenam Bra·k ceu Abbatissam, et Caeciliam Ursulam Troyer ceu Priorissam ad illud suis expensis transferri curavit, ut hoc ad meliorem traducerent formam [1].

169. Celsiss. Princeps Constant. Sixtus Wernerus a Prasperg decreto, Constantiae an. 1627 die 3. Maii exarato, exiles reditus, quos Conv. Friburg. Francisc. ex anniversariis et piis legatis retulerat, Parthenoni huic addixit, idque ad onera, ratione eorundem praestanda, obstrinxit. Mars Sueco-borealis in Brisgovia an. 1632 arma circumferens, Moniales adegit, ut sese ex suburbio die 19. Decemb. [2] ad Collegium Pattmanicum, die altera ad Theobaldicum, intra moenia sita, transtulerint. An. 1633 die 3. Ianuarii Priorissa cum 12 Sororibus ad Monasterium, ab hoste haud leviter laesum, regressa est, reliquis intra civitatem se detinentibus. Ex eo an. 1634 die 8. Martii denuo intra moenia, ne Suecico militi in praedam cederent, sese receperunt, die 4. Oct. redierunt, et die 3. Nov. sex Sorores ob victus penuriam ac miseram Asceterii conditionem ad suos consanguineos migrarunt. An. 1637 die 7. Aug. ac an. 1638 die 2. Aprilis denuo intra muros asylum quaesiverunt, et die 31. Oct. 7 Sorores deficiente sustentatione, Oenipontem perrexerunt. Gratiosa D. Anna Elisabetha Lindtner, nata Schaid, vidua Aulici Cancellarii, Ministro Provinciali eam mane invisenti insinuavit, sibi in somno noctis transactae visum esse, quod mater septem filiarum evaserit. Reposuit ille, quod si velit, possit fieri mater septem Clarissarum Friburgensium, proxime advenientium. Ingenti gaudio exin perfusa, ocius suam domum pro exsulibus obtulit, et ipsas, eadem die advenientes, in ea locavit. Virtute earum accensa, Ordinem S. Clarae in Monast.· Bri-

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 363. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 193. Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. Franciscan. ac Monast. Friburg. Clariss.

[2] Diem hunc Monum. Monast. Friburg. allegant; Protocoll. Convent. Friburg. diem 18. Sept. citat.

xinensi an. 1640 die 29. Oct., quinque Clarissis Friburg. eam illuc comitantibus, selegit; ex istis an. 1642 duae Ehingam, Moniales in Breviario et cantu instructurae, reliquae Friburgum redierunt. An. 1644 die 28. Iunii Ludovicus Kanowsky, Dux bellicus Coronae Suecicae ac Gallicae militaris urbis Praefectus, Ecclesiam cuniculis actis diruit, et Monasterium flammis addixit; ad id Moniales, Ehingae suam obedientiam praestantes, an. 1646 regressae sunt. Celsissimus Princeps, ac Ep. Constantiensis Franciscus Ioannes a Prasperg decreto, an. 1650 die 8. Oct. Constantiae lato, et die 17. huius per A. R. D. Sebastianum Villinger, Parochum Friburg., et Ioannem Henricum Schmidlin, Archigrammateum civitatis Friburg, exsecutioni dato, Clarissis Domum seu Clausam Tertiariarum ad Agnellum, intra urbem sitam sibique subiectam, addixit. Ex Sororibus Tertiariis restabant duae iuvenes, unice Regulam S. Clarae sectatae, ac una senex, ad Monast. Adelhusanum Ord. S. Dominici [1] se an. 1651 recipiens. An. 1652 die 23. Martii Clausura in hoc novo Domicilio initium habuit [2].

170. An. 1653 die 9. Maii Monasterium hoc Clara Iacoba Schaid et Isabella Eugenia Fugger, Parthenonis Brix. alumnae, attigerunt, ut illud ad meliorem statum promoverent. Prior Abbatissae munere functa, ibi usque ad finem vitae haesit; posterior vero, Priorissae officium gerens, an. 1658 ad prius Coenobium rediit. Nimia arctitudo Monasterioli ad Agnum Clarissas commovit, ut an. eodem die 7. Iulii Monasterium suum exustum et eversum noviter exstruere, illudque an. 1657 die 9. Maii incolere coeperint. Percepto mandato Caesareo de demolitione Claustri bina vice novennam in honorem S. Antonii Patav. an. 1673 instituerunt. Exin die 13. Iunii in Festo fati Divi, in Feriam tertiam incidente, accidit, quod Sororibus in Choro coram candelis accensis ad S. Patronum suspirantibus, una candela de Altari in terram lapsa, ocius exstincta, sese, nemine manum admovente, e humo erexerit et iterum ardere inceperit, tanta energia loco huic adhaerens, ut vi amoveri debuerit. An. 1673 demolitio Monasterii in gratiam fortalitii decreta, effectum nacta est, Sororibus die 16. Sept. suam Domum Tertiariarum repetentibus, et ad eam quatuor aediculas adsitas caro pretio pro futuro Monasterio comparantibus. Brisacenses incendiarii aedes ac horreum praedii Clarissarum, Witgenaviae [3] sita, Vulcano an. 1676 dicarunt; mandatum quoque D. Schützii, supremi Friburgi armorum Directoris, duo horrea Clarissarum ac domum oeconomi, Monasterio directe adiacentia, solo aequavit. Miles Gallicus, Friburgum an. 1677 occupans, vinetum Clarissarum abolevit, et Monasterium ad dimissionem sex Monia-

---

[1] Situm habuit in suburbio prope Montem Lauretanum; ex eo, ac Coenobiis ad S. Catharinam et Agnetem Ord. S. Dominici aliud novum, in suburbio Hacker Vorstadt situm, coaluit.

[2] Suev. Eccles. p. 338. Monum. citata.

[3] Est pagus Dynastiae Bolschweil., Friburgo duabus horis elongatus.

lium adegit. Ex his Monast. Monacense Clarissarum in *Anger* duas, Brixinense vero quatuor suscepit et sustentavit, illis an. 1681, istis an. 1682 regressis. Hoc ipso anno Ludovicus XIV., Rex Galliae, Clarissis Monasterium Friburg. Guilielmitarum derelictum [1] dono dedit, et hoc exin applicans pro novo armamentario, 500 thaleros et vetus armamentarium iisdem consignavit, quorum adminiculo istae tres domos, habitaculo suo vicinas, coemerunt. An. 1683 die 1. Aprilis Anna Catharina Rinck, munere Abbatissae fungente, primus lapis pro Monasterii moderno fundo infixus, et die 27. Iulii formata structura inchoata fuit [2].

171. Milite Gallico Friburgum an. 1713 gravi obsidione premente et expugnante, Clausura Parthenonis in suo esse perstitit. Anno 1719 ratione pascuae communis ac duarum aedicularum cohaerentium inter Senatum Friburg. et Moniales compositio cusa fuit. In acerrima obsidione, a Gallico exercitu an. 1744 producta, Moniales intra Claustrum se continuerunt, et ex sex millibus ignivomorum globorum supra Monasterium volantium, haud plures ac tres, in illud se exonerantes, numerarunt. Benedictus XIV. PP. an. 1743 Indulgentias plenarias pro Festo SS. Trinitatis, singulis septenniis renovandas, Coenobio contulit; demolitio fortalitii ultimam obsidionem excipiens, isti ansam dedit, ut an. 1747 partem de antiquo fundo retulerit. Statua Pusionis Pragensis, originali attacta, an. 1752 die 25. Iunii Arae summae illata fuit [3].

172. Ecclesia S. Clarae, Clarissarum Matri, sacra, favorem consecrationis an. 1716 die 27. Maii a Reverendiss. D. D. Conrado Ferdinando Geist, Constant. Suffraganeo, Episc. Tricalensi, nacta, anniversarium eiusdem Dominica, Festum S. Ioannis Bapt. sequente colit. Ara maior S. Clarae quotidiano privilegio pro defunctis gaudet. Ex parte Epistolae Ara S. Annae, ex parte vero Evangelii Ara B. Matris Dolorosae conspicitur. Cultui publico hic Reliquiae authenticae S. Exuperantii M., S. Germani M., Petri et Pauli Apost. ac particula S. Crucis expositae sunt; praetereo spinam de Corona Christi, Reliquias SS. Apost., Sebastiani et aliorum, de quibus expressa authentica non adest. Verbum Dei a Concionatore proprio in Dominicis menstruis ac quibusdam aliis Festis, nec non a Praeside tertii Ordinis statutis diebus declamatur, via Crucis an. 1732 in Ecclesia et Claustro plantata, Monialibus et exteris campum ad ampla merita aperit. Sepultura Sororum intra Claustrum locum habet. Occasione Monasterii su-

---

[1] Transtulerunt se ad locum Oberried dictum, duabus horis cum dimidia Friburgo amotum, et in hoc saeculo amplexi sunt Regulam S. Benedicti; actu hoc in loco prostat Prioratus, celeberrimae Congregationi San-Blasianae insertus.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. Franciscan. ac Parthenonis Friburg. Clariss. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 363. Chron. cit. p. 192 etc.

[3] Monum. citata.

burbani combusti et eversi 19 Moniales[1] partim in Ecclesia Conv. Friburg. Franciscan., partim in huius peristylio tumulo illatae fuerunt. Degunt hic 30 circiter Moniales, ex suis censibus et bonis aegre sustentatae. Sigillum sistit S. Claram cum his in orbe literis: *Sig. Abbatissae Conv. S. Clarae Friburg. in Brisg.*[2].

§ 3.

Monasterium Halense Clarissarum ad S. Sebastianum.

173. Inclyta Hala motibus pro acceptanda colonia Clarissarum an. 1707 inchoatis an. 1709 die 2. Maii aliqualem ingressum iis praebuit, consensum suum impendens, eumque die 18. Decembris in forma legali sub certis conditionibus (sat arctis) congerens. Circa istas Monasterium Brixinense Clarissarum suam ultimatam mentem an. 1711 die 26. Aug. aperuit, ac exin cum civitate Halensi convenit. Illustriss. et Reverendiss. D. Franciscus L. B. de Enzenberg, Cathedral. Eccl. Brixin. Decanus et Canonicus, ad instantiam R. D. Ioannis Kircher et A. R. P. Bennonis Wenzl, Ministri Prov., sese pro fundatore oppigneravit, et instrumentum fundationis an. 1717 die 1. Maii confecit. Augustiss. Eleonora Imperatrice vidua, ac Archiducissa Elisabetha[3] a D. Francisco Holler, medico prioris, in Clarissarum partes tractis, Excellent. D. Sebastiano Comite de Künigle, arcani Dicasterii Oenipontani Praeside, pro ipsis calamum stringente, an. cit. rescriptum Caesareum emanavit, Dicasteriorum Oenipontanorum arbitrium[4] hoc in puncto expetens. Isto in favorem Clarissarum an. 1718 die 19. Febr. formato, an. 1719 die 30. Decemb. consensus Augustissimi Caroli VI. Caesaris ad instantes preces dictae Eleonorae, suae matris, positus, et ab illo pro xenio novi anni 1720 propria manu oblatus, et hoc ipso an. Episcopalis, exin modificatus, successit. Anno 1720 die 12. Iunii fundus circa Ecclesiam quatuor Sanctorum (Christophori, Sebastiani, Pirminii ac Rochi) ad familiam Gartnerianam spectans, uti et ipsius Ecclesiae, coemtus, et edictalibus die 14. Iulii exspirantibus, introductio Clarissarum decreta fuit, selectis sex Clarissis Monasterii Brixinensis, videlicet D. Maria Rosa de Enzenberg, sorore fundatoris, Abbatissa Brix. emerita, Primiceria, et aliis quinque Sororibus, quae die 25. Nov. iter ingressae, et die sequenti ad noctem Halae appulsae, in Regio Parthenone, introductioni earum ab initio addicto, noctem transegerunt, et die 27. de mane in domum Gartne-

---

[1] Calculus hic ex Necrol. Parthen. Friburg. et Protocollo Conv. nostri Friburg. deducitur.
[2] Monum. citata. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 194.
[3] Fuit filia Leopoldi I. Caesaris, ac Eleonorae Imperatricis.
[4] Germ.: Gutachten, Ital.: buon parere.

rianam solemniter immissae sunt, Pl. R. D. Iosepho de Wallpach in Schwanenfeld, Parocho Halensi, cum suo Venerabili Clero, Conventu Franciscanorum, quatuor de V. Definitorio Patribus, variis Nobilibus ac D. civitatis deputatis easdem honorifice et plausibiliter excipiente, ac claves Ecclesiae de licentia Celsiss. Princip. Brixinensis[1] consignante. Sponsis Christi post haec in Ecclesiam ductis P. Ladislaus Prugger, olim Conc. Aulicus, e Cathedra dixit, exin fatus Parochus Officium solemne, post cuius elevationem *Te Deum laudamus* sub explosione tormentorum decantatum celebravit. Adest iam instrumentum fundationis, ac consensus Caesarei synopsis[2].

Ut aliquid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi, ego Franciscus Liber Baro ab Enzenbeng[3] in Freyen et Iöchlsthurn, Cathedr. Ecclesiae Brixinensis Senior, Canonicus et Decanus nec non Praepositus B. V. M. in Werth etc., lego et dono ex meis bonis, quae a largissima Dei manu accepi, viginti millia florenorum in honorem sacratissimae humanae Triadis Iesu, Mariae et Iosephi pro fundatione Monasterii S. Clarae Ordinis sub directione et gubernio R. R. P. P. Franciscanorum exstruendi Halae ad Oenum Dioecesis nostrae Brixinensis in debitam et aeternam gratiarum actionem, praesertim vero pro benignissima creatione, misericordissima redemptione, sapientissima conservatione et aeterna coelesti gloria, quam spero ob Christi merita, infinitamque suam divinam misericordiam. Ratio autem huius meae fundationis est, (praeter illa, quae modo supra dicta sunt) potissimum prima: maior Dei gloria, quae sine dubio ab huiusmodi devotis virginibus, die noctuque divinam laudem dicentibus et decantantibus, in aeterna tempora promovetur et augmentatur, cum quibus et ego in omnium illarum ore etiam post mortem divinam laudem et misericordiam Domini in aeternum cantabo: secunda: amor proximi, quo subvenitur multis piis virginibus, quae iuxta Apostoli consilium sic melius permanentes, a peccatorum periculis amoventur, et (quod saepius tenerrima commiseratione et intimi cordis gemitu recogito) cum recens natus Salvator noster Iesus Christus non habuerit locum in diversorio, saltem eiusdem sponsae; et sic etiam ipse Sponsus in illis caste viventibus sponsis habeat locum in diversorio. A Monasterio vero mihi praestari haec duo puncta volo: Primum, ut mihi iuxta communem consuetudinem tamquam fundatori quotidiana Conventualis Missa applicetur; secundum, ut Conventus semper unam mihi con-

---

[1] Intellige: Caspari Ignatii Com. de Künigle, an. 1702 electi, et an. 1747 defuncti.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenip. Franc. nec non Monast. Hal. Clariss. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 364. Chron. Prov. Tyrol. Franc. p. 195.

[3] Viam universae carnis adiit Brixinae an. 1727 die 4. Ianuarii, in Ecclesia Cathedrali conditus; ita Monum. Monast. Hal. Clariss.

sanguineam, vel aliam virginem, a proximo meo consanguineo et familiae seniore praesentatam suscipiat, susceptamque retineat, mortua vel egressa illa, alia mox succedente; Conventus etiam cum eiusdem dote leviori, et iuxta Celsissimi Ordinarii nostri aestimationem sit contentus. In quorum omnium fidem ac firmitatem ego ad perpetuam rei memoriam hoc praesens instrumentum meae fundationis manu mea et sigillo roboravi, rogavique ad hoc confirmandum duos testes, nempe Praenobilem Dominum Philippum Partl etc., Caes. Maiestatis nec non Celsissimi Principis et Episcopi Brixinensis Consiliarium et Cancellarium Aulicum, et Admodum Reverendum Dominum Ioannem Kircher, Cathedralis Ecclesiae Brixinensis Beneficiatum, qui manu propria et sigillo haec omnia confirment.

Datum Brixinae anno reparatae salutis MDCCXVII. id est 1717 die 1. mensis Maii, nimirum die Festo SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, quos coram Deo in testes meae fundationis et Patronos invoco.

(L. S.) *Franciscus L. B. ab Enzenberg. mppr.*
(L. S.) *Philippus Partl. mppr.*
(L. S.) *Ioannes Kircher. mpp.*

Augustissimus attendens ex hac introductione Clarissarum nulli praeiudicium creari, et Tyrolim Partheniis Religiosis penuriam pati, conditiones civitatis moderatus est, et sequentes posuit. Prima: Claustrum a viginti [1] Monialibus inhabitetur; secunda: dos Candidatarum suscipiendarum, bonis fortunae bene provisarum, in bis mille florenis, aliarum vero mediocris status in mille florenis stet, libertate plus dare volentibus relicta, et qualitate circa pauperes observata; tertia: Claustrum civitati Halensi, ac cuicunque alteri circa onera realia non subsit; quarta: in susceptione ad Nobiles Tyrolenses, ac filias civicas Halenses largior figatur oculus; quinta: Franciscani ratione huius introductionis in suo Coenobio non multiplicentur; sexta: nulla alia Ecclesia nec alius fundus, ac praesens seligatur aut adhibeatur, et conditiones hae exacte serventur.

174. Praedictus Celsissimus Brix. an. 1721 die 21. Martii novum consensum, priorem in quibusdam modificantem, a V. Definitorio Provinciae nostrae cum reversalibus datis acceptatum, confecit, et die 6. Maii annutum suum tum ad alienationem Ecclesiolae Gartnerianae, tum ad structuram Monasterii, dictae Provinciae subiiciendi, in legali forma scriptotenus stabilivit. Die 23. Iunii in propria persona maxima cum teneritudine dignatus est voluntatem istam in fata Ecclesia exsecutioni mandare, instrumen-

---

[1] Conditio haec iustis ex causis posteriori tempore relaxata est.

tum Ecclesiae alienatae in manus A. R. P. Ministri Provinciae reponens, ac simul primum lapidem pro Monasterio, insigni Reliquia S. Clarae adiecta, fundo immittens. Clarissae in domo Gartneriana residentes, per alias Brixina submissas auctae, an. 1723 die 11. Iulii processionaliter ad Monasterium substantialiter completum, deductae, et Clausurae legibus in novo Parthenone substratae fuerunt. Istis per 8 Novitias indutas in numero elevatis, ceu prima Abbatissa D. Mater M. Agnes Dinsl praefuit, per canonicum votorum incrementum die 4. Aug. selecta. Benedictus XIII. PP. Romae Bulla *Ad augendam fidelium* an. 1728 die 1. Aprilis Indulgentias plenarias ad Festum S. Sebastiani concessit. Venerab. Definitorium an. 1734 Parthenoni huic duplicem Missam quotidianam pro via regulari indulsit; Augustissimus Carolus VI. Imperator rescripto, Vindobonae an. 1734 die 4. August. signato, arcano Consilio Oenipontano iniunxit, ut eidem, in suis iuribus infestato, assistat, et ad pacificam transactionem litem an. 1736 flexit. An. eodem Chorus ruinam minans ex arcubus muralibus noviter erectus, et Ecclesia decentius exornata fuit. Augustissima Imperatrix Maria Theresia rescripto, Holitschii die 25. Aug. an. 1749 exarato, 35 Sororibus Choralibus hoc in Coenobio locum indulsit. An. 1754 Monialis istius Coenobii, gravissima infirmitate lecto affixa, ad S. Ant. Patavinum recurrens, repentinae sanitati restituta est, duobus D. D. medicis eventum hunc inter miracula referentibus; exin imaginem S. Antonii tumido pedi devote admovens, in instanti sano pede surrexit. Conventu Halensi Fratrum an. 1760 igne consumto, Sorores duos Confessarios ac Concionatorem suum receperunt. An. 1763 pro statione stabili P. Confessarii ordinarii et Concionatoris Clarissarum V. Definitorium vota sua contulit, et Clemens XIII. an. 1764 die 24. Febr. Bulla *Ad augendam fidelium devotionem* Indulgentiam plenariam pro anniversario dedicationis impertitus est[1].

175. Ecclesia olim a quatuor Sanctis, videlicet Christophoro, Sebastiano, Rocho et Pirminio nomen adepta, nunc S. Sebastiani titulo gaudet. In loco eius stetit Sacellum, an. 1570 excitatum, an. 1620 die 1. Iulii lapide primo a Reverendiss. D. Christophoro Abbate Montis S. Georgii posito ad novam et maiorem formam traductum, an, 1670 die 1. Iulii a Reverendiss. D. Iesse Perkhofer, Episc. Bellinensi Suffrag. Brixin., consecratum; anniversarium huius favoris Dominica VII. post Pentecosten colitur. Ara maior, quotidie privilegiata, primario S. Sebastiano, et secundario SS. Pirminio, Christophoro et Rocho sacra est. Ex parte Evangelii Ara B. V. M. Immaculatae, ex parte Epistolae vero Ara S. Clarae, Iesuli Pragensis sedes, surgit. Cultum fidelium provocant Reliquiae, authenticis munitae, videlicet variorum SS. Martyrum, nempe Aurelii, Christinae, Victorianae et plurium

---

[1] Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 196. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. ac Monast. Halensis Clarissarum.

aliorum (nomina eorum, cum verisimilius ex nova selectione fluxerint, omitto); particulae duae S. Crucis, Reliquiae de s. crinibus B. V. Mariae, de S. Anna, duodecim Apostolis ac quatuor Evangelistis, de habitu et sanguine S. Patris Francisci, de S. Matre Clara, Antonio Patav., Bonaventura, Petro de Alcant., Agnete V. et M., Caecilia V. et M. et veste S. Theresiae, de S. Clara de Montefalco, quatuor maiores et tres parvae particulae S. Sebastiani M., Reliquiae SS. Fabiani P. et M., Laurentii Levitae et M., Stephani Lev. et M., Ioannis Chrysostomi Ep., Vedasti Ep., Rochi Confess., Floriani Martyris, Marii et Marthae MM., Ursulae V. et M., Apolloniae V. et M., Iulianae V. et M., de societate Mauritii M. seu legionis Thebaicae. Accedit Reliquiarium, in Choro exstans, in quo singulis anni diebus quidam Sanctus colitur, et dens S. Sebastiani, de quibus donantes authenticas retinuerunt. De cetero verbum Dei a Concionatore proprio Dominica tertia mensis, ac in quibusdam aliis diebus proponitur. Via Crucis in Ecclesia et Claustro an. 1732 ortum habuit. Sepultura Sororum in Claustro exstat. Monasterium, loco elato situm, in quadro exstructum, amoenissimo horto decoratum, 42 circiter Sorores complectitur, ex annuis censibus, dote Professarum, et bonis remotis vitae suae consulentes. In sigillo eius exprimitur S. Mater Clara, his in orbe exaratis verbis: *Sig. Convent. Clarissarum Halensium*[1].

CAPUT V.

MONASTERIA EXSTANTIA
Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, sexus virilis ac feminei, Provinciae Tyrolensi adiudicata.

176. Primatum sibi vindicat Monasterium Bernsteinense, utpote a viris inhabitatum. Alterum locum tribuo Monasterio Ehingano sexus sequioris, in quo Clausura stricta viget, et Officium diurnum in Latina lingua persolvitur. Pergo exin servato ordine antiquitatis ad residua feminea Monasteria tertii Ordinis, in quibus Officium Marianum in lingua vernacula recitatur, et pro Clausura unice sub conditione votum in s. Professione emittitur; chorum claudit Monasterium Segginganum Tertiariarum, quoad iurisdictionem S. Nuntiaturae Lucernensi substratum, curae tamen spirituali nec non visitationi delegatae Provinciae Tyrolensis commissum.

---

[1] Cont. Orb. Seraph. et Chron. cit. Monum. citata.

§ 1.

Monasteriolum Bernsteinense Tertiariorum ad S. Ioannem Baptistam.

177. In Comitatu Hohenbergensi ad confinia Silvae Nigrae, vulgo Schwarzwald, intra Dominium Austriacum, Dioecesin Constantiensem et Capitulum rurale Haigerlochense MONASTERIUM BERNSTEINENSE, vulgo *Bernstein*, Fratrum tertii Ordinis S. P. N. Francisci statione sua fruitur, tribus horis Horba remotum, pago Horgenzimmern ac Parthenonibus Kirchbergensi ac Gruelensi Ord. S. Dominici sat vicinum, cuius haec origo. Eremitae quidam[1] a tempore, quo inter vivos degebant Elisabetha de Byrn, Comitissa, Wilburgis et Kunigunda duae sorores, Comitissae de Hohenberg (Parthenoni Kirchberg. Ord. S. Dominici an. 1237 initia dantes), ad silvam in vicinia hac sitam pervenerunt, variis a dictis fundatricibus favoribus affecti. Opinionem hanc, traditioni antiquae innixam, in sui medio relinquo, et gradum facio ad ea, de quibus positiva instrumenta suffragantur. Eremitae quidam, si non ante, certe an. 1361 in silva Bernsteinensi sedem fixerunt; enim vero vir nobilis D. Hermannus ab Ow seu Aw, *senex* dictus ab Hirlinga[2], Ioannes et Marquardus eius filii, silvam Bernsteinensem anno hoc die Mercurii ante Festum S. Viti a tribus Nob. DD. fratribus, Conrado, Hermanno et Henrico Zimrer ab Hönatweiler appellatis, 145 pondo obolorum emtam, unacum suis bonis ac iuribus Fratribus Udalrico et Adamo, nec non reliquis fati Eremitorii Fratribus an. 1361 Fer. II. ante Festum S. Mariae Magdalenae liberrimo dono transcripserunt, adiecta conditione, quod in casu Eremitarum plene deficientium aut in moribus exorbitantium, ista Monasterio Binsdorfensi Dominicarum cederet. Reverendiss. D. Eberhardus, Monasterii Augiae divitis, vulgo Reichenau, Abbas, ad supplicem libellum, a praedicto D. Hermanno de Ow an. eodem in Vigilia S. Mariae Magdalenae oblatum, Fer. III. post Festum S. Othmari Fratribus ius feudi Bernsteinensis resignavit, addito onere, ut recognitionis ergo in Festo Purificationis B. V. Mariae annuatim ad dicti Coenobii Cameram mediam libram cerae[3] per fidelem famulum submittant. Reverendiss. Petrus, Ep. Cyronensis, Henrici[4] Ep. Constantiensis Vicarius Generalis, an. 1370 iuxta scripturam Germ. in literis benedictionis

---

[1] Compilator Monum. Coenob. Bernstein.; unde attendendi non sunt scriptores determinate duos FF. allegantes.

[2] Pagus hic, Parthenone Ord. S. Dominici instructus, inter Hechingam et Horbam considet.

[3] Onus hoc an. 1717, Camerae Augiensi 30 florenis solutis, cessavit.

[4] Intellige: III., Comitis de Brandis, an. 1336 electi et an. 1384 successorem adepti.

expressam et M. S. Asceterii Bernsteinensis, Dominica proxima post Festum S. Michaelis Altare Eremitorii istius in honorem B. V. Mariae s. ritibus inauguravit. Refertur quidem actum hunc in instrumento ad an. 1420 revocari, ast cum Consecrans etiam in isto vocetur Suffraganeus Henrici, Ep. Constantiensis, annus hic ruit; etenim iuxta cathalog. Ep. Constant. recentissimum an. 1420 Otto III., Marchio Hochbergensis, in Cathedra Constant. sedit. D. Hermannus Zimrer cohaeredesque eius, Fratribus circa silvam litem moventes, an. 1378 per publicum instrumentum confiteri debuerunt, pretium esse solutum, et sibi nullum ius amplius in silvam competere. Adest diploma donationis fundi, ex Germanismo ad Latinismum traductum [1].

Omnibus praesentes inspecturis, vel legi audituris.

Hermannus de Cw, dictus senex de Hürningen [2], *Ioannes et Marquardus, eius filii, notum facimus, nostro etiam et haeredum nostrorum bono consulentes, nos praesenti et liberrimo animo, atque cum eorum, quorum interest, consensu, solum propter Deum renuntiasse omni iuri et dominio, quod adepti sumus et adipisci possemus, ad silvam cum fundo, et omni iure et re eidem adhaerente, quam emimus a strenuis et Nobilibus Vasallis Conrado, Hermanno et Henrico, vulgo Zimmerianis ex Hamotumer* [3], *nuncupatum Bernstein, sitam in districtu Horgenzimmeriano, a calle Bernsteinensi usque ad viam angularem, et inde usque ad fodinam arenariam et callem alium adiacentem pratis Kilpergensibus in Owa, totumque solum, pratis adsitum, usque ad campum Wisenwald, cum omnibus iuribus aliisque adhaerentibus. Atque haec amore Dei et salutis animae nostrae desiderio, atque promovendi cultus et honoris divini gratia, honestis ac religiosis Fratribus Ulrico et Adamo* [4], *aliisque hic loci inquilinis, divinam honestamque vitam viventibus, data a nobis et donata sunto, adeo quidem, ut hi pleno iure et auctoritate silvam praedictam cum aliis quibuscunque ad eam spectantibus habeant possideantque, atque de ea libere et quiete disponere valeant. Quodsi tamen contingeret, fundum supradictum interire, aut eius possessores deficere, aut homines intrare, impie et Dei timore postposito viventes, volumus, ut silva eadem cum omnibus iuribus et aliis adhaerentibus ad Claustrum Binsdorf* [5] *huiusque claustrales Virgines devolvatur, atque in harum arbitrio et voluntate stet, silvam aut possidere aut alienare. Dumque haec*

---

[1] Hueb. in Chron. col. 1313. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 355. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 183 etc. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Monast. Bernstein. Tertiariorum.

[2] Hirlingen.

[3] Compilator Protocolli Bernstein. per locum hunc Hönatweiler intelligit.

[4] Citatus legit: Ulric et Adl seu Adam, hoc est Udalrico et Adamo, aut certe Abeli.

[5] Parthenium hoc, Ordini S. Dominici adscriptum, inter Hechingam et Bernsteinium occurrit.

per Deum disposuimus et ordinavimus, promittimus data fide Fratribus saepe dictis silvam cum aliis omnibus adhaerentibus extradere, atque eo modo ad eosdem transferre, quo a Zimmerianis de manu ad manum et sub tabellis authenticis extraditam et translatam accepimus, easque tabellas Fratribus consignamus, ut sint eis defensionis iustae instrumentum perenne. Haec testamur per Deum et Servos omnes, atque in horum fidem et confirmationem appendimus sigillum triplex, quisque suum.

Datae sunt literae anno a Nativitate Christi millesimo tercentesimo sexagesimo primo, die proxima Lunae[1]*, Festum S. Maria Magdalenae praecedente etc.*

178. Bernsteinenses Fratres, pacis olivas gustantes, silvam excindere et terram ad culturam adaptare coeperunt. Albertus VI., Austriae Dux, Ernesti Ferrei filius, Friderici III. Caesaris frater, ac Sigismundi, Tyroleos Principis, cognatus, in nomine istius et illius diplomate, Waldishuti an. 1445[2] Fer. II. ante Festum S. Mariae Magdalenae expedito, Fratrum aedificium, agros, silvas et prata ab omnibus oneribus ac contributionibus exemit. Rev. D. Conradus Kaiser Weildorfensis, Sacerdos saecularis piissimae vitae, per decem annos alimentarius in Bernstein, brevi ante suum obitum, qui in an. 1448 diem 11. April. incidit, precibus suis pro Fratribus, aquarum penuria pressis, saluberrimam lympham, guttatim a petra usque ad hodiernum diem scaturientem obtinens, Kirchbergae in Ecclesia veteri apud Altare summum conditus fuit. Reverendiss. D. Fridericus, Abbas Augiae maioris[3], pro Fratribus Bernsteinensibus, supplices in Festo S. Laurentii formantibus, nulli adhuc Regulae approbatae determinate affixis, Statuta, ab ipsis congesta, an. 1448 rata habuit, et indulsit, ut iuxta ea salvo iure Parochi vitam transigere possint. Provincia Alemannica seu Argentinensis FF. Minorum Conventualium eosdem per Custodem Sueviae Eslingae calculo Tertiariorum Seraphicorum intulit, ac in suam iurisdictionem recepit. Actus hic positus est aut an. 1492, quo emanarunt Statuta, pro Fratribus tertii Ordinis fatae Provinciae subiectis confecta, in Archivo nostrae Prov. reposita, et ex Asceterio Bernsteinensi submissa, aut certe an. 1494, quo Minister Provincialis Provinciae Argentinensis FF. Min. Conventualium Fratribus Tertiariis silvae Dettinganae regulam et normam vivendi praescripsit, actu Eslingae an. cit. in Festo Agathae posito. Ex his innotescit, quod Chronicon parvum nostrae Provinciae perperam hanc translationem ad an. 1503 revocet, et loco Eslingae, Ducatus Wür-

---

[1] Tali modo terminum *guten Tag*, in instrumento Germanico adhibitum, Compilator monumentorum, de Asceterio Bernsteinensi submissorum, explicat.

[2] Neutiquam an. 1448.

[3] Monasterium hoc Ordinis S. Benedicti in insula lacus Bodamici caput effert.

tembergici civitatis, Conventu Minoritico tunc temporis instructae, Ettlingam, Marchionatus Badensis urbiculam, exprimat. En diploma Alberti VI., Austriae Ducis, Latinismo adaptatum [1].

Nos Albertus, Dei gratia Dux Austriae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Comes Tyroleos etc. Tenore harum fatemur et testamur, ex certa scientia constare Nobis, devotos Nostros ac fideles Fratres et solitarios in silva Bernstein, Parochiae Horgazimmerianae, Dominii Nostri Hochenbergensis, sanctam, ordinatam, laudabilem et devotam vitam ducere; eapropter gratia et clementia Nostra iisdem inclinati, ut stabilem et securam sedem habeant firmamque, Augustissimi Principis et Domini Friderici, Romanorum Imperatoris, dilecti et clementissimi Domini ac fratris Nostri, nec non amantissimi cognati Nostri Ducis Sigismundi nomine, quorum utriusque potestate et auctoritate fungimur, praesentium ac posterorum Fratrum loci Bernstein aedificia, Capellae adiacentia (intelligendo etiam eorum Officia in Ecclesia publica) cum agris, pratis, arvis, collibus, silvis, arboribus et fundo, usufructu, reditibus, iuribus, consuetudinibus honestis, uti acceperunt ab Hermanno de Auw p. m., Ioanne et Marquardo, eius filiis, libere et gratis donata, de speciali gratia et privilegio ab omni censu, tributo, taxatione, onere vigiliarum, circitorum, operarum publicarum exemta, pari modo eximimus, et harum literarum vigore exemta declaramus, ac concedimus, ut Fratres praedicti, prout eis visum fuerit, frui iis omnibus, atque de iisdem quiete et absque impedimento, a Nobis vel quovis alio movendo, disponere perpetuis temporibus valeant; neque ulli alteri invitis Fratribus, sive in agro sive in prato, sive in alio ipsorum loco vel proprio vel feudali ius pascuandi, vel ligna ex eorum silvis auferendi aut transferendi ius competat. Concedimus autem et declaramus, licere Fratribus pecora quaeque ad pascua et agros in Horgazimmern educere, indicto Zimmerianis silentio, atque omni iure excipiendi aut contra Fratres eapropter agendi ademto. Volumus insuper, Fratres nec precibus nec alio quovis modo ad suscipiendum Fratrem quempiam cogi posse, nisi ipsi in susceptionem liberrime consenserint; reservamus tamen Nobis ac Domui Austriacae ius, Fratrem vel Fratres denominandi ac praesentandi, quos etiam, si suscipi petimus, absque tergiversatione et protestatione in suos suscipiant, tam diu, quam diu Fratres ipsi et eorum bona, quae omnia praesentia et futura Nostrae Domusque Austriacae advocatiae et tutelae subsint, de Dominio Hohenbergensi fuerint. Porro mandamus nobilibus Nostrisque dilectis fidelibus singulis regionis Praetoribus, Matronis, Baronibus, Equitibus et Vasallis, Centurionibus, Praefectis, Schultetis, Iudicibus, Consiliariis et com-

[1] Hueb. et Cont. Orb. Seraph. citati. Chron. cit. p. 184 etc. Monum. citata.

munitatibus, quae sunt in civitatibus et vicis, atque omnibus Officialibus Nostris, subditis et fidelibus servis, praecipue ditionis Nostrae Hohenbergensis, et serio praecipimus, ut modis omnibus curent faciantque, ut Fratres Bernsteinenses eorumque successores ius suum ac privilegia contra quemcumque invasorem quiete et firmiter obtineant, atque ipsi etiam, quibus haec mandamus, vim omnem et iniustam aggressionem a Fratribus arceant. Tandem hanc esse seriam et constantem voluntatem Nostram his literis significamus, quas dedimus Waldishuti die Lunae ante diem S. Magdalenae, an. post Christum natum millesimo quadringentesimo et quadragesimo quinto.

V. Dux in Confid.

179. Fratres Bernsteinenses de licentia et valore dictae translationis, eo quod abs interventu Sedis Apostolicae contigerit, in dubium abrepti, ad Eminentiss. Raymundum Perault [1], S. R. E. Cardinalem, Legatum Apost. per Germaniam, Daciam seu Daniam, Sueciam, Norvegiam etc., recursum fecerunt, qui diplomate, Argentinae an. 1503 pridie Calend. Ianuarii, Pontif. Iulii II. an. primo dato, actum rescidit, novam licentiam Fratribus pro transitu ad tertium Ordinem Seraph. sub Prov. Argentinensi de Observantia indulsit, iisdem omnes gratias, quibus fruuntur Monasteria tertii Ord. S. P. Francisci, addixit, Vicario Provinciali istius Prov. iniungens, ut dictos Fratres in omnibus iuribus et gratiis defendat. In Congregatione Bambergensi (quam Hueb. col. 545 ad an. 1504 revocat) P. Bartholomaeus Weyer, Vicarius Provincialis, voluntatem fati Legati exsecutioni dedit, Monasterium pleno iure Prov. praefatae adiungens, et haec literis, Tubingae an. 1505 in Festo Cathedrae S. Petri exaratis, Fratribus annuntians. Reverendiss. Vicarius Generalis Celsiss. Principis Constant. an. 1514 die 26. Augusti indulsit, ut in Capella Bernsteinensi SS. Sacramenta Eucharistiae et extremae Unctionis conserventur, et debito tempore dispensentur. Maximiliano I. Imperatore an. 1516 die 1. Martii diploma Alberti VI., Austriae Ducis, innovante, Reverendiss. D. Melchior Ep. Ascalonensis, Celsiss. Principis ac Ep. Constant. Hugonis [2] in Pontificalibus Vicarius Generalis, Capellam Bernsteinensem, antea in honorem B. V. Mariae cum Altari in Choro in honorem SS. Ioannis Bapt. et Ioannis Evang., Petri et Pauli Ap., Nicolai Ep., Antonii Abb., Agnetis, Catharinae, Ursulae et Quiteriae consecratam, an. 1522 die 29. Martii consecratione priore amissa noviter inauguravit, et hanc ipsam gratiam Altari S. Michaelis, in dextro latere extra Chorum sito, impendit. Sereniss. Ferdinandus I., Archidux

[1] Vir hic, natione Gallus, Episcopus Gurcensis, Viterbii an. 1505 decessit; plura de eo Eggs in Purpura docta l. 3. p. 280 etc. sistit.

[2] Cognomento: de Landenberg, an. 1496 ad Cathedram Constantiensem elati.

Austriae, Regionum Austriacarum Gubernator, diploma Alberti VI. an. 1525 die 21. Iunii ratum habuit [1].

180. A. R. P. Henricus Sedulius, primus Prov. Tyrol. Minister, an. 1580 die 28. Aug. Monasterium hoc a Prov. Argentinensi de Observ. ad Tyrolensem transtulit, Fr. Iacobo Guetmues, Superiore, cum 8 Fratribus in actum consentiente. Idem die 30. Aug. subscripsit transactioni ratione decimarum inter Parochum Zimmerensem, Monasterium Kirchbergense et Fratres eusae. Officium Curiae Constant. rescripto, Constantiae an. 1603 die 18. Decemb. lato, sub excommunicationis poena praecepit, ut damnum, Fratribus circa pascua illatum, resarciatur, et contra iura eorum hac in re nil unquam agatur. Lues an. 1611 in Comitatu Hohenbergensi grassans, 8 servos Coenobii et unum Fratrem Religiosum vita privavit. Sereniss. Archidux Leopoldus an. 1624 illius privilegia firmavit. Bello Suecico Germaniam dirissime vexante, Monasterium hoc aliquoties expilatum et incolae eius in fugam acti sunt. Sane an. 1633 quatuor solum Fratres hic numerabantur, quos Officiales Suecici, Haigerlochae residentes, die 6. Oct. expulerunt. Post haec unice superfuere tres, quorum Superior Michael Teufel Friburgi a Clarissis, Fr. Michael Erath Oeniponte a Franciscanis, et Fr. Nicolaus Imnaviae, pago 2 horis Horba remoto, a suis consaguineis recepti et sustentati fuere; ultimus in vestibus saecularibus delituit, et e vicinia ad Coenobium, in quo Praefectus, a Duce Würtemberg. constitutus, sedem fixerat, vigilem oculum direxit. Clades, Nördlingae Suecis an. 1634 illata, Fratribus reditum ad suos lares aperuit. Sereniss. Ferdinandus Carolus, Archidux Austriae, Princeps Tyroleos, Oenipont. an. 1647 die 13. Nov., ac Sigismundus Franciscus, eius frater ac successor, ib. an. 1664 die 6. Oct. privilegia, Fratribus concessa, roborarunt. An. 1668 Fratres in Ecclesia Zimmerensi cum licentia R. Priorissae Kirchberg. ac Parochi separatum Chorum pro se construxerunt. August. Caesar Leopoldus an. 1671 eorum gratias munivit. V. Definitorium an. 1684 sancivit, ut in Ecclesia Fratrum visitatio SS. Eucharistiae aut s. Olei, ab extero tentanda, non admittatur [2].

181. An. 1708 antiqua cella vinaria ac penuarium, sub Capella sita, in sepulturam transformata fuerunt, aqua, antea a Reverendiss. Suffrag. benedicta, solito ritu an. 1710 die 25. Ianuarii sacratam. Augustiss. Carolus VI. Imperator an. 1713 die 1. Martii diploma Alberti VI. et alias gratias, Fratribus collatas, stabilivit. Eminentiss. D. Nicolaus Spinola rescripto, Romae an. 1716 (uti ex Monument. Asceterii Bernstein. eruo) die 22. August. dato, sub poena mille aureorum Camerae Apostolicae appli-

[1] Chron. Prov. Tyrol. Fsanciscan p. 184. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Monaster. Bernsteinens. Tertiariorum. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 355.

[2] Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 1346. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 184, in quo expulsio Fratrum perperam ad an. 1626, et reditus ad an. 1630 revocatur, uti ex historicis liquido constat.

candorum, nec non et aliis poenis ac censuris Ecclesiasticis prohibuit, ne Fratres Bernsteinenses, sub obedientia propriorum Superiorum Regularium viventes, ex praetenso iure parochialitatis ullo modo molestentur aut in quieta possessione turbentur. V. Definitorium an. 1722 annutum pro residentia P. Confessarii apud Fratres Bernsteinenses pro eorum spirituali bono dedit. Intra an. 1729 et 1733 novum Monasterium, Oratorium, nova sepultura ac Ecclesia ad suum esse pervenerunt [1].

182. Ecclesia moderna S. Ioannis Bapt., consecrationis favorem an. 1733 die 1. August. a Reverendiss. D. Francisco Ioanne de Sirchenstein, Suffraganeo Constant., referens, anniversarium eius Dominica, dedicationem Ecclesiae Portiunculanae excipiente, celebrat. Altare maius S. Ioan. Bapt. quotidianum privilegium pro defunctis possidet; e cornu Evangelii Ara B. V. Mariae Immac., e cornu Epistolae Ara S. Antonii Patavini obviat. Crypta Fratrum infra Chorum Altaris summi exstat. Conscientias Fratrum P. Franciscanus residens, Confessarius ordinarius, et alius ceu extraordinarius statutis diebus accurrens, moderantur; prior hic certis Festis e Cathedra dicit, et a Festo omnium Sanctorum usque ad Pascha pro domesticis saecularibus catecheses habet. Claustrum incolitur a 12 circiter Fratribus, e suis bonis, dotibus ac labore manuum suarum victitantibus, et exactum ordinem in Officio divino et aliis actibus observantibus. Via Crucis ab an. 1733 frequentatur. Sigillum vetus exprimit ursum, brachia erga arborem extendentem annexis his verbis: *S. Frat. tert. Ordinis S. P. Francisci in Bernstein*, novum vero S. Ioannem Bapt. una cum literis. *C. B* [2].

§ 2.

Monasterium Ehinganum Tertiariarum ad S. P. Franciscum.

183. Prope moenia civitatis Ehinganae, Cap. 2. § 10. expressae, in tractu Groggenthal, quibusdam Gloggenthal nuncupato, Parthenium Seraphicum tertiae Regulae assurgit, hac occasione ortum. D. Conradus Moll [3], Senator dictae civitatis, per virtuosam vitam trium feminarum, videlicet Annae Brunnin [4], Magdalenae Muskayn et Annae Fechterin, in dicto tractu iuxta suam domum positarum, allectus, iisdem anno 1395 die 10. Aug. suam domum, hortum et pratum una cum aliis rebus consignavit. Illae, Monasteriolum sub *vexillo tertio* S. P. Franc. excitantes, sese Provinciae

---

[1] Monum. citat. Chron. cit. p. 185 etc.

[2] Monum. cit. Chron. cit. p. 185.

[3] Neutiquam: Woll.

[4] Iuxta relationem mihi datam quidam vocant Beimin.

Argentinensi FF. Minorum [1], successu temporis nomine Conventualium baptizatorum, submiserunt, et tandem ad Prov. Argentinae Observantium transierunt. D. Clara de Rinderbach pecuniam pro prato, Herbingshofii ab Illustriss. D. Burchardo de Freyberg coemto, suppeditans, an. 1440 Fer. VI. post Festum S. Udalrici sancivit, ut proventus, ex eo resultantes, pro vino in bonum Conventus applicentur. Albertus VI., Austriae Dux, diplomate, an. 1447 in Festo S. Scholasticae Ehingae exarato, in fine huius N. Latine sistendo, Moniales liberas reddidit, et ne in suis privilegiis infestentur, mandatum tulit. D. Conradus Constanzer et D. Ioannes Boller, xenodochii Ehingani Administratores, an. 1466 urnam [2] vini Eslingensis mensurae ac libram cerae iisdem annuatim dandam fundarunt. Ann. 1492 die 9. April. Capellae Groggenthalensi in fundo, Parthenio appropriato, initium datum est [3].

Nos Albertus, Dei gratia Dux Austriae, Styriae Carinthiae et Carniolae, ac Comes Tyroleos etc. hisce manifestum facimus et declaramus, Nos considerata laudabili Congregatione honestarum ac devotarum Sororum in Grockenthal, extra moenia civitatis Nostrae Ehingae prope Sedem Nostram aulicam habitantium, ipsarumque bene ordinata, ut ex testimoniis fide dignis habemus, honesta ac pia virendi ratione has exarasse literas, atque easdem Sorores, ut Deo orationibus suis deservire et rebus suis domesticis consulere quietius valeant, ab omnibus operis publicis et itinerum oneribus exemtas fecisse, adeo quidem, ut et a civibus Nostris Ehingae et ab alio quocunque ab eiusmodi itinerum incommodis immunes habeantur, neque ulli vexae ea propter subiaceant. Hanc gratiam firmam esse volumus, a Nobis tamen revocabilem. In quorum fidem has dedimus Ehingae die S. Scholasticae, post Christum natum an. millesimo, quadringentesimo, quadragesimo septimo.

184. Lutheranismo magnam Germaniae partem inficiente, Sponsae Christi hoc in loco fidem integram Sponso coelesti servarunt. Iste circa an. 1524 (uti relatio antiqua, in Archivo nostrae Provinciae reposita, asseverat) in forma pulcherrimi Iuvenis, violacea veste induti, Sororibus in Vigilia Pentecostes collationi [4] vacantibus in refectorio se visendum praebuit et ad columnam in medio stetit, dicens: *Pax vobis! cras vobiscum ero in SS.*

---

[1] Insistendo Monumentis istius Parthenii; unde Auctor nostri Chronici Prov. Tyrol. perperam ait, Monasterium hoc ab origine Episcopalis Iurisdictionis extitisse.

[2] Vulgo *Eimer*.

[3] Suev. Eccles. p. 299. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 364. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 197 etc. Monum. Prov. Tyrol. Franc. et Parthenonis Ehing.

[4] Monum. Parthenonis Ehing.: Neutiquam *ientaculo*.

Sacramento. Post haec discessit, Sororibus[1] mox surgentibus, vestigia eius usque ad parvam ianuam, in hortum exitum pandentem, legentibus et, eo hic disparente, in dulcissimos affectus abreptis. Ante ianuam istam, quae hodiedum Portula Sancta audit, pluribus annis lampas radios sparsit, lapsu temporis per bellorum procellas exstincta. Haud bene procedunt scriptores, casum hunc ad an. 1600 revocantes, nullo solido fundamento instructi. Relatio iam tacta eis resistit; accedit: Provincia nostra, Monasterio hoc iam an. 1580 potita, de hoc casu, ceu a tempore suae erectionis accidente, nullam notitiam possidet, eumque, ut olim contingentem, unice adducit. Dein Monialis quaedam, annis grandaeva, an. 1678 defuncta, praecise attestata est, quod ante 62 annos (sicque 1616) lampas apud ianuam istam adhuc arserit, nulla facta mentione de aliqua Moniali superstite, tacta visione condonata. Idem Dilectus alio tempore a Sororibus, in prato Schwomwag labori vacantibus, velut orans in monte Oliveti et sanguinem sudans, in genua supra collem demissus, conspectus fuit, loco post eius disparentiam suavem odorem diutius diffundente. Ferdinandus I. Imperator diplomate, Augustae an. 1559 die 20. Iulii expedito, Alberti VI. literas munivit, et ut ad amussim observentur, serium mandatum dedit. Reverendiss. D. Nicolaus, Abbas celeberrimi Monasterii Zwifaldensis Ord. S. Benedicti, et D. Isaac. Hay, S. C. M. Burgaviensis Quaestor[2], Commissarii Austriaci, inter Monasterium, in suis privilegiis oppugnatum, et civitatem Ehinganam an. 1562 die Mercurii post Festum SS. Trinitatis transactionem procurarunt. Anno 1564 die 1. Martii ratione alicuius census inter mox dictas communitates instrumentum erectum est. An. 1568 Coenobium hoc duas Moniales ad duo Monasteria Seraphica, videlicet Weldense et Günzburgense amandavit, ut ibi Regularem disciplinam ad meliorem promoverent statum; an. 1572 manum ad secundam Ecclesiae structuram applicuit, Reverendiss. D. Martino, Abbate Wibligensi, eidem initium faciente et largum subsidium conferente[3].

185. An. 1580 die 14. Sept. Monasterium hoc opera P. Henrici Sedulii, primi Ministri Prov. Tyrol. et Commissarii Apostolici, a Prov. Argentinensi ad Tyrolensem migravit, Christina Picklin Matre cum 16 Sororibus translationi subscribente, et homagium novo Superiori praestante. An. 1591 die 15. Martii inter Illustriss. D. Georgium Ludovicum de Freiberg, Baronem de Iustingen et Opfingen, nec non civitatem Ehinganam transactio, Monasterium Groggenthalense etiam concernens, cusa est. Rodolphus II. Imperator transactionem Ersingae 1600 die 17. Iulii initam, bonum tem-

---

[1] Relatio quaedam quatuor assignat.

[2] Vulgo *Rentmeister.*

[3] Hueb. in Chron. col. 953. etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. et Parthen. Ehing. Tertiar.

porale Coenobii etiam attinentem, sua auctoritate an. 1601 die 15. Oct. munivit. Maximilianus III. Archidux, Austriae anterioris Dominus, an. 1610 die 6. Martii literas in favorem Monialium, circa sua bona temporalia afflictarum, expedivit, et an. 1618 die 20. Oct. iuridicis poenis in partem adversam animadvertit. An. 1624 hic duo Fratres Coenobii Bernsteinensis, et 12 [1] Sorores Coenobiorum Rottenburgensis, Silchensis, Horbensis superioris ac inferioris, Eiting. et Munderkingensis, a P. Henrico Seyfrid, Ministro Provinciali actuali, vocatae convenerunt, et nova Statuta, ab eo compilata, receperunt. Parthenium istud mediante fato Ministro Christum Eucharisticum tamquam stabilem hospitem in tabernaculo Altaris an. 1629 adoravit, in Festo S. Ioan. Baptistae [2] formatae Clausurae, ob iniurias bellorum subin solutae, se submisit, et die 25. Iunii velum nigrum, Clausurae signum, retulit; an. 1634 a Ioanne Hafner, cive Ehingano, pratum via donationis accepit; an. 1640 cum civitate ratione contributionum convenit; an. 1642 Clarissas duas Monasterii Friburgensis, in Breviario et aliis Moniales instruentes, recepit; an. 1643 recitationi Breviarii in Choro initium fecit; an. 1645 Agatham Luz, Sororem virtuosam pro Monasterio Tertiariarum ad Agnellum reformando Friburgum dimisit; an. 1646 Clarissas Friburgenses ad domicilium Professionis abeuntes, et an. seq. Agatham Luz redeuntem perspexit; an. 1661 die 4. Iulii villam Ernsthof dictam a Parthenone Vindobonensi S. Iacobi Canonissarum S. Augustini via emtionis cum omnibus privilegiis attraxit. An. 1665 Monasterium ruinae vicinum in forma nova, P. Christiano ab Umhusio, Guardiano, primum lapidem ponente, surgere coepit. Sententia a Regimine Austriae anterioris an. 1668 Oeniponte lata, fundationem vini ac cerae, n. 183. tactam, in suo esse conservavit. Officium Constantiense an. 1669 die 12. August. decidit, quod illud privilegio piae causae fruatur, et parti adversae poenas in casu renitentiae minatum est. An. 1670 die 4. Iunii inter civitatem et Monasterium transactio circa aliquod debitum praetensum inita est [3].

186. An. 1684 structura novae Ecclesiae initium sumsit, lapide primo a P. Athanasio Lehner, Guardiano, in praesentia Illustris. D. Baronis Christophori Constantini Iacobi de Speidl, duorum eius filiorum ac aliorum Dominorum in fundum misso. Illustrissima Esmarina de Riz vidua, nata Zoller, an. 1686 die 26. Maii Salisburgi intuitu structurae Ecclesiae et Coenobii uti et aliarum necessitatum subsidium sat pingue subministravit. Reverendiss. D. Ioannes Wolfgangus a Bodmann, Ep. Dardaniensis Suffrag. Constant., an. 1687 die 4. Maii Ecclesiam cum tribus Aris s. liquo-

---

[1] De quolibet Parthenone duae Sorores aderant.

[2] Constat ex attestato, in Archivo Prov. reposito.

[3] Hueb. in Chron. col. 1311 et 1345. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 364. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 198. Monum. citata.

ribus perfudit, et consuetis Indulgentiis affecit, maiori Ara B. V. Immacul., S. Cruci et S. Petro de Alcant., minori una S. Anton. Patav., altera SS. Iosepho, Clarae, Elisabethae et B. Angelicae dedicatis. Excelsum Regimen Oenipontanum an. 1696 mandatum favorabile intuitu Monialium, in villa Ernstensi laesarum, exaravit, et an. 1700 die 13. Martii transactionem ratione eiusdem inter Illustriss. Comit. Ioannem Guidobaldum Schenck de Castell et Moniales stabilivit. Bavaro-Galli ex atrocissima clade, an. 1704 Höchstadii inflicta, residui in fuga illam rapinis, incendiis et aliis mediis ulti sunt. Tempestate hac villae Ernstensi iam impendente sese interposuit P. Capistranus Landold et eam a voraci hostis flamma praeservavit. Excelsum Regimen Austr. anterioris rescripto suo an. 1715 die 19. Febr. privilegia istius villae munivit. An. 1724 die 24. April. stricta Clausura restituta est. An. 1745 Roma licentia Pontificia cum consuetis Indulgentiis pro comprecatione 40 horarum, tribus ultimis diebus Bacchanaliorum in Ecclesia istius Asceterii instituenda, advenit et an. seq. ista in actum abiit. Excell. D. Baro de Romschwag, Commissionis Cancellarius, an. 1746 die 7. Oct. exemtionem villae Ernstensis a receptione militum ratam habuit. An. 1748 quatuor cellae extructae sunt[1].

187. Ecclesia, S. P. Francisco vi consecrationis oppignerata, anniversarium dedicationis Dominica V. post Pascha ritu solemni repetit. Ara maior modo B. V. M. Immacul. et S. P. Francisco sacra, quotidiano privilegio pro defunctis gaudet; esse suum in acceptis refert gloriosiss. Archistratego Caesareo Carolo Victori, Lotharingiae Duci, ob victoriam contra Turcas die 12. August. reportatam Aram in honorem S. Clarae exstruere decernenti, et hoc beneficium ad insinuationem A. R. P. Ministri Provincialis Parthenoni huic impendenti; ex 1000 florenis, quos submisit, Ara ista in moderna forma, S. Patrono priori retento et S. Clara in imagine expressa, surrexit, et simul aliis necessitatibus subventum est. E cornu Evangelii Altare S. Antonii Patavini, ab an. 1749 sedes Iesuli Pragensis, e cornu Epistolae Altare S. Iosephi conspicitur. Adsunt hic etiam Reliquiae SS. cum authentica, videlicet particula S. Crucis et terra imbuta sanguine Christi, particula alia S. Crucis in Choro exposita, Reliquiae S. Annae et S. Antonii Patavini; praetereo Reliquias SS. authenticis destitutas. In consecratione Altaribus Reliquiae S. S. M. M. Maximi, Faustini, Perfectae, Iusti, Illuminatae et Gratiani insertae fuerunt. Verbum Dei ab an. 1689 singulis mensibus et in quibusdam Festis a proprio Concionatore hic proponitur. Sepultura Monialium coram Altari summo fixa est. Via Crucis an. 1733 in Ecclesia, et an. seq in Claustro initium habuit. De cetero Monasterium 27 circiter Sorores incolunt, ex proventibus bonorum et censibus parce vitam protrahentes. Sigillum exhibet S. P. Francisc. s. Stigmatibus

---

[1] Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 199 etc. Monum. cit.

distinctum; in eius orbe leguntur haec verba: *Sig. Soror. Tert. Ord. S. Franc. Ehing.* [1].

§ 3.

Monasterium Horbense Tertiariarum ad S. Iosephum.

188. Ex antiqua traditione praetenditur, quod antequam tertius Ordo S. Francisci in his partibus plantatus fuerit, piae quaedam virgines Horbae convenerint, orationi sedulo vacantes, et nendo ac stamina digitis torquendo vitae suae consulentes. Istae, dicti Ordinis notitiam adeptae, illi sese devoverunt, et an. 1262, uti Chron. M. S. Prov. Argentinensis Conventualium adstruit, Monasteriolum condiderunt. Sane an. 1293, si non plura, certo unum Parthenium tertii Ordinis S. Francisci (medium vocatum), sicque inter superius Dominicanarum, (an. 1235 iuxta Catalog. Dioec. Constantinensis fundatum) et inferius medians, in statu absoluto perstitit, velut sequens instrumentum prodit: *In Nomine Domini Amen. Noverint universi praesentium inspectores, quod nos Henricus dictus in curia civis in Horbe, filius meus Frater Bertholdus, Canonicus in Madelberg, et filia mea Adelheidis mansum unum, situm in Volmaringen, septem maltra* [2] *siliginis, duo maltra avenae, centum ova et duas gallinas annuatim solventem Luitgardi Priorissae, et medio Conventui Sororum Poenitentium S. Francisci iuxta Neccarum in Horbe libere statuimus possidendum, cum idem Conventus filiam meam praedictam receperit propter Deum tali conditione adiecta, ut si notabiliter excesserit, aut temere a Conventu recesserit, nec nobis, nec quibuscunque haeredibus nostris de mansu praedicto et eius attinentiis repetito competat ullo modo. Acta sunt haec anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio in Conventu praedicto, duodecimo Kalendas Augusti, praesentibus et in testimonium evocatis: Fratre Bertholdo, Guardiano Fratrum Minorum in Tubingen; Fratre Bertholdo de Bosetor, Terminario ibidem; Domino Bertholdo, Plebano in Horbe; Walthero, Schulteto ibidem; Henrico, dicto Willice, Wernhero de Altheim et aliis fide dignis. In cuius rei testimonium praesentem paginam sigillo civium in Horbe procuravimus roborari.* Ex testibus appositis implicite deducitur, Monasterium hoc Provinciae Alemannicae seu Argent. FF. Min. (ad hanc Tubinganus Conv. tunc temporis pertinuit) paruisse. Horbensis civitas sese instrumento, Horbae an. 1321 die S. Gregorii expedito, ad exemtionem, a Rudolpho Comite Hohenbergico

---

[1] Chron. cit. p. 200. Monum. citata.

[2] Barbarismus hic depromtus est a verbo Germanico *Malter*, quod in meliori in Latinismo medimnus aut medimnum audit.

Parthenoni Horbensi collatam, tuendam obstrinxit. Exstat quoque epocha, a Crusio e membranula hausta, ita Latine sonans: *Ego Soror Ludgardis, pro tempore Priorissa Congregationis in Horwe ad Ecclesiam Sanctae Crucis, et nos Sorores omnes et singulae eiusdem Congregationis praesentibus fidem facimus, quotannis dari nobis tantum in numerata pecunia*[1]*, quantum unius medimni siliginis pretium est, ex legato Albrechti Wolpot piae mem. et agro Ernisii in Ergazzingen solvendum; eundem vero medimnum, servatis de iure servandis, nos fratri Wernhero avo, eiusque filiae in Killberg vendidisse. Actum proxima Feria quarta ante diem S. Ioannis solstitii tempore*[2] *anno post Christum natum MCCCXXV*[3].

189. Aliqualis distantia ab Ecclesia Parochiali et via, hiemali tempore sat ardua, Sororibus animum ad transferendum Monasterium indiderunt. Auxiliatricem manum ad hoc porrexit R. P. Ioannes Esellast, mercatoris Horbensis filius in Claustro Rottenburgensi Carmelita, qui habitationem suam, Ecclesiae Collegiatae appropinquantem, ex paterna haereditate ad Carmelitas devolutam, cum consensu Patris Prioris, Monasterii ac consanguineorum Monialibus, unice 135 florenos Rhenanos numerantibus, an. 1408 vendidit. Ista ad normam Monasterioli aptata, Moniales a priori Clausa[4] recesserunt, et in nova, nomen Congregationis seu Clausae mediae[5] retinentis, sedem fixerunt. Credibile est, quod Conventu Tubingano, e quo statis diebus servitia spiritualia accepit, an. 1446 per Observantes reformato, a Conventualibus ad istos devenerit. Tempore Lutheranismi fidem, coelesti Sponso adpromissam, probatam reddidit. Ferdinandus I. Archidux Oenipoute an. 1529 die 25. Februarii privilegia Sororum rata habuit. Capitulo Canonicorum Horbensium fundum quendam Monialibus an. 1549 divendente, Parthenium ad ampliorem figuram extensum fuit. Ferdinandus II., Archidux Austriae[6] Princeps Tyroleos, an. 1568 die 10. Decembris privilegia eiusdem confirmationis gratia condonavit. P. Henricus Sedulius, Minister Prov. et Commissarius Apost., an. 1580 die 1. Sept. Parthenonem Provinciae Tyrolensi adscripsit. De actu hoc ipsemet Pl. R. D. M. Marti-

---

[1] Ita explico instrumentum Germanicum, ista habens verba: das wir ein Malter Rocken Geltes.

[2] In instrum. Germ.: zu Sonnewend.

[3] Chron. M. S. Prov. Argent. Conventual. Suev. Eccles. p. 446 et seq. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 211. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Monast. Horbens. Tertiariar.

[4] Positive quidem habeo, quod in Hospitio moderno ad ursum habitarint Tertiariae Seraphicae, et credibilius apparet, quod incolae Monasterioli infimi exstiterint.

[5] Supra eam Clausa superior Dominicanarum, infra eam Clausa Inferior Tertiariarum steterunt.

[6] Filius dicti Caesaris, non confundendus cum Ferd. II. Caesare.

nus Mahler, Praepositus ad S. Crucem, Anna Kaltmayr una cum tribus Sororibus testimonium reliquerunt[1].

190. Sereniss. Maximilianus III. Archidux, Magister Ordinis Teutonici, an. 1606 die 19. Oct. et Leopoldus Archidux an. 1624 die 11. Ianuarii privilegia Claustri roborarunt. Bellum Suecicum statum temporalem ipsius maximopere depressit. Sororibus Inclusorii Eitingensis vita sublatis, eius bona unacum proventibus Clausis Horbensibus an. 1640 die 25. Aug. attributa sunt. Contractus inter Ecclesiam Collegiatam Horb. et Monasterium an. 1642 die 30. Iulii cusus, Clausam inferiorem Tertiariarum Capitulo Ecclesiae Collegiatae cessit, Monialibus vero Clausae mediae, quacum inferior unita, novam domum accersivit. An. 1643 die 17. Iunii Sorores Parthenonis Nordstetensis iisdem aggregatae fuerunt. Decretum V. Definitorii, an. 1644 die 28. Iunii latum, istis recessum inhibuit, et aliud, an. 1653 die 22. Sept. signatum, dedit, ut Confessarius Sororum confessiones in Monasterii loco debite parato excipere, et in Sacello aliquoties Missam dicere possit. Serenissimus Archidux Sigismundus Franciscus privilegiis Claustri Oeniponte 1665 die 21. Martii robur adiunxit. An. 1675 de Communione Paschali, S. Viatico et extrema Unctione, Sororibus a Franciscano Confessario suo subministrandis, conventum est. Rescriptum excelsi Regiminis ac Camerae Austriacae anter. exemtionem a telonio, qua Claustrum a 400 annis fruebatur, an. 1711 die 23. Iulii munivit. Augustiss. Caesar Carolus VI. vexam, Monialibus circa quaedam prata ex *Sanctione pragmatica* an. 1736 motam, sustulit. An. 1752 inter Sereniss. Principem Sigmaringano-Zolleranum et Monasterium conventio ratione decimarum facta est[2].

191. Ecclesia S. Iosepho devota, a Reverendiss. D. Conrado Geist[3], Ep. Tricalensi, Suffrag. Constant., an. 1709[4] die 29. Oct. dedicata, anniversarium huius favoris Dominica infra Octav. S. P. Francisci colit. Ara summa ipsius S. Iosephi quotidiano privilegio pro defunctis potitur. E cornu Epistolae Ara S. Margaritae de Cortona exstat; in inferiori parte eiusdem Chorus conspicitur, in quo *Cursus Marianus* et alia pietatis Religiosae exercitia peraguntur. Sorores in s Tribunali Franciscanis utuntur, in eorum Ecclesia coram Ara B. V. Mariae conduntur, et ambulacro in Ecclesiam Collegiatam fruuntur; de cetero numerantur hic 18 circiter, nonnisi ex suis bonis ac proventibus sustentatae. Sigillum exhibet S. Iosephum hac cum inscriptione: *Sigillum Ord. S. Franc. Monialium Horbensium*[5].

---

[1] Hueb. in Chron. col. 1311, 1344 et seq. Suev. Eccles. cit. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 212. Monum. citata.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Monast. Horb. Tertiariarum.

[3] Neutiquam: Gaiss.

[4] Nullo modo: 1715.

[5] Cont. Orb. Seraph. cit Chron. parv. Tyrol. Francisc. 212. Monum. citata.

§ 4.

Monasterium Oglspirense Tertiariarum ad S. Elisabetham.

192. Oglspira seu *Oglspirium*, vulgo *Oglspeir*, *Oberspeir*, pagus Sueviae in re temporali Collegio Ducali Buchaviensi, in spirituali Episcopo Constantiensi adscriptus, 3 horis Ehinga et ultra duas Warthusio elongatus, Ecclesiam Parochialem S. Ioannis Baptistae, nec non Parthenium Seraphicum tertiae Regulae S. Francisci addictum, concludit. Viam ad hanc stravit piissimus Romipeta, alumnus tertii Ordinis S. P. Francisci, qui anno Iubilari 1350 Roma redux Oglspiram attingens, tabulam varias Indulgentias, a 13 Episcopis pro diversis Festis Ecclesiae istis datas, complexam invenit, ac Eremitoriolo cum hortulo in colle prope Ecclesiam exstructo ac puteo parato, meritis plenus vivere desiit, prope Ecclesiam Parochialem terrae mandatus. Post haec par coniugum casam istam inhabitare, et virtuti strenuam operam navare coepit. Marito defuncto vidua, normam hanc vivendi prosecuta, aliam feminam ad societatem pellexit. D. Ludovicus de Hornstein status Equestris[1], Praetor Sueviae, suavi odore virtutum istarum excitatus, eisdem, acquisito consensu Alberti III.[2] cum Trica, et Leopoldi III.[3] Probi, Austriae Ducum, ac Henrici III. de Brandis, Episc. Constant., fundum prope Ecclesiam Parochialem, a gratiosis. D. Anna de Gundlfinga, inclyti Collegii Buchav. Abbatissa, concessum an. 1378 attribuit. Post haec die 13. April. Fer. IV. post Dominicam Resurrectionis primus lapis pro Monasteriolo terrae in praesentia dicti Ludovici, uxoris ac filii, Abbatissae Buchav., D. Eitelii[4] Comitis de Stadion, Clarae uxoris, Conradi filii, D. Udalrici de Königseck, Parochi et aliarum Personarum insignium infixus, et structura in humili forma intra breve temporis spatium absoluta, Inclusorium hoc Minoritis Conventus Ulmensis (sicque Provinciae Argentinensi seu Alemannicae) oblatum, et instrumentum fundationis an. 1378 die 12. August. confectum est. Altero die Fr. Ioannes Stainlin, Magister seu Director tert. Ord. S. Francirci[5], una cum socio nec non tribus Tertiariis, videlicet Anna Thannhauser, Elisabetha Zunder et Adelhaide Kayb ex Parthenio Ulmensi Oglspirium perrexit, istas in Festo B. V. Assumtae Coenobiolo intulit, duas feminas, priori tempore hic

---

[1] Neutiquam *auratus*, aut *aurei velleris*; nam hic Ordo primum 1430 ortum habuit.

[2] Qua Dux Austriae.

[3] In calculo Ducum Austriae ex domo Habsburgica.

[4] Compilator Protocolli Parthen. Oglspir. eum Eleutherium vocat; at *to Eitel* pluribus Dominis, praesertim Zolleranis, olim attributum est.

[5] Neutiquam fuit Guardianus, ut ex cit. Protocollo constat.

locatas, veste Seraphicae Regulae donavit, et Sor. Annam Thannhauser in Praefectam omnium instituit. En instrumentum fundationis, ad idioma Latinum transmutatum [1]!

In nomine Domini. Amen. Ego Ludovicus de Hornstein, Eques horum temporum, Toparcha in Suevia Illustrissimorum Serenissimorum Principum Ducis Albrechti et Ducis Luipoldi [2], Ducis Austriae, Styriae, Carinthiae et Carnioliae, Comitis Tyroleos etc. Ego Agnes Domina de Schellenberg, contoralis eiusdem, et Ego Ludovicus de Hornstein iunior, utriusque filius, has literas consensu unanimi Nobis, Nostrisque haeredibus et posteris transcribimus, atque omnibus et singulis has inspecturis, lecturis vel legi audituris, sive nunc sive futuris temporibus, palam facimus, Nos consulto fundasse, ordinasse et absolvisse structuram et Claustrum in colle Ecclesiae Oglspirae Dioecesis Constantiensis; atque haec ita disposuimus in laudem et honorem Omnipotentis Dei et Sanctissimae Reginae, Eiusdem Matris Mariae, nec non in testimonium devotionis Nostrae et cultus S. Ioannis Bapt. et S. Ioan. Evang. et Sanctorum 12 Apostolorum et omnium Sanctorum, et S. Mariae Magdalenae et omnium Sanctarum Dei Ancillarum et Virginum, et omnium Sanctorum Martyrum, omnia etiam ad antecessorum Nostrorum, Nostram et prolium Nostrarum salutem et prosperitatem.

Ego supradictus Ludovicus de Hornstein, Eques, et Ego Agnes Domina de Schellenberg contoralis, et Ego Ludovicus de Hornstein, utriusque filius, insuper praesentibus uno ore adtestamur, atque pro Nobis, omnibus Nostris haeredibus et posteris haec addimus, Nos, Nostrosque haeredes et successores praememoratum Claustrum Oglspirae in colle Ecclesiae, omnesque Religiosas, ibi habitantes vel deinceps habitaturas, exemtas declarare, ita, ut neque Nobis, neque Nostrorum haeredum ulli, neque successoribus ullum amplius tributum aut servitutem debeant, neque iisdem, neque aliis Nostri causa ullo modo aut titulo ad rem quamcunque obligentur. Praeterea sancte promittimus, Nostrum et Nostrorum haeredum ac posterorum nomine, saepius dicto Claustro ac Religiosis feminis, nunc ibidem exsistentibus et in posterum exstituris, opem Nostram, patrocinium et auxilium, quousque se vires Nostrae extendunt, et posthac extendere poterunt. Neque Nobis ipsis, qui tamen iure advocatiae in idem Claustrum potimur, quidquam alterius iuris reservamus, eam solum ob causam, ut Religiosa domus isthaec atque eiusdem inquilinae, sive praesentes sive futurae, ab omni vexa liberae sint et immunes,

---

[1] Suev. Eccles. p. 649. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 201 etc. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. ac Parthen. Oglspirensis Tertiariarum.

[2] In moderno Latinismo: Alberti et Leopoldi.

neque ullus alius ius illud advocatiae et iurisdictionis sibi arrogare praesumat, exceptis Nostris gratiosis Dominis, Illustrissimis Serenissimis Principibus, Duce Albrechto et Duce Luipoldo, Duce Austriae, Styriae, Carinthiae et Carnioliae, Comite Tyroleos, queis liberum sit, has literas Nostras gratiose confirmare, vel, prout visum fuerit, non confirmatas relinquere.

In horum omnium fidem et robur appendimus Ego Ludovicus de Hornstein Eques, et Egò Domina Agnes, contoralis eiusdem, et Ego Ludovicus de Hornstein iunior, utriusque filius, sigillum Nostrum hisce literis, quas dedimus proxima die Veneris, Festum in coelos Assumtae Virginis antecedente, anno post Christum natum millesimo, trecentesimo septuagesimo octavo.

193. Leopoldus III., Austriae Dux, Schafhusiae an. 1378 Fer. IV. post Festum S. Thomae, et Albertus III., Austriae Dux, Vindobonae an. 1379 die 23. Ianuarii piam hanc voluntatem ratam habuere. Nobilis Eques Eitelius de Stadion, ac Clara Archidapifera, uxor eius, an. 1380 die 2. Nov. villam Riedensem Sororibus transcripserunt. Rudolphus Beckh iisdem [1] duo iugera agrorum, ac quandam domum in extremitate positam, Sororibus non clausis servituram, consignans, Monasteriolum in ampliori forma suis expensis exstruxit. Leopoldus IV., cognomento Ambitiosus aut Pinguis, indictione 12. (sicque, insistendo indictioni Romanae, an. 1399) privilegia eius confirmavit. An. 1403 fundatio Capellani, ad certa servitia spiritualia adstricti, ingressum habuit, an. 1486 24. Sept. a Domino Marquardo de Randeck, Episc. Constant., approbata. Fridericus cum vacua Pera, Dux Austriae et anterioris Austriae Dominus, privilegia Coenobii an. 1407 munivit. Istud an. 1408 villam in Ruepertshoven [2] coemit, 1419 a Reverendiss. D. Agnete de Tengen, Abbatissa Buchaviensi, fundum, cui an. seq. horreum et hortus instrata, dono accepit; an. 1434 ac 1436 Donariedae [3] villam sui iuris fecit; diploma privilegia firmans, a Friderico, Duce Austriae [4], Administratore Austriae anterioris, loco Sigismundi Ducis 1439 exaratum, et aliud ab Alberto VI., Austriae Duce, Austriae anterioris Administratore, 1446 in Festo Ascensionis Domini datum, retulit, novis Statutis maioris rigoris, a Guardiano Ulmensi, Visitatore suo (priora ab extraneo congesta rescindente) factis, an. 1457 se submisit. Reverendiss. Alexander de Saxoferrato, Generalis Ord. Eremitarum S. Augustini, attenta charitate, a So-

[1] Benefactor iste an. 1390 die 30. Decemb. vita excidit.

[2] Pagus hic, in Praefectura Oglspir. situs, Oglspirio 3 quadrante abest.

[3] Donarieda, vulgo Donaurieden, pagus Danubio accubans, inter Dischingam et Erpachium quiescit.

[4] Subin creatus est Caesar sub nomine Friderici III., cognomento Placidi seu Pacifici.

roribus in structura Monast. Utenvilerani suis Fratribus impensa, easdem Suffragiorum Ordinis participes Tolentini an. 1459 die 17. Martii in Comitiis Generalibus reddidit. An. 1460 duae earum Munderkingam migrarunt, ibique novae Clausae initia dantes. Ex 8 Cardinalibus, Germaniae Principes ad bellum contra Turcas animantibus, quilibet an. 1461 die 7. Ian. centum dierum Indulgentias pro certis Festis Ecclesiae Parochiali Oglspirensi impertitus est. Fridericus III. Caesar, cognomento Placidus, an. 1464 privilegia Sororum firmavit, et R. D. Conradus Köllin, Parochus Oglspir., iisdem 100 florenos pro anniversario addixit. Burchardus II. de Randeck[1], Episc. Constant., Beneficium sub titulo B. V. M. ad Hussum[2] a Monialibus fundatum, an. 1468 die 1. Decemb. ratum habuit. An. 1472 P. Henricus Karrer[3], Minister Prov. Argent. Conventualium, visitationem apud easdem instituit, ac nova Statuta congessit[4].

194. Parthenium Oglspirense verisimilius an. 1484, quo Conventus Ulmensis a Conventualibus ad Observantes transiit, Prov. Argent. de Observantia adscriptum est; an. 1488 diploma privilegia confirmans, a Sigismundo, Archid. Austr. ac Tyroleos Principe, Fer. V. ante Dominicam *Quasi modo geniti* Oenipont. exaratum, grato osculo excepit; an. 1489 P. Ioannem Altpart, Vicarium Provincialem fatae Prov., ceu Visitatorem, Statuta quaedam relinquentem, suspexit; an. 1495 villam in Willenhofen[5] coemit; an. 1497 diploma Maximiliani I. Caesaris, privilegia roborans, et 1498 decretum, a P. Ioanne de Lindenfels (Vicario Provinciali) Lenzfridae datum, Statuta P. Ioannis Altpart firmans, et aliqua, ab aliis auctoritate debita destitutis, praescripta irritans, retulit. In Comitiis Imperialibus Wormatiae contra Lutherum habitis, Carolus V. Imperator gratias Coenobii an. 1521 stabilivit. Rustici, Lutheri falsa doctrina seducti, an. 1531 gravibus vexis Sorores afflixerunt, subsidia pro bello intento petentes, palo ianuam Claustri obserantes, et omnem aditum et exitum arcentes, elapsis quatuor septimanis, Deo preces Misellarum exaudiente, palum amoverunt, et a sua vexa cessarunt. An. 1555 ratione villae Donariedensis, an. 1559, 1564 ac 1568 ratione villae Willenhofensis transactiones cusae sunt. Franciscanis e Conventu Ulmensi an. 1569 pulsis, Sorores visitatione ordinaria ad tempus caruerunt. Rudolphus II. Caesar an. 1575, Ferdinandus II.[6], Archidux Austriae ac Princeps anterioris Austriae, an. 1576 auctoritatem suam privilegiis adiunxerunt[7].

---

[1] An. 1468 huic correspondet; patet ex serie Ep. Const. novissima.

[2] Nomini huic ansam dedit haereticus Hussita, imaginem istam laedens.

[3] Ex hoc constat, Monast. tunc temporis adhuc Conventualibus substratum fuisse.

[4] Monum. Monast. Oglspir. Tertiariarum, ac Prov. Tyrol. Francisc. Chron. cit. p. 205.

[5] Locus hic Oglspirio media hora distat.

[6] Non confundatur cum Ferdinando II. Caesare, qua Archiduce III.

[7] Monum. citata.

195. Provincia Tyrol. Franciscanorum an. 1580 nata, Parthenium hoc eodem an. die 12. Sept. opera P. Henrici Sedulii sibi asseruit, Maria Kesslin Matre, 14 Sororibus subditis ac R. D. Georgio Deidel, Parocho, actui huic subscribentibus. An. 1597 ratione villae Willenhofensis[1] transactio inita est. Maximilianus III., Archidux Austriae, an. 1600, Mathias Imperator 1612 Claustri privilegia confirmarunt; an. 1615[2] die 17. Nov. istud flammis in praedam cessit, et successu temporis ex aere partim proprio partim emendicato, in nova forma aedificatum fuit. Nobilis Patritius Wilhelmus de Stauffenberg pro lumine perpetuo an. 1618 fundationem confecit. Archidux Leopoldus, an. 1619 favores Parthenii muniens, an. 1620 centum thaleros pro nova eius structura assignavit. An. 1629 votum conditionatum pro Clausura intium sortitum est. Per instrumentum, an. 1621 erectum, quarta pars villae Donariedensis, ad Ioannem Buecher spectans, Claustro accessit. Mars Germano-Suecicus patientiam et alias virtutes Sororum strenue exercuit; quippe eo furente s. supellex cum aliis rebus Biberacum ad Catholicos transvecta, Clausa modo a milite modo a cive Biberacensi, Luthero addicto, expilata, a peste, fame et variis exactionibus divexata, et ad subsidia in aliis regionibus emendicanda, adacta fuit. Sorores modo in silvis, modo sub tecto, modo alibi delituerunt, a Deo ita protectae, ut inter tot pericula nulla violata, tantum duae vulnere aliquo affectae fuerint, et ad tempus binas Moniales Monasterii Warthusiani, a Suecis an. 1633 spoliati, receperint. Motus pro Monasterio hoc cum Ehingano aut Munderkingano coniungendo an. 1644 ferventes, effectu caruerunt. Excelsum Regimen Austriae anterioris litem inter Illustriss. Dominum Iacobum de Stein et Sorores, ratione collectationis motam, in favorem istarum an. 1646 die 16. Martii decidit. Serenissimus Archidux Ferdinandus Carolus an. 1648 die 1. Febr. privilegia Coenobii stabilivit. Gustavus Wrangelius, Suecicus bellidux, an. cit. die 19. Maii protectionem Coronae Suecicae eidem indulsit[3].

196. Excels. Regimen Aust. anterioris sententiam, an. 1646 latam, rescripto novo an. 1653 die 23. Sept. firmavit, et hoc ipsum Sereniss. Archidux Ferdinandus Carolus an. 1657 die 19. Sept. ratum habuit. Augustiss. Imperator Leopoldus an. 1693 die 14. August. confirmationis gratiam privilegiis Claustri impendit. An. 1711 manus prima et 1714 ultima pro Coenobio partim reparando, partim noviter exstruendo applicata est. Moniales an. 1712 cum Ducali Collegio Buchav. ratione alicuius villae, et an. 1713 ratione fundi permutati, an. 1719 cum Parocho Oglspir. ratione SS. Sa-

---

[1] Villa ista an. 1656 per viam venditionis dimissa fuit.

[2] Iuxta Protocoll. Oglspirense; unde an. 1616, a quodam assignatus, attendi non debet.

[3] Hueb. in Chron. col. 1311, ac 1344 etc. Suev. Eccles. p. 651. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365. Chron. cit. p. 204. Monum. citata.

cramenti, s. Olei ac sepulturae compositionem inierunt, et mox dicto an. a Consistorio Constantiensi favorabilem sententiam ratione decimarum, ex foeno praetensarum, obtinuerunt. Praefectura Provincialis Altorfensis litem, ex praedio aliquo ortam, in favorem Claustri an. 1748 terminavit. An. 1753 pars Monasterii renovata et ad aliam formam redacta fuit [1].

197. Parthenium in Ecclesia Parochiali Chorum, Ara portatili instructum, frequentans, in eodem *Cursum Marianum* in lingua Germanica recitat, ac meditationi et aliis exercitiis pietatis incumbit; in eadem Ara, S. Elisabethae Thuringiae sacra, statuam Marianam, ab Hussita vulneratam, colit; gaudet insuper de Reliquiis S. Crucis, S. Iosephi et S. P. Francisci; in foro s. tum ordinario tum extraordinario a pluribus annis Franciscano sacerdote, e Conventu Ehingano accurrente, utitur. Capellaniae duae, ab eodem fundatae, successu temporis iniuriosi in unam coaluerunt. Via Crucis in Claustro ab an. 1737 viget. Sepultura Sororum in coemeterio Parochiali exstat. De cetero Monasterium, a 22 circiter Vestalibus inhabitatum, ex bonis ac censibus sustentatur. In sigillo suo reveretur S. Elisabetham, adiunctis his verbis: *Sigillum Ord. S. Franc. Monialium Oglspeir* [2].

§ 5.

Monasterium Warthusianum Tertiariarum ad S. Mariam Angelorum.

198. Warthusium, vulgo *Warthausen,* pagus Sueviae, 2 mill. Germ. Ehinga, et tribus horae quadrantibus Biberaco remotus, in Dioecesi Constantiensi, et Dominio Austriaco positus, in superiorem et inferiorem secatur. Iuxta istum caput effert arx elegantissima; in illo vero Ecclesia Parochialis S. Ioan. Evang., Seraphicumque Parthenium consident. Istius haec origo. Mater quaedam unacum duabus filiabus Biberaco, earum patria, Warthusium perveniens, isthic exigua villa coemta, supra fundum eius domunculam seu Clausam ex ligno et limo exstruxit, in qua hoc trinum textrina et aliis manuum laboribus vitae suae consuluit. Albertus III. cum Trica [3], Austriae Dux, an. 1380 in Festo S. Galli structuram istam sequenti rescripto approbavit [4]:

---

[1] Suev. Eccles. Cont. Orb. Seraph. Chron. cit., et Monum. citata.

[2] Suev. Eccles. p. 651. Chron. cit. p. 205. Monum. citata.

[3] Isti quadrat tempus Bullae,

[4] Mappa Suevici Circuli. Suev. Eccles. p. 858. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 206. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Parthen. Warthus. Tertiararum.

Nos Albertus, Dei gratia Dux Austriae, Carinthiae et Carnioliae, Comes Tyroleos etc. praesentibus denuntiamus, Claustrum, in quo honestae et religiosae feminae Deo serviant, Warthusii nuper extructum et aedificatum esse annuentibus Nobis et consentientibus, volentibus tamen, ut et Parochi loci consensus accedat. In quorum fidem has dedimus Ehingae die S. Galli an. Domini 1380.

199. Parochi duo Warthusii an. 1392 Sabb. ante Dominicam *Laetare* licentiam ambulacrum ab inclusorio ad Ecclesiam exstruendi subministrarunt. Vi instrumenti, an. 1494 Fer. VI. post Festum S. Margarethae exarati, pro Sororibus clausis, prius stationem suam in Choro supra sacristiam habentibus, aditus ex Monasteriolo ad podium templi, in quo Sorores anteforales seu non clausae statione sua fruebantur, alienis exspensis extructus fuit, conservatione eius Parthenoni relicta. An. 1507 ratione confessionum a Parocho excipiendarum conventum. Ferdinandus I., Rom. Rex, attenta pauperie Sororum Augustae an. 1550 die 20. Aug. iis indulsit, ut pecora aliqua ad communia pascua emittere possint, et qua Imperator Oeniponte an. 1563 die 27. Martii favorem hunc cum aliqua extensione firmavit. De cetero Monasterium verisimilius Provinciae Argent. FF. Minorum, dein Conventualium subiectum, successu temporis Prov. Arg. de Observantia, et an. 1580 die 13. Sept. Tyrolensi, cui Elisabetha Maerlin cum 9 Sororibus sese devovit, obvenit[1].

200. Sorores an. 1629 a P. Henrico Seyfrid, Ministro Provinciali, nigrum velum recipientes, in Clausuram suffragia tulerunt. Saeviente bello Suecico Clausura rupta, Parthenium expilatum, deturpatum, Moniales in fugam et summam paupertatem actae, ac duae seniores sex gravibus vulneribus (ex quibus una obiit) affectae sunt. Quibusdam ex hostibus Monialium iuniorum abductionem machinantibus, duo cives Biberacenses, etsi Lutherani, divinitus moti, ex moenibus nocturno tempore sese per funes demiserunt, et periculum sponsis Christi insinuarunt. Istae, hoc percepto, noctu sese itineri committentes, in villam, Interkingae[2] sitam, Monasterio appropriatam, gressus suos direxerunt, in ea per triduum delitescentes. Subin fugitivae Sorores Munderkingae, Ueberlingae, Biberaci, Waldseae, Reuttae prope Waldseam ac alibi ad tempus se detinuerunt, in numero ita decrescentes, ut ex quindecim ultimate tantum duae remanserint; tempestate sedata redierunt, ac ex eleemosynis, diversis in locis collectis, Monasterium repararunt. Conatus pro Claustro hoc cum Munderkingano uniendo an. 1644 facti, an. 1650 cessarunt. Ecclesia Parochiali a Gallo-Suecis an.

[1] Hueb. in Chron. col. 1311 et 1344 et Suev. Eccles. cit. Cont. Ord. Seraph. cit. Chron. cit. p. 207. Monum. cit.

[2] Pagus hic duabus horis Ehinga, ac tot Warthusio abest.

1647 combusta, an. 1651 prima manus novae admota est; Sorores strenuo labore manuum suarum ad eam concurrentes, copiam campanam pro suis Officiis divinis in eadem appendendi acquisiverunt[1].

201. P. Ieremias Rait Franciscanus una cum socio Parthenium et Parochialem Ecclesiam secunda vice ab expilatione, et Parochum cum Capellano a morte an. 1704 conservavit. Monasterio antiquo ruinam minitante, novum in elegantissima et ordinatissima forma exstructum est, opere an. 1709 in April. sub directione P. Gregorii Carneider, Guardiani Conventus Ehingani, inchoato et an. 1710 ad colophonem deducto. An. 1718 primum Sacrum in Capella infirmariae litatum est. Moniales Chorum, in Ecclesia Parochiali situm, frequentant, recitantes in eo *Cursum Marianum*, aliisque Religiosis exercitiis vacantes. Exstat in eo Ara S. Mariae Angelorum, Indulgentiam Portiunculanam pro S. P. Francisco obtinentis, quotidie privilegiata, a Reverendissimo Ioanne Wolfgango a Bodmann, Episcopo Dardaniensi, Suffrag. Constant., an. 1687 die 25. Aprilis in honorem SS. Francisci, Bonaventurae, Petri de Alcantara consecrata, et Reliquiis SS. Martyrum Maximi, Perfectae, Radigundae, Benignae, Innocentii, Clementis, Mauritii ac multis incognitorum particulis condonata. Sepultura Sororum infra Chorum ad ingressum Templi Parochialis versus Altare summum invenitur. Arbiter conscientiae ordinarius et extraordinarius Franciscanus Conventus Ehingani est. Via Crucis, partim in Monasterio partim in Oratorio plantata, an. 1733 initium sumsit. Vivunt hic 21[2] circiter Sorores, ex suis bonis ac proventibus parce victitantes. Sigillum parvum exhibet S. P. Franciscum, S. Stigmata recipientem, unacum hac inscriptione: *C. W. H.;* maius et antiquius literam maiorem † cum his verbis exprimit: *S. der Claus. Oberwarthausen*[3].

§ 6.

Monasterium Rottenburgense Tertiariarum ad S. Annam.

202. Rottenburgum, Germ. *Rottenburg*, nec non, ut differat ab aliis civitatibus, hoc nomine insignitis, *Rottenburg am Neckar*, celebris civitas Sueviae[4] in Austria anteriore, Comitatu Hohenbergensi ac Dioecesi Constantiensi stationem suam fixit. Distat milliari Germanico Tubinga, et duobus ac amplius Horba. Secatur a fluvio Nicaro in duas partes, quarum una, occidentali ripae assidens, Rottenburgum nuncupatur, altera vero Ehinga

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franc. et Parthenonis Warthus. Tertiariarum.
[2] Neutiquam 24.
[3] Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 206 etc. Monum. citata.
[4] Qua Regionis, neutiquam vero qua Circuli.

ad Nicarum[1] audit. In fundo eius aut saltem prope eum olim sedem habuit civitas celebris, a Germanis *Landfurt an der Alb*, aut *Landhort* et *Landskron* nuncupata; loco huius, terraemotibus et aquis subversae, successu temporis civitas alia, Rottenburgum dicta, an. 1271, al. 1280[2] studio Comitum Hohenbergensium surrexit, an. 1357 ab Eberhardo, Würtembergico Duce, occupata, paulo post ad suum Dominum rediit, et quibusdam civitatibus Imperialibus an. 1410 oppignerata, iterum redemta fuit. Sereniss. Alberto VI., Austriae Duci, ac Mechtildi, Comitissae Palatinae, eius uxori, ad tempus pro Residentia inserviit. An. 1633 militi Sueco-Würtembergico, an. 1643 militi Gallo-Vinariensi cessit. An. 1644 et 1735 ab igne momentosum damnum sustinuit. In edito urbis Rottenburgensis colle eminet castrum a murorum crassitudine aeternitati structum, Provinciali Praefecto Austriaco, vulgo *Landvogt*, sedem suppeditans. Utraque civitas distincto dirigitur Magistratu. Rottenburgi visitantur Ecclesiae S. Martini Parochialis, S. Iosephi olim Iesuitarum, SS. Trinitatis Carmelitarum, et S. Catharinae in Hospitali; extra civitatem vero B. Matris Dolorosae in Weckenthal, S. Crucis ante portam Silchensem, S. Theodorici ante eandem, et S. Georgii ante portam Kalchweilerensem. Ehingae ad Nicarum Ecclesia S. Mauritii Collegiata; extra civitatem Ecclesiae B. V. Assumt. Capuccinorum, S. Remigii, Monialium Parthenio adiacens, S. Iodoci et S. Ioannis Bapt. ante portam Küebingensem visuntur[3].

203. Tertiariae Seraphicae, si non priori tempore, certe in saeculo XIV. Nicaro-Ehingae iuxta Ecclesiam superiorem S. Remigii, olim Parochialem, Monasteriolum seu Clausam adeptae sunt. Sane hoc ipsissimo anno Rudolphus, ultimus Comes Hohenbergicus, civitate an. 1385 attestante et approbante, easdem consuetis affecit privilegiis ac exemtionibus. Clausa ista, ne confundatur cum aliis Clausis Rottenburgi erectis, superior vocata ab initio Provinciae Alemannicae seu Argentinensi FF. Min. absolute talium, exin Conventualium paruit, et subinde, credibilius tempore Observantiae in Conv. Tubingensi plantatae Prov. Argent. de Observantia inserta fuit. Privilegia eiusdem Maximilianus I., Rom. Rex, an. 1498, Ferdinandus I., Rex Hungariae et Bohemiae, an. 1529, Ferdinandus II. Archidux, Tyroleos Princeps, an. 1568 confirmarunt. P. Leonardus Graff, Minister Prov. Argent. de Observ., suam quoque auctoritatem his privilegiis an. 1569 die 25. Augusti apposuit. Anno 1577 Parthenoni huic praeerat Elisabetha Distl,

---

[1] Ut differat ab Ehinga ad Danubium.

[2] Ita placet pluribus; quidam an. 1171 assignant.

[3] Lex. Uhseni, Hübneri ac Basileense. Chron. Prov. Tyrol. Franc. p. 213 etc. Zeiller in Chron. parv. Suev. p. 356 etc., 624 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Monum. Prov. Tyrol. Franc. et Parthen. Rottenburg. Tertiariarum, et alii.

nonagenaria. Praesento instrumentum, favorem Comitis Rudolphi complectens ac in linguam Latinam transmutatum [1].

Nos Schultetus, Iudices, Magistratus et Cives universim, divites et pauperes, civitatis Rottenburgi declaramus his literis ac manifestum facimus omnibus, postquam Nobilis et Illustris Comes Rudolphus ab Hochenberg, optimus noster ac gratiosus Dominus, honestas ac religiosas Dominas [2], Priorissam et Conventus Sorores, vulgo ad Clausam superioris Ecclesiae, omnemque earum posteritatem gratiis et privilegiis affecit, in perpetuum valituris, uti ipsae literae authenticae perhibent ab eodem gratioso Domino nostro de Hochenberg datae, nos quoque easdem gratias et privilegia, quae nobis volentibus et consentientibus a modo dicto gratioso Domino nostro collata fuerunt, modis omnibus rata ac firmata habere, sicut praesentibus hisce rata ac firmata habemus, ac pro in perpetuum valituris agnoscimus, volentes etiam, ne praefata Clausa aut Sorores eiusdem praesentes et futurae incommodum quoddam aut vexam patiantur, quo minus dictis privilegiis et gratiis libere et quiete uti ac frui possent; appromittimus autem auxilium nostrum et tutelam, omnem vim et iniustam invasionem a Sororibus et earum posteritate gnaviter et fideliter avertere parati. In horum fidem et confirmationem, atque in testimonium veritatis has literas damus, sigillo Civitatis Rottenburgi, communi omnium consilio et ob factas nobis preces appenso munitas, die Martis post Festum Paschae, anno a Nativitate Christi millesimo, trecentesimo, octogesimo primo.

204. An. 1580 die 7. Sept. Parthenium hoc a Prov. Argent. avulsum, et Tyrolensi annexum est, Domina Matre Wendlstein cum 10 Sororibus P. Henricum Sedulium, Ministrum Provincialem, ceu suum Superiorem reverentibus, et unacum R. Domino Zacharia Figel, Capellano ac earum Confessario, de actu hoc testimonium ferentibus. D. Ioannes Georgius Halmair, Schultetus Rottenburgensis, an. 1583 domum suam, Rottenburgi sitam, Monialibus Pfullinganis [3], et an. 1585 Rottenburgensibus una cum vinea ac praedio feudali [4] ob pecuniam, mutuo datam, per modum hypothecae transcripsit. Rudolphus II. Imperator an. 1597 privilegia istarum firmavit. Excelsum Regimen Oenipont. Hohenbergensi Dicasterio an. 1607

---

[1] Crus. parte 2. l. 6. c. 5. Suev. Eccles. p. 303. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. p. 215. Monum. citata.

[2] Ita explicandus venit terminus Germ.: Frauen.

[3] Parthenium hoc, a Clarissis olim inhabitatum, in Provincia Argentin. Franciscan. pluribus exhibetur.

[4] In Instrumento Germ. *Vor Lehen* vocatur.

iniunxit, ut Moniales Rottenburgenses pro assequendo debito, a dicto Schulteto contracto, adiuvet. Sereniss. Maximilianus Archidux, Austriae anterioris Dominus, venditionem vineae et praedii feudalis iisdem ex tacto debito accrescentium, an. 1609 die 23. Decemb. ratam habuit. Lues an. 1611 octo Sorores falci mortis supposuit. Sereniss. Leopoldus, Archidux Austriae, an. 1624 privilegia ipsarum firma reddidit. D. Ioannes Ernestus Halmair, alimentarius Hospitalis Rottenburgensis, eisdem quandam piscinam Nidernaviae, et libros suos an. 1635 die 18. Septemb. legavit. Sereniss. Claudia, Austriae anterioris Gubernatrix, privilegia Parthenonis an. 1640 confirmavit, et per rescriptum Excelsi Regiminis Oenipont. die 31. declaravit, tantum bona immobilia eidem ex primaeva fundatione appropriata, exemta esse. Rescriptum aliud anno 1642 die 1. Martii inhibuit, ne Sorores menstruis contributionibus pro milite graventur. An. 1643 die 11. Iulii Clausa Silchensis Rottenburgensi affixa fuit. An. eodem ista cum civitate Rottenburgensi, et an. 1649 cum pago Küebinga ratione contributionum transegit. An. 1656 silvam Dettingensem coemit. Sereniss. Archidux Ferdinandus Carolus Parthenium a visitatione et obsignatione vini an. 1660 die 7. Aug. exemit[1].

205. Sereniss. Archidux Sigismundus Franciscus an. 1663 die 12. Nov. privilegia Claustri confirmationis favore excepit. Istud an. 1713 diploma, privilegia roborans, die 24. Iulii ab Augustiss. Carolo VI. Caesare datum, an. 1719 sepulturam in Ecclesia S. Remigii, Monasterio contigua, retulit. Lis ex praescriptione Monasterio circa silvam Dettingensem in colligendis glandibus mota, in favorem eiusdem an. 1747 evicta est. De cetero Moniales suum *Pensum Marianum* et alia exercitia Religiosa in Oratorio, in Ecclesia S. Remigii erecto, ubi etiam Ara portatilis S. Annae exstat, persolvunt. In foro conscientiae utuntur P. R. D. Praeposito Ecclesiae Collegiatae S. Mauritii, et Franciscano, Conventus Horbensis incola. Viam Crucis ab an. 1733 visitant. Sepultura in Ecclesia S. Remigii fruuntur, regulariter in numero attingunt decimum sextum, ac ex suis bonis et censibus sustentantur. Sigillum Coenobii, colli instrati, exhibet S. Annam una cum hac inscriptione: *Sig. der Schwestern in der Clause Rottenburg*[2].

§ 7.

Monasterium Waldseense Tertiariarum ad B. Virginem Lauretanam.

206. Auctor Suev. Eccles. asseverat, quod ter geminae sorores ex eodem patre et matre prodeuntes, in domo quadam Waldseae an. 1100 convenerint, odore vitae virtuosae plures feminas sensim ad suam societatem

---

[1] Hueb. in Chron. col 1311, 1344 et seq. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. Monum. cit.
[2] Chron. cit. p. 215 et seq. Monum. cit.

traxerint, et successive tertiae Regulae S. P. Francisci accesserint. Auctor Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. hoc ipsum (an. 1100 in an. 1386 mutato) asserit. Neutri adstipulor; enim vero studio consului Monument. Parthen. Waldseensis, at nihilum de his omnibus habent, et haec contradictio ingens annorum utriusque auctoritatem enervat. Dein ex actis B. Elisabethae Rauthensis ratum fixumque mihi est, quod an. 1407 nullum adhuc Monasterium Tertiariarum Waldseae extiterit. Sane fata Elisabetha (vulgo Bona Betha dicta) Waldseae an. 1386 nata, an. 1400 circiter Tertiaria facta, non Asceterio, sed cuidam feminae[1] concredita fuit, et Reverendiss. Conradus Kugelin, Praepositus Waldseae, Confessarius eiusdem[2], illam ac alias pias feminas a periculis, quae cuivis in mundo obiiciuntur, alienaturus, pro iisdem Inclusorium Rauthe loco forti hora Waldsea semoto, exstruxit, eamque, annum 17. numerantem, cum illis in eodem locavit. His non obstantibus haud abs re iudico, quod B. Elisabetha ad Monasterium Tertiariarum Waldseense ansam dederit, et istud, si non prius, certe paulo post mortem eius suum esse ex dotibus, liberalitate Magistratus ac aliorum acquisiverit. Iurisdictionem in id primitus Prov. Argent. seu Alemanniae FF. Min. absolute talium, dein Conventualium, et ab an. 1518 Prov. Argent. Observantium exercuit, uti ex hoc diplomate deducitur[3].

Leo Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam postquam Nos in Capitulo Generali Generalissimo Ord. Min. novissime auctoritate Apostolica in Conventu de Aracoeli de Urbe celebrato, ut FF. Conventualibus eiusdem Ordinis, volentibus se ad Regularem Observantiam reducere, facilior aditus ad capessendum aeternae salutis praemium praeberetur, inter cetera statuimus et ordinavimus Fratres Conventuales, et eorum domus ac loca ad obedientiam omnimodam Generalis et Provincialium Ministrorum Regularis Observantiae libere transire et iisdem Ministris se subiicere, ipsosque Ministros eosdem Fratres ac domus et loca ipsorum Fratrum Conventualium recipere posse, dummodo Fratrum, locorum ac domorum praedictarum, qui a decem usque ad viginti in numero essent, tres partes, illorum vero, qui ultra a viginti forent usque ad quemcunque numerum, et dictas domos et loca inhabitarent, duae partes in dictam translationem et subiectionem consentirent, prout in Nostris sub plumbo literis concordiae desuper confectis plenius continetur. Sicut Nobis exponi fece-

[1] Acta pro Canonizatione B. Elisabethae Rauthensis, an. 1760 impressa p. 3 et 7.

[2] Acta citata p. 3 et 7, etc.

[3] Suev. Eccles. p. 852. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 216 etc. Monum Prov. Tyrol. Franciscan. et Parthenii Waldseensis Tertiariarum.

runt dilectae in Christo filiae Abbatissae, Matres et Sorores tertii Ordinis S. Francisci oppidi Waldseae, Constant. Dioecesis, tam pia concessione allectae, quae hactenus per Fratres Conventuales praefati Ordinis Min. gubernatae et eisdem subiectae fuerunt, ipsae tamquam ad securiorem et puriorem custodiam transire volentes, Generalis ac Provincialium Ministrorum Regularis Observantiae eiusdem Ordinis in suis Provinciis respective obedientiae et regimini se subiicere plurimum desiderant; et quia in dictis literis concordiae de domibus seu Monasteriis praefatarum Monialium S. Clarae aut Fratrum et Sororum dicti tertii Ordinis S. Francisci non fuit facta aliqua mentio Generalis et Provincialis Ministri Regularis Observantiae praedicti Ordinis, talia Monasteria, domus et loca recipere absque Sedis Apostolicae expressa licentia formidant, ipsaeque Abbatissae et Matres ac Sorores Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut earum desiderio benigne annuere ex benignitate Apostolica dignaremur. Quam ob rem Nos, qui piis Christi fidelium desideriis, praesertim sub suavi Observantiae iugo Altissimo famulari cupientium, libenter annuimus, scientesque, quantum regimen bonum Personis Religiosis, et praesertim feminei sexus necessarium sit, huiusmodi Nobis porrectis supplicationibus inclinati, statutum, decretum et ordinationem praedictam ad dictas Moniales S. Clarae tam de prima quam secunda Regula, ac etiam Fratres et Sorores tertii Ordinis sub cura et regimine Fratrum Conventualium dicti Ord. Min. viventes, et qui ad omnimodam obedientiam et subiectionem Generalis et Provincialium Ministrorum Regularis Observantiae eiusdem Ordinis venire ac Generali et aliis Ministris praefatis se subiicere voluerint, et tres partes, ubi sunt decem Personae Religiosae usque ad viginti, ubi vero sunt viginti et supra usque ad quemcunque numerum, duae partes Fratrum seu Monialium aut Sororum Monasteria, domos seu loca Ordinis S. Clarae tam de prima quam secunda Regula, nec non Fratrum et Sororum dicti tertii Ordinis inhabitantium in subiectionem et submissionem huiusmodi consenserint, libere et licite se transferre liceat, nec non Generalis et alii Ministri Provinciales pro tempore existentes Monasteria, domos et loca Monialium S. Clarae tam de prima quam secunda Regula, ac Fratrum et Sororum tertii Ordinis subiectioni et submissioni huiusmodi, ut praefertur, consentientium, et illorum Moniales, Fratres et Sorores libere et licite recipere possint, ac si de dictis Monialibus, Fratribus et Sororibus dicti tertii Ordinis expressa mentio a principio facta fuisset in literis concordiae huiusmodi. Quocirca universis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis et Ecclesiarum Praelatis ac quibuscunque in dignitate Ecclesiastica constitutis Personis per praesentes committimus ac mandamus, quatenus ipsi et eorum singuli praesentes Nostras literas et in eis contenta quaecunque, ubi et quomodo opus fuerit, ac quoties pro parte Mi-

nistrorum Regularis Observantiae huiusmodi, aut Monialium S. Clarae, seu Fratrum et Sororum tertii Ordinis praedicti, aut alicuius ipsorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos praesentibus literis ac omnibus et singulis in eis contentis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari aut perturbari, contradictores per censuras Ecclesiasticas et alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus praemissis, ac quibuscunque literis Apostolicis et indultis etiam in dicta Bulla concordiae contentis, privilegiis quoque statutis, pactionibus et conventionibus, iuramento, confirmatione seu quavis alia firmitate Apostolica roboratis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII., Praedecessoris Nostri, de una, et in Concilio Generali de duabus dietis, dummodo non ultra 4 aliquis vigore praesentium ad iudicium evocetur, ac aliis editis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, quorum omnium tenores pro expressis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 15. Martii 1518, Pontificatus Nostri anno quinto.

P. B. *Londus.*
Ioan. Ant. Batti *Serrus.*

207. P. Henricus Sedulius, Commissarius Apost. et Minister Prov. Tyrol., in sua visitatione secunda Parthenium hoc (Seelhaus dictum) a Prov. Argent. de Regulari Observantia [1] an. 1581 [2] 2. Aug. ad Tyrolensem [3] transtulit, Elisabetha Scheilin Matre cum 4 Sororibus primitias obedientiae eidem subministrante. Serenissimus Archidux Leopoldus civitati Waldseensi intimavit, ut si domuncula Monasterio vicina non sit mutuanda in Ecclesiam, eam illis via venditionis committat. Moniales an. 1629 nigrum velum Clausurae gratia assumserunt; in bello Suecico de Coenobio aliquoties spoliato ingemuerunt; Reverendiss. D. Iosepho ab Ach, Vicario Generali, an. 1671 die 24. Iulii annuente Sacellum exstruxerunt et Monasterium refecerunt, aedificio intra annum 1671 et 1672 ad colophonem promoto. Ven. Definitorium an. 1684 indulsit, ut eaedem in sua domestica Capella confiteri possint; iisdem an 1690 vicina domus accessit. Carolus de Marinis, Protonotarius Apostolicus utriusque signaturae Clementis XI. PP. Referendarius, rescri-

---

[1] Tunc temporis necdum per Recollectionem reformata fuit.

[2] Neutiquam 1580.

[3] Exemplar huius actus invenitur in Archivo Prov., cista Monast. Waldseensis, et nomina Sororum in Protocollo Provinciae.

pto an. 1730 die 9. Iunii Romae exarato, declaravit, Sorores iustis ex titulis gaudere sepultura in Ecclesia Fratrum, et corpora earum posse per territorium Parochiale, etiam cum Cruce et stola deportari, et poenas in impeditores huius favoris statuit [1].

208. Sacellum Monialium B. V. Mariae Lauretanae sacrum s. liquoribus a Reverendiss. D. Georgio Sigismundo, Ep. Heliopolitano et Suffrag. Constant., an. 1680 die 8. Iulii perlinitum, anniversarium dedicationis Dominica post Festum SS. Angelorum colit. In eo statis horis *Cursus Marianus* recitatur, et alia Religiosae vitae exercitia exhibentur. Ara eiusdem quotidiano privilegio in solatium defunctorum gaudet. Colitur hic pannus ex lino, cineribus S. Stanislai a Kostka aspersus, authentica munitus. In foro animae ordinario et extraordinario Franciscanus Conventus Waldseensis Sororibus inservit; istarum sepultura vi decreti, a Venerab. Definitorio an. 1655 exarati, in Ecclesia illorum locum habet. Via Crucis an. 1732 hic erecta fuit. Sorores, quarum sedecim circiter Parthenonem incolunt, ex suis bonis, proventibus ac censibus vitam protrahunt. In sigillo earum B. V. Lauretana exhibetur cum his in orbe verbis: *Sig. Sor. 3. Ord. S. Francisc. Waldseensium* [2].

§ 8.

Monasterium Munderkinganum Tertiariarum ad S. Annam.

209. Munderkinga, Germ. *Munderkingen*, olim etiam *Mundrichingen*, civitas Sueviae Danubio adiecta, intra ditionem Austriacam ac Dioecesin Constant. coarctata, Ehinga 2 parvis horis et a celeberrima Canonia Marchtalensi Ord. Praemonstratensis ultra horam abest. In bello Suecico saepius expugnata, et 1648 expilata, 1703 ac seq. nunc a Bavaro-Gallis nunc a confoederatis Austriacis, an. 1744 a Gallis [3] occupata fuit. Pro solatio spirituali adsunt quaedam Ecclesiae: S. Dionysii Parochialis, S. Michaelis Archangeli, S. Martini, Capella in Hospitali, et Ecclesia B. V. Mariae, colli instrata et a civitate horae quadrante elongata; accedit Monasterium S. Annae Vestalium Seraphicarum, tertiae Regulae addictum, propria Ecclesiola instructum, hac via natum [4].

---

[1] Hueb. in Chron. col. 1311, 1344 ac 1346. Suev. Eccles. cit. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 217. Monum. citata.

[2] Suev. Eccles. citata. Cont. Orb. Seraph. cit. Monum. citata.

[3] Auctores aientes, quod semper hostis molimina deluserit, attento oculo historicos non inspexerunt.

[4] Zeill. p. 332 ac 595. Lex. Uhseni ac Hübneri Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 208. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Parthen. Munderking.

210. Virtuosa Domina Anna Hocker, vidua Hermanni Rettich, civis Munderkingensis, an. 1459 Fer. III. ante Festum S. Michaelis instrumentum erexit, in eo suam voluntatem Parthenium tertii Ordini S. Francisci Munderkingae fundandi aperuit, atque agros ac prata eidem cedenda expressit. Voluntas ista a Magistratu Munderkingano in sessione Senatoria in praesentia Conradi Kollin, Parochi Oglspir., et Ioannis Frembt, Decani Capituli Munderkingani, habita 1460[1] Fer. IV. ante Festum S. Pelagii Mart. et die 4. Oct. a Vicario Generali Celsiss. Episc. Constant., Henrici IV. Baronis de Höwen, Pio II. in Cathedra S. Petri et Friderico III. in solio Imperatorio considentibus, stabilita fuit. Pro nova hac colonia ex Monasterio Oglspirensi duae Moniales accitae sunt, fundamenta vitae Religioso-Seraphicae hic ponentes. Monasterium hoc, Prov. Argent. Conventualium ab initio substratum, in antiquis literis Germanicis saepius *Seelenhaus* dictum, an. 1469 Fer. V. post Festum B. V. M. Natae cum Ella[2] Höcker et Petro Haffner, coniugibus haereditatem praetendentibus, transegit. Anna Gonster, civis Munderkingana, eidem an. 1471 Fer. VI. ante Festum Purificationis B. V. M. bona sua immobilia et mobilia, ac an. 1478 Fer. VI. ante Festum S. Urbani nova bona, via haereditatis ad eam devoluta aut adhuc devolvenda, transcripsit. An. 1480 aut paulo post Coenobium ad Prov. Argent. de Observantia transiit. An. 1494 eidem per contractum emtionis pratum Emerkingae[3] accessit. Ex instrumentis tactis unice adduco instrumentum Reverendiss. Vicarii Generalis[4].

Vicarius Reverendi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Henrici, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Constant., in spiritualibus Generalis praesentium[5] inspectoribus subscriptorum notitiam cum salute in Domino sempiterna. Piis supplicum desideriis, prout ex devotionis fervore prodire conspicimus, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut accepimus, honesta Anna Högger, relicta quondam Hermanni Rettich de Munderkinga, Constant. Dioecesis, de pia salute sollicita, desiderans terrena sibi a Deo concessa in coelestia, et transitoria in aeterna feliciter convertere[6], domum seu inclusorium unum in oppido praedicto pro Sororibus devotis sub tertia Regula S. Francisci, vota pia Domino reddentibus et opera misericor-

---

[1] Neutiquam 1400.

[2] Credibilius: Eulalia.

[3] Pagus hic distat a civitate Munderking. media hora.

[4] Suev. Eccles. p. 624. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 365 et seq. Chron. cit. p. 208 etc. Monum. citata.

[5] Praesentium.

[6] Convertere.

diae et pietatis adimplentibus, de rebus et bonis sibi desursum concreditis erexit et fundavit, modis, forma et conditionibus in literis vulgaribus theotumptis praesentibus[1] *annexis, et illorum, ut in eis mentionatur, sigillis appensis roboratis, speciatim et latius expressis et annotatis, fuitque a Nobis humiliter postulatum, ut erectioni, fundationi et aliis in literis huiusmodi*[2] *comprehensis pro eorum firma et perpetua subsistentia consensum Nostrum, et ordinariae Auctorizationis robur adiicere dignaremur. Nos itaque literis praedictis visis, lectis et diligenter examinatis, quia in eis contenta in devotionis et salutis ampliationem cedere prospeximus, petitioni huiusmodi ut licite annuentes, ea omnia et singula rata habentes, et grata auctoritate ordinaria ex iterata scientia duximus approbanda et confirmanda, et praesentibus pro illorum perpetua subsistentia confirmamus et roboramus, supplentes, quantum in Nobis est, omnes defectus, si qui forte intervenerunt in eisdem. In quorum fidem et robur praemissorum literas Nostras praesentes*[3] *inde fieri, et dictis literis vulgaribus per transfixum*[4] *annecti, Nostrique sigilli Officii fecimus appensione communiri*[5].

Datum Constantiae anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, die autem quarta mensis Octobris, indictione octava.

211. Monasterium Munderkinganum an. 1504 spatiolum muri coemit, 1505 cum civitate circa bona immobilia, et modum apparendi in iudicio convenit; an. eodem agrum in pulchro colle, 1514 domum Michaelis Hupp, 1516 duo iugera agrorum, 1525 pomarium prope pagum Rottenacker[6] via emtionis acquisivit, 1534 in lite, ratione muri mota, sententiam favorabilem obtinuit, 1541 contractum cum Ioanne Mayr, duo iugera agrorum oppignerante, iniit, 1555 cum Ioanne Frey circa angulum, inter ambulacrum Sororum et illius domum situm, transegit, 1580 die 15. Sept. Provinciae Tyrolensi Franciscanorum, noviter erectae, accessit, Agnete Stiz Matre cum 11 Sororibus Henricum Sedulium ceu Ministrum suum suscipiente. Sereniss. Archidux Maximilianus III. rescriptis suis an. 1608 ius prospectus, per aedificium exterum laesum, restituit, legatum R. D. Udalrici Kircher, in favorem Monialium factum, ursit, et 1609 Magistratum Munderkingensem ad venditionem villae Monasterio vicinae excitavit. Gregorius Schwerdle isti hortum suum an. 1616 vendidit. Wolfgangus Henricus Mercklin 1617 in eodem anniversarium fundavit. Ager Ioannis Orten-

[1] Cred.: transumtis praesentibus.
[2] In literis huiusmodi.
[3] Nostras praesentes.
[4] Sunt coniunctae cum duabus literis fundationalibus prioribus.
[5] Credibilius: communiri.
[6] Considet ad Danubium inter Munderkingam et Ehingam, Ducique Würtemberg. subest.

burger 1622, et domus Schafhauseriana 1638 Monasterio, tempore belli Suecici graviter afflicto ac an. 1634 ac 1644 spoliato, per viam emtionis accreverunt; accesserunt bona quaedam, a Martino Bappelau an. 1649, 1651 et 1653 coemta [1].

212. Providus Magistratus Munderkinganus iura Monialium circa suas res concessa, an. 1655 innovavit et confirmavit. Domus cum horreo et horto in Erblachen iisdem an. 1658 via emtionis appropriata fuit. Fatus Magistratus an. 1662 die 1. Maii Parthenonis aedificium, certas domos, agros, hortos et prata ab oneribus ordinariis et extraordinariis pro perpetuo sub quibusdam conditionibus, et numerato quodam quanto pecuniae exemit. Excellent D. Michael Seiz, patria Munderkinganus, I. U. D. Ferdinandi III. et Leopoldi I. Caesarum Consiliarius, Claustro huic an. 1666 pomarium, Danubii ponti accubans, in perpetuum dono dedit. Contractus emtionis eidem agrum medii iugeri in platea Husemensi an. 1666 adiecit. Excell. Regimen Austriae anterioris, Oeniponte residens, transactionem inter civitatem Munderkinganam et Monasterium circa onera publica cusam, an. 1671 die 12. Nov. firmavit. Istud an. 1677 duas villas in Deppenhausen [2], 1679 quoddam pratum Emerkingae cum pascuis, 1681 hortum pro cannabi plantanda coemit. An. 1686 [3] in nova forma insurgere coepit, colophonem 1688 assecutum. An. 1691 cum Ven. Clero Munderkingano circa suum anniversarium, et exsequias Sororum defunctarum convenit. An. 1693 plures tractus (vulgo Stücke) sarmentorum Bermatingae [4] plantatos, pratum prope Rottenacker et quosdam agros, an. 1698 unum iugerum agri pretio soluto comparavit [5].

213. Parthenium Munderkinganum an. 1701 circa quaedam sua bona transactionem cum civitate et D. Christophoro Neer fecit, a Camera Oenipontana an. 1711 roboratam. Incendium modo a Bavaris, modo a Gallis an. 1704 intentatum effugit, R. D. Parocho, duobus Franciscanis ante utrumque Ducem militarem supplicibus antea factis. An. 1709 quosdam tractus sarmentorum et alia, Bermatingae sita, 1711 pomarium, Munderkingae exsistens, 1714 ibi duo praedia (Hofstätte), domum in Voloch per contractum emtionis sui iuris fecit. An. 1738 ex munificentia Pl. Rev. ac Excell. D. Francisci Xaverii Höchstetter [6], SS. Theolog. Doct. ac Parochi Uterspacensis, septem millia florenorum suppeditantis, novam formam induit. An. 1761 per decretum excelsi Regiminis Friburgensis a vexa, bona

---

[1] Hueb. col. 1311 ac 1346. Suev. Eccles. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Chron. cit. p. 209. Monum. citata.

[2] Locus iste in via inter Ehing. et Marchtalium inferius quiescit.

[3] Iuxta Suev. Eccles.

[4] Pagus hic inter Marchdorfium et Monasterium Salemitanum cubat.

[5] Monum. Prov. Tyrol. Franc. et Parthen. Munderking.

[6] Vitae periodum 1741 die 21. Iunii absolvit.

Emerkingae sita afficiente, redemtum fuit. Complectitur speciale Sacellum an. 1688 exstructum, a Reverendiss. D. Conrado Ferdinando Geist, Episc. Tricalensi Suffrag. Constant., an 1696[1] die 18. Maii consecratum; in hoc Ara S. Annae, quotidie privilegiata, eodem tempore consecrata, Christi Eucharistici stabilis sedes, nec non duae aliae, videlicet B. Matris Dolorosae ac S. Francisci Xaverii, an. 1763 die 27. Iulii a Reverendiss. Francisco Carolo Iosepho Fugger, Suffraganeo Constantiensi, consecratae exsurgunt. Moniales quoque duplex Oratorium, unum in fato Sacello, alterum in Ecclesia Parochiali, ad quam distinctum ambulacrum viam pandit, possident, et pio cultu Reliquias SS. Martyrum Iucundi, Prosperi, Honesti et Clarae, particulam S. Crucis, Reliquias S. Petri Ap., SS. Martyrum Valentini et Felicis, S. Annae, et pulvinar istius pedi Anconae olim substratum, nec non particulam de vexillo S. Georgii M. prosequuntur, et de his authentica testimonia conservant. In foro conscientiae iisdem Pl. Rev. D. Parochus Munderkinganus, sacerrimi Ordinis Praemonst. celeberrimae Imperialis Canoniae Marchtalensis Professus, nec non Franciscanus Conventus Ehing. inserviunt. Sepultura earum in coemeterio Parochiali, Monasterio contiguo, locum habet. De cetero Claustrum 17 circiter Sanctimoniales ex suis bonis et censibus sustentat; in sigillo S. Annam sistit, cum his in orbe verbis: *Sig. Sor. 3. O. S. Franc. Munderkingens*[2].

§ 9.

Monasterium Segginganum ad SS. Trinitatem, S. Nuntiaturae Lucernensi immediate subiectum.

214. Segginga, aliis *Seckinga*, olim *Sacconium*, *Sancio*, vulgo *Seggingen*, *Säckingen*, civitas silvestris[3], ditionis Austriacae, Dioecesis Constantiensis, fluvio Rheno inter Laufenburgum et Rhenofeldam accumbit. Conspicua redditur a Principe Collegio, pro sexu sequiori eminentioris sanguinis destinato, a Principissa directo, nec non ab Ecclesia Collegiata S. Hilarii, Reliquiis S. Fridolini Confessoris, Hiberni[4], ex sanguine praeclaro oriundi[5], decorata; ultra eam intra civitatem Ecclesiola pro defunctis, ac alia in palatio Schönaviensi, et extra eam Ecclesia SS. Trinitatis cum Monasterio Monialium, tertiae Regulae S. Francisci addictarum, frequentantur. Rheno

---

[1] Neutiquam 1697.

[2] Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 209 etc. Monum. cit. Monum. Conv. Ehing Francisc.

[3] Germ. *Waldstadt*.

[4] Bollandistae.

[5] Citati.

aquis abundante, civitas in insula considet; unde duplici ponte instructa est, quorum unus supra ipsum Rhenum, alter super alveolum eius subin siccum subin aquosum, stratus est; olim ex parte istius Rhenus cursum suum fecit. Patrocinio huius Divi adscribitur, quod an. 1415 Basileenses tribus septimanis obsidione sterili Seggingam cinxerit, et ista variis aliis calamitatibus subtracta fuerit [1].

215. Dominus Ioannes Helbling, civis Seggingensis, Anna et Margaretha, eius filiae, Seraphicae Tertiariae [2] aliis, Seggingae congregatis, associatae, Congegationi isti propter Deum suam domum posteriorem, Ecclesiae S. Petri vicinam, horreum et omnia sua bona et alia adiuncta transcripserunt, D. Ioanne Vasolt, Schulteto, et Magistratu Seggingensi an. 1340 Fer. IV. post Festum S. Martini id approbantibus. Successit an. 1341 diploma fundationem confirmans, adiecto pacto, ut Sorores iuxta tertiam Regulam S. P. Francisci et normam a fundatore eiusque filiabus praescriptam vivant, numerum duodecimum adaequent, et a propria Praefecta, earum votis eligenda, et a Minorita [3] occasione collecturae Seggingam veniente, confirmanda, nec non ab isto Collectore dirigantur. Leopoldus III. cognomento Probus, Austriae Dux, Basileae in Festo S. Hilarii an. 1370 Monasterium a pensionibus tributariis et aliis exactionibus exemit. Sisto instrumentum primum fundationis, ex Germanica lingua ad Latinam transfusum [4].

In Nomine Dei. Amen. Ego Ioannes Vasolt, Schultetus Seckingae, omnibus has literas inspicientibus aut legi audientibus et audituris notum facio, in foro iudiciali Seckingae in civitate coram adfuisse Ioannem Helbling, civem Seckingae, cum Sorore Anna et Sorore Margaretha [5] *filiabus suis, ex una, et ex altera parte Sororem Itam Sweblin, Sororem Annam a Kiemberg, Sororem Hedin* [6] *et Sororem Catharinam a Wegstetten, Sororem Mariam* [7] *ab Aickhen, Sororem Catharinam Giselen a Wegstetten et Sororem Margaretham a Steina, eundemque Ioannem Helbling, patrem et Curatorem, Annam et Margaretham, eius filias et clientes, omnes sano corpore, integris sensibus et mente praesentissima, solum propter Deum et propriam ac antecessorum salutem, atque actus miseri-*

---

[1] Lex. Uhseni, Basileense ac Hübneri, Bollandistae in vita S. Fridolini die 6. Martii, Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 219 etc. Monum. Monasterii Segging. Tertiariarum.

[2] Auct. Chron. nostrae Prov. perperam vitam earum usque ad an. 1633 protrahit.

[3] Conventus, ex quo venit, non exprimitur; Conventus proxim. erant Basileensis, Schafhusiensis, Neoburg. ac Friburgensis.

[4] Bruschius Centur. 1. fol. 148. Suev. Eccles. p. 748. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 221 etc. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Parthen. Seggin. Tertiar.

[5] In instrum. Germ. Greden, et dein Greda.

[6] Fors Hedwigem.

[7] Ita explico terminum Mezzin, in instrum. Germ. adhibitum.

cordiae exercendi causa, domum posteriorem, Ecclesiae[1] *ad S. Petrum in urbe Seckinga adiacentem, aliaque domui huic adhaerentia et huc spectantia, dimidium horreum, quod prostat ad frontem domus, et aream, quae horreum et domum illam intercedit, in usumfructum et possessionem tum illarum duarum filiarum, tum aliarum Sororum, quas elegerint illae, quaeve de tertia Regula sint, dare, cedere et irrevocabiliter donare, ut habitationem Deo sacram habeant, atque in ea dignam Deo servitutem servire valeant; praeterquam etiam, quod dictus Ioannes Helbling modo dictam domum cum aliis bonis et facultatibus, labore multo et sudore, nullove hereditario iure sibi partis, ad usum et dominium devotarum illarum Filiarum, aliarumque succedentium, ut Dei honori atque animarum suarum saluti impensius vacent, pleno iure translatum esse velit; idem Ioannes Helbling, eiusque filiae Anna et Margaretha sapradictas pias Filias omnesque his succedentes iurium suorum ac omnium bonorum, quae reliquerint, heredes amore Dei et voluntate seria instituunt. Dictae vero Religiosae filiae fundatoris huius et donationis sibi factae Curatorem et Administratorem eligunt Udalricum Razen a Seckinga, in cuius et Dei Filiarum illarum manibus Ioannes Helbling et filiae Anna et Margaretha donationem et hanc nuncupationem perfecerunt, atque manu, ore et omni iuris adminiculo, addito etiam iuramento solemni, obfirmarunt, praesentibus devotis illis Sororibus cum Curatore et Administratore suo, iisdemque in iura quaevis, quae et quomodo competebant Ioanni Helbling ac Annae et Margarethae filiabus, et possessionem praedictae domus, dimidii horrei et areae succedentibus, hac tamen sub lege, ut ex bonis illis as pendatur Ecclesiae S. Petri Seckingae. Renuntiant porro idem pater Ioannes Helbling, eiusque filiae omni praetensioni aut iuri, quod aut ipsi aut heredes quidpiam haberent aut habere possent, protestantes etiam contra omnem litem, sive appellatione aut ad forum Ecclesiasticum aut politicum, sive privilegio civitatis vel regionis sive consuetudine quadam, unquam a se movendam. Atque, cum nemo dat, quod non habet, omnium emolumentorum et fundorum, qui sunt, aut ex Pontificio aut Caesareo privilegio accedere possunt, ius a se abdicant. Tandem, ut donatio illa et fundatio neque in toto neque in parte aliqua revocari aut in dubium et ius vocari possit, in fidem horum omnium his literis contentorum, testimonium publicum et confirmationem ego suprascriptus Schultetus et iudex sigillum meum, nosque de civitate Seckinga sigillum civitatis appendimus, rogati ab ambabus partibus.*

Actum et datum Seckingae in civitate proxima die Mercurii, Festo S. Martini Episcopi, anni 1340 praesentibus Baltasaro Wilde, Conrado Risseler, Ioanne Wibl, Ioanne Müller, Ioanne Sthein, Henrico Rippe,

---

[1] Ecclesia haec non amplius exstat.

Waltero Schrater, Ioanne Schorph, Heinrico Spisl, Ulrico ab Haupoldingen, civibus Seckingae, aliisque pluribus hominibus, fide dignis, spectantibus haec omnia et audientibus.

216. Albertus VI., Austriae Dux, diploma Leopoldi Probi Friburgi in Brisgovia an. 1454 die Mercurii post Festum S. Michaelis ratum habuit. Parthenium hoc, si non ante, certe an. 1515, quo Conventus Friburgensis Observantibus concreditus, a Prov. Argent. FF. Min. agnomen Conventualium nactorum, ad Argent. de Observantia devolutus est. Inde an. 1581 die 29. Aug.[1] transiit ad Tyrolensem, Margaretha Rescher unacum tribus Sororibus subditis primitias obedientiae P. Henrico Sedulio, primo eius Ministro, offerente. Maximilianus III., Archidux Austriae, Oeniponte an. 1606 die 16. Nov. privilegia eiusdem confirmavit. Reverendiss. D. Fabricius Verallus, Legatus Apost., Pl. Rev. D. Ioanne Ruedlbaum, Protonotario et Praeposito Rhenofeldensi, rem urgente, Claustrum an. 1607 in suam immediatam iurisdictionem recipiens, fatum Praepositum[2] Visitatorem eius constituit, et an. 1608 duas Vestales Coenobii Pfaneregensis[3], videlicet Clementiam et Ursulam ad hoc Parthenium amandavit, ut istud ad meliorem promoverent disciplinam, et an. 1610 die 29. Maii Franciscanis aditum ad hoc inhibuit. Mors intra an. 1610 et seq. omnes Sorores, duabus demtis, sustulit. Reverendiss. D. Ioannes Iacobus Mirgel, Ep. Sebastensis, Episc. Constant. Vicarius Generalis, an. 1616 die 27. Ianuarii Ecclesiam novam consecrationis gratia beavit. Illustriss. D. Ursula, Comitissa de Orttenburg, nata Comitissa de Zimmern, an. 1616 die 22. Maii ducentos florenos pro lumine perpetuo numeravit. Eo ipso anno nova structura Monasterii ad effectum devenit, numero Sororum intra breve tempus ita aucto, ut eae an. 1622 vigesimnm secundum adaequarint. Reverendiss. D. Alexander Sappius, Nunt. Apost. ad Helvetos, diplomate, Badae an. 1625 die 13. Iulii exarato, Monasterium Ensishemiense, coloniam Seggingani an. priori fundatam, ab isto separavit, et formatum Claustrum, a distincta Matre dirigendum, declaravit. Sereniss. Leopoldus, Archidux Austriae, Oeniponte an. 1627 die 28. Ianuarii exemtionem Sororum stabilivit. Adest instrumentum, Monasterium hoc Provinciae Tyrol. addicens[4].

Frater Henricus Sedulius Ord. Min. Regularis Observantiae, Commissarius Apostolicus et Minister Prov. Tyrol., dilectae Sorori ac Matri

---

[1] Neutiquam an. 1580.

[2] Iuxta Monum Monast. Segging.

[3] Monasterium hoc, nunc S. Mariae Angelorum seu Obwatwilense dictum, in Comitatu Toggenburgensi considet.

[4] Hueb. in Chron. col. 1344 ac 1346. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 222. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. ac Parthenii Seggingani Tertiar.

Domus seu Conventus Sororum de tertia Regula S. Francisci in Seckingen, et reliquis Sororibus Conventus eiusdem salutem in Domino sempiternam. Cum anno Domini 1581 die 29. Aug. venissem ad vos, ut vestrum Conventum seiungerem a Provincia Argent. Ord. Min. Regularis Observantiae (sub cuius visitatione ac cura hactenus fuit) et unirem novae Provinciae Tyrolensi Instituti eiusdem, idque auctoritate S. D. N. Gregorii PP. XIII. nec non Reverendiss. P. F. Francisci Gonzagae, totius Ordinis Minorum Generalis Ministri, et hoc ad voluntatem Sereniss. Domini nostri D. Ferdinandi, Archiducis Austriae etc. (quorum omnium literas vidistis et intellixistis) primi huius novae Provinciae Auctoris, vos libenter consensistis, obedientiam mihi et successoribus meis promisistis, demum pollicitae estis (ut in vestrae unionis instrumento habemus) observaturas vos, quae in Brevi Apostolico et literis Reverendiss. P. Generalis praedicti, super negotiis novae Provinciae datis, latius continentur. Quare praesentium tenore vobis omnibus in virtute obedientiae praecipio et mando, ne posthac alium quemlibet, cuiuscunque status aut conditionis vel Provinciae fuerit, pro Superiore agnoscatis vel recipiatis, nisi nos, tametsi indignos, et successores nostros et eos, quos a Superioribus nostris vel a nobis ad vos missos certo testimonio constabit; ita fiet, ut Conventus nostrae Provinciae Tyrolensis in pace et unionis concordia contineri queant. Valete Filiae dilectae in Christo, Ipsum pro nobis sedulo deprecaturae.

Datae sub Officii nostri sigillo loco et die, ut supra.

[L. S.]

FR. HENRICUS SEDULIUS.
qui sup. mppr.

217. Moniales Asceterii huius an. 1631 in Festo B. V. Mariae Natae Breviario Romano in Choro initium fecerunt, et Statuta an. 1625 combinata, acceptarunt; flagrante bello Suecico an. 1632 et 1633 fugam capessentes, in Thermis superioribus seu Badae in Helvetia, et aliis locis diversorium selegerunt ac de Claustro (an. 1633 Vulcano dicato) rebus restantibus subtractis ac visitationis munere, a Monasterio Wettingano[1] abdicato, ingemuerunt. Domina Anna de Göffingen, commiseratione tacta, iisdem an. 1634 debitum activum mille florenorum consignavit. A. R. D. Ioannes Guilielmus Gotthard, Canonicus Solodoranus, Visitator delegatus earum, an. 1635 deputatus, Thermis Helveticis actum visitationis exercuit, et duas

[1] Istud, Ordini Cisterciens. devotum, hoc in munere successit Monast. Sanblasiano, an. 1622 hoc munere functo.

Sorores ac postea plures Seggingam misit, quae in exili casa domicilium fixerunt, et a penuria, qua ab initio premebantur, partim per subsidia, a Monialibus (Thermis Helveticis relictis) occasione instructionis obtenta, partim a Monasteriis Wettingano et Farensi collata, sensim redemtae fuerunt. M. Lidwina Strellin, Mater Parthenonis, magna domo in civitate comparata an. 1636 Sorores, Badae id Helvetia morantes, revocans cum iis (integre per Deum conservatis) Officium divinum in communi persolvere coepit. Bernardus, Dux Vinariensis, Suecicus Archistrategus, Seggingam an. 1639 Sabbato ante Dominicam Septuagesimae hora 9. nocturna occupans, Parthenoni militem tutelarem attribuit, severo mandato furta ab eodem arcuit, et Collegio Principi, in quo duae Tertiariae ad preces Principissae sese receperunt, intuitu istarum in variis pepercit. Monialium quoque opera corpus S. Fridolini occultatum et Suecis, id inquirentibus, subductum est. An. 1641 duae Sorores, Friburgi in Nuithonia 7 annis degentes, redierunt. Domina Hildegardis de Greütt, nata de Schinen, an. 1643 die 15. Iulii tria millia florenorum pro structura novi Claustri Monialibus transcripsit. An. eodem Ven. Soror Euphrasia Salisburgum missa est, ut ibi fundamentum pro Regulari disciplina poneret; Sueci vero, Dutlingae [1] caesi, iterato Seggingam subiugarunt ac spoliarunt, rebus tum Monialibus propriis tum alienis, uti et SS. Sacramento Eucharistiae, ad eas transportatis, rapaces hostis manus effugientibus. An. 1646 magna domus, Hauenstein dicta, coemta et pro Officio divino deputata fuit. Praefato Visitatore vita functo Reverendiss. Fintanus, Monast. Mariano-Steinensis Ord. S. Benedicti Abbas, an. 1648 hoc munus suscepit [2].

218. Moniales moderno fundo per viam commutationis praehabita licentia S. Nuntiaturae et excelsi Regiminis Friburg. acquisito, an. 1653 die 8. Aug. crucem sublimantes, die 4. Octob. pro Claustro primum lapidem poni curarunt. An. 1656 die 3. Aug. Reverendiss. Abbas Fintanus primum lapidem pro aedificio Ecclesiae in fundum misit. Augustiss. Ferdinandus III. Caesar die 7. Nov. Monialibus copiam subsidium pro aedificio Claustri et Ecclesiae quaerendi fecit, die 28. Nov. [3] Moniales in Claustrum solemniter immissae fuerunt. An. 1659 die 12. Maii Reverendiss. D. Sigismundus, Suffrag. Constant., Ecclesiam cum suis Aris s. liquoribus perlinivit, illa cum Ara maiori SS. Trinitati ceu Patronae, B. V. Mariae, S. Sebastiano, S. Hilario et S. Fridolino, Ara laterali prima B. V. Mariae, principali Patronae, SS. Clarae, Elisabethae, Angelae et omnibus Sanctis, secunda SS. Francisco, Bernardino, Antonio et Bonaventurae, tertia SS. Iosepho, Ioachimo, Annae et

---

[1] Civitas haec, Ducatui Würtembergico appropriata, ad Danubium inter Meringam et Mühlam sedem habet.

[2] Monum. Monast. Segging. Tertiar.

[3] Iuxta Monum. citata.

Ludovico dedicatis. Intra an. 1665 et 1669 murus Claustralis Ecclesiam, hortum et Monasterium circumscribens, absolutus est. Reverendiss. Nuntius Apostol. ad Helvetos Odoardus Cybo, Princeps de Massa, Archiepiscopus Seleuciensis, an. 1673 Coenobium R. R. P. P. Capuccinorum visitationi commisit. Contractus an. 1692 die 24. Iunii initus, Capellano Cleri saecularis locum fecit [1].

219. An. 1747 huc duae Moniales Parthenii Brigantini ad S. Annam destinatae et acceptatae fuerunt, bono tum temporali tum spirituali Coenobii consulturae. Re ad vota non succedente et acrem litem post se trahente, A. R. P. Franciscus Antonius a Constantia, Minister almae Prov. anterioris Austriae Capuccinorum, an. 1749 die 18. Maii munus Visitatoris resignavit. Reverendiss. ac Excell. D. Philippus Acciaiuoli, Nuntius Apostolicus apud Helvetos, causa bene discussa, vota vix non omnium Monialium, Franciscanos Prov. Tyrol. anhelantium, exaudiens, Parthenium Provinciae Tyrol. Franciscan. obtulit, et ista annuente, anno modo tacto die 9. Sept. per speciale rescriptum, in fine Num. sistendum, visitationis munus ac curam spiritualem A. R. P. Adalberto Kleinhans, Ministro Prov., commisit. Favori huic effectus mox die 22. Sept. correspondit, P. Martiniano Stibinger, Guardiano Conventus Friburg., in nomine Ministri Prov. a Pl. Reverendo ac eximio D. Andrea Kumereo, Commissar. Episc. For. Decan. Rectore ac Parocho Cellensi in Wisenthal et ad hunc actum deputato Commissario, Monasterium acceptante. Die 29. Decemb. dicti anni duae postulatae dimissae, et nova Mater ac Vicaria electae fuere. In actu translativo Confessarius Monialium creatus fuit P. Fridolinus Mayr, apud eas residens, cuius consilio, dexteritate ac indefessa cura Coenobium ad statum sat tenuem in re temporali depressum, surrexit et simul in spirituali augmentum retulit. R. D. Fridolino Trefzero Sacerdote saeculari, Capellano Parthenii, an. 1750 exspirante, officium eius fato Confessario accrevit. Anno 1751 de licentia S. Nuntiaturae Lucernensis, votis Monialium subscribentis, secundus Pater Confessario associatus fuit, an. seq. Suffragia Provinciae Tyrol. Monialibus communicata, et an. 1761 Ecclesia unacum suis Aris ad praesentem formam elata est [2].

---

[1] Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 222. Monum. citata.

[2] Chron. Franciscan. p. 222 et seq. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Parthen. Segging. Tertiar.

Philippus Acciaiuoli.

DEI et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Petrarum, Pontificii Solii Assistens, Sanctissimi D. N. D. Benedicti, divina providentia Papae XIV., eiusdemque Sacrae Sedis ad Helvetios, Rhaetos et Valesianos, eorumque confoederatos et subditos, nec non ad Constantiens., Basileenses, Sedunenses, Curienses et Lausanenses civitates et Dioceses cum potestate de Latere Nuntius.

Dilecto Nobis in Christo Admodum Reverendo Patri Adalberto Kleinhans Ord. S. Francisci Reform. Prov. Tyrol. salutem in Domino sempiternam. Circa pastoralis officii in his partibus Nobis concrediti curam invigilantes, iis praecipue obviamus incommodis, quae bono Monialium regimini videntur obsistere, ut in ipsarum Monasteriis Religiosa disciplina et Regularis observantia conserventur. Cum igitur Adm. Rev. Pater Franciscus Antonius Constantien.; PP. Capuccinorum Provincialis anterioris Austriae Provinciae et Visitator quondam a Nobis deputatus pro Monasterio SS. Trinitatis tertii Ordinis S. Francisci in Seggingen, per literas sub 18. mensis Maii anni currentis ad Nos missas exposuerit, se suosque Confessarios, tam ordinarium quam extraordinarium, pro dicto Monasterio constitutos ob varias inter praefatas Moniales animorum dissensiones pro salute animarum nec fructificare, nec ob negotia Provincialatus, quae in illis partibus de die in diem magis accrescunt, munus Visitatoris amplius subire posse, Nobisque illud propterea renuntiaverit, Nos huiusmodi renuntiationem acceptantes, ac pari iugiter cura et sollicitudine praefato exemto Monasterio Sanctimonialium tertii Ord. S. Francisci oppidi Seggingen providere cupientes, te, de cuius zelo, dexteritate et prudentia plurimum in Domino confidimus, in praedicti Monasterii et Monialium Visitatorem Apostolica, qua erga illud Monasterium et Moniales fungimur, auctoritate constituimus et deputamus cum facultate, Monasterium praefatum et Moniales iuxta sacri Concilii Tridentini decreta tam coniunctim quam divisim visitandi, corrigendi, puniendi, atque alias procedendi et statuendi, prout necessitas exegerit et in Domino expedire iudicaveris, reservata tamen Nobis omnimoda facultate admittendi ad habitum Religiosum et Novitiatum, ac etiam ad Professionem Regularem, super quibus specialis de statu dicti Monasterii et cuiusvis visitationis a te factae Nos plene scriptotenus peracta visitatione certiores reddas. Idcirco praedictis Monialibus in vir-

tute s. obedientiae praecipimus et mandamus, ut te in Visitatorem Nostrum recipiant et admittant, tibique in dicti officii exsecutione debitam reverentiam et obedientiam praestent, et salutaribus monitis ac mandatis tuis humilem subiectionem exhibere curent. Praesentibus ad tempus arbitrio Nostro et successorum Nostrorum reservatum valituris.

Datum Lucernae ex palatio Nostrae Residentiae die 9. mensis Septembris an. 1749.

PHIL. ARCHIEP. PETRARUM *Nuntius Apostolicus.*
IOSEPHUS FRIDOLINUS DÜGGELIN *substitutus.*

220. Ecclesia SS. Trinitati devota, anniversarium dedicationis Dominica IV. post Pascha colit. Supra Crucem eius haec verba leguntur: *Ecclesia Augustiss. Trinitatis, quam 1656 larga fidelium pietas e fundamentis erexit, et 1761 par munificentia restauravit.* Ara maior SS. Trinitati sacra, Iesuli Pragensis ab an. 1753 sedes, quotidiano privilegio fruitur; e cornu Evangelii Ara B. V. Mariae, nec non S. Iosephi in Capella, e cornu Epistolae Ara S. Francisci exstat. Duplex in ea reperitur Chorus, unus inferior post Aram summam, pro Officio divino et aliis pietatis exercitiis deputatus, alter superior supra ianuam Ecclesiae, ubi Missae solemnes et alia decantantur. Fidelium devotioni expositae sunt SS. Reliquiae, authenticis instructae, nempe duae particulae de ossibus S. Annae, S. Crucis, pulvinar in pede S. Annae attactum, magna pars cranii S. Secundi M., magna pars cruris S. Clementis M. et Felicis M., particula S. Fidelis M., S. Iosephi a Leonissa, et de sepulchro S. Ioannis Nepomuceni. Praetereo SS. Reliquias, authentica destitutas. Forum conscientiae Confessarius ordinarius et extraordinarius hic residentes, moderantur. Verbum Dei etiam aliquoties ab uno eorum explicatur. In Oratorio Sororum et Ecclesia viget via Crucis, in hac an. 1752, in illo 1747 erecta. Sepultura Monialium, quarum 21 circiter tertiae Regulae S. Francisci [1] assertae recensentur, in Ecclesia fixa est. Sustentatio earum ex propriis bonis, censibus ac manuali labore habetur. Sigillum antiquum exhibebat S. Franciscum cum verbis: *Sa. Fra.*, in orbe: *Regulae tertiae;* modernum vero sistit SS. Trinitatem sine ulla inscriptione [2].

---

[1] Constat ex earum Regula, Professione et Statutis; P. Romualdus a Stockachio p. 460 perperam eas Clarissas vocat.

[2] Chron. cit. p. 223 etc. Monum. citata.

CAPUT VI.

DOMICILIA EVERSA AUT DERELICTA ORDINIS SERAPHICI

ad Provinciam Tyrolensem olim spectantia aut saltem ad eam aliquo ex titulo reducibilia.

§ 1.

Conventus Lucaviensis B. V. Mariae ad Nives Reformatorum.

221. Lucavia, aliis *Luggavia* [1], vulgo *Luggau*, quibusdam *Luckau*, pagus Carinthiae, Tyroli proximus, Dioecesi olim Aquileiensi, nunc Goritiensi assertus, in valle Lessacensi, vulgo Lessachthal, plantatus, 8 horis Intica, et in linea recta 3 Leontio seiunctus, Monasterium RR. PP. Servitarum olim a Franciscanis inhabitatum, coarctat. Peregrinatio Mariana hic vigens, an. 1513 per imaginem Matris Dolorosae, parvae Capellae ligneae illatam, initium habens, per Ecclesiam novam (an. 1515 inchoatam, an. 1536 die 20. Aug. a Daniele de Rubeis, Episc. Caprulonensi, Suffrag. Aquileiensi, in honorem S. Mariae ad Nives consecratam) crevit, et per Monasterium Seraphicum an. 1593 die 9. Iunii positione primi lapidis ab Illustriss. D. Ioanne Comite de Ortenburg coeptum, ad statum consummatum pervenit. Primordia haec deducuntur ex inscriptione nummo argenteo, in fundum misso, inarata, cuius hic tenor: *Ioannes Comes in Ortenburg liber Baro in Freyenstein † et Carlspach. Dominus † Ericuriae, et Lillae. Archiducatus Carinthiae summus Praefectus, etc. Monasterium hoc divi Francisci Ordinis, etc. Voto Deiparae Virginis Mariae exstruxit † Anno † M. D. XCIII.* P. Ioannes Muskai, Prov. Argentinensis Franciscanus, in hoc solemni actu Officium decantavit, *Te Deum laudamus* intonavit, et futuri Monasterii, uti praetendit Auctor libelli de hac peregrinatione, Guardianus [2] selectus est. Post haec Comes, nimiam distantiam Ecclesiae Lucaviensis ab Ecclesia Parochiali S. Danielis (5 mill. Germ. remotae) et excessivam viarum improbitatem, brumali praesertim tempore, perpendens,

---

[1] Libell. de peregrinatione Lucaviensi an. 1760 Monachii editus p. 1 etc. Atlas Tyroleos ac Carinthiae; relationes particulares.

[2] Nullum in Protocollo Prov. nostrae aut alibi invenio vestigium, quod effective hic Guardianus exstiterit. Vir hic, ob falsas delationes ex sua Provincia pulsus ad tempus in Provincia nostra substitit, et an. 1594 in Ecclesia Conventus Oenip. Concionatorem egit.

Reverendiss. D. Franciscum Barbarum, Patriarcham Aquileiensem, supplex convenit, ut Ecclesiam Lucaviensem dignitate distinctae Parochiae condonet, eamque Minoritis de Observantia concredere dignetur, addito promisso, se in Coenobio novo duodecim Sacerdotes locaturum et pro eorum sustentatione curaturum. Patriarcha diplomate [1], Ortenburgi [2] an. 1594 die ultima Nov. exarato, Ecclesiam Lucaviensem ab Ecclesia Parochiali S. Danielis exemit, ad Parochialem extulit, istamque Fratribus Minoribus de Observantia commendandam esse indulsit, reservans sibi ius eam visitandi, reditus ac oblationes Fratribus introducendis relinquens, atque Comitem obligans, ut, si iisdem alimenta non sufficerent, ea suppleret. Comite Claustrum erigendum Provinciae Tyrol. de Observantia tunc temporis Regulari offerente, hoc Reverendiss. Bonaventurae a Calataierone, Ministro Generali totius Ordinis Min., in eadem appulso, relatum est, qui literis, an. 1595 die 5. August. Bulsani ad Comitem directis, grato animo favorem hunc acceptavit, et aliis [3] die 15. August. Oeniponte scriptis, Ministro Prov. Tyrol. copiam Claustrum acceptandi et in eo Fratres locandi impendit. Hic mox Lucaviam P. Bernardum Rast ceu primum Guardianum submisit, associatis ei tribus Sacerdotibus et uno Laico, in quadam domo interim sedem figentibus [4].

222. Successu temporis Claustrum continuatum, et post elapsum plurium annorum spatium absolutum est. Conventus Friburgensis eidem libros, Choro inservientes, pro quibus fundator refusionem fecit, submisit. An. 1598 die 24. Iunii Congregatio intermedia, cui A. R. P. Bernardinus Arnoldus, Commiss. Generalis Nationalis Germaniae superioris, Bohemiae, Poloniae et Hungariae praesedit, hic celebrata, et circa sustentationem Fratrum et quaedam alia puncta conventio cum fundatore cusa est. An. 1616 vitae periodum piissimus fundator absolvit, largis legatis in bonum Conventus factis. Illustriss. Georgius Comes de Ortenburg, eius filius, an. 1619 die 10. Maii quaedam in bonum Ecclesiae et Fratrum statuit, iussitque, ut domus Fratribus ad tempus pro incolatu inserviens, in hospitium pro peregrinis commutetur, pretio patri eorum spirituali communicato. Idem an. 1621 die 22. Oct. sese ad reparandum Monasterium, iam ruinae proximum, cellam vinariam fodiendam, certa ligna et quaedam alia pro sustentatione Fratrum obstrinxit. Ven. Definitorium spectans, quod conditiones in fundatione aut post eam initae, a fundatoris filio, nunc impotentiam nunc aliam causam allegante, non observentur, et haud levis difficultas circa exactam obser-

[1] Diploma hoc, continens libellum supplicem Comitis, ceu nimis prolixum omitto; copia authentica eiusdem in nostro Archivo exstat.

[2] Est arx Carinthiae ad Dravum prope Spital sita, de praesenti Principibus de Portia subiecta.

[3] Literae hae et priores in Protocollo et Archivo nostrae Prov. inveniuntur.

[4] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Lucav. derelicti Francisc. Libellus cit. p. 1 et plurib. seq.

vantiam S. Regulae et Regularis vitae obversetur, Reverendiss. Patriarchae Aquileiensi et dicto Comiti an. 1619 insinuavit, Monasterium, ni huic praecaveatur, derelictum iri [1].

223. Urbanus VIII. PP. Bulla *Exponi Nobis*, an. 1625 die 4. Sept. signata, curam Parochialem [2] huius Ecclesiae Fratribus attribuit. Provincia, cippis et truncis pro recipiendis pecuniis ex Ecclesia et Sacristia amotis, rescripto ad Illustriss. Georgium Comitem de Ortenburg, an. 1626 die 16. Iulii expedito, omnia bona immobilia, census, reditus et legata perpetua ex amore paupertatis resignavit, declaravitque, quod, si quid intuitu laborum spiritualium dandum, hoc per modum eleemosynae acceptatura sit. Fundator haud parum ex hoc aedificatus, in responso die 4. Aug. suum timorem de sustentatione Fratrum, hac via continuanda, aperuit, restaurationem Claustri denuo adpromisit, reditus et census annuos in se suscepit, eosque per modum simplicis eleemosynae in bonum Fratrum applicare spopondit. In Comitiis Provincialibus, Oeniponte an. 1627 die 6. Nov. celebratis, ex amore purioris observantiae S. Regulae derelictio Conventus Lucaviensis addita cautela, ut tres vel quatuor Fratres ibi per sex aut octo menses remaneant, ut interea de aliis incolis eidem provideri possit, decreta est. Successit humilis resignatio literalis, ad fundatorem die 9. Nov., ad Patriarcham Aquileiensem die 16. Nov. expedita, in quarum prima fundatori insinuatum est, RR. PP. Servitas pro hoc Coenobio optime quadraturos. A. R. P. Henrico Seyfrid an. 1628 die 9. April. obedientiales pro relictis Fratribus perficiente, et die 10. iterato Conventum Comiti resignante, res ad effectum devenit, et Fratres inde discesserunt. Appono resignationem posteriorem [3].

Illustrissime ac Reverendissime Domine Domine Patriarcha
Princeps, ac Patrone Clementissime etc.

Cum Patres et Fratres huius nostrae Provinciae multis ab annis puriorem Regulae observantiam desideraverint, et ad strictiorem vivendi modum cor animumque adiecerint, in hoc Provinciali Capitulo, die 6. Nov. anni 1627 Oeniponte celebrato, totalem perfectamque Reformationem in perpetuum retinendam et conservandam receperunt, omniaque introductae stabiliendae s. Reformationi quovis modo adversantia libere resignarunt, inter quae primas tenet Conventus noster Luggaviensis, altissimae paupertati strictiorique vivendi modo omnino repugnans, quem propterea iuxta adiacentis decreti (a toto Definitorio facti et subscripti) tenorem

---

[1] Monum. citata.

[2] Reformatio introducta ad eam recurrere ansam dedit.

[3] Monum. citata.

cum humili manuum deosculatione ipso facto resignamus, elapso 6 vel 8 mensium spatio totaliter relinquendum. His breviter notatis humilia precum nostrarum Suffragia Illustrissimae Celsitudini Vestrae offerimus, Deum ter optimum maximum obnixe rogaturi, ut Eandem diu Ecclesiae suae incolumem conservare et post seros annos aeternis praemiis remunerare velit.

Datae Oeniponte in Conventu nostro S. Crucis die 16. Novembris anni a partu Virgineo 1627.

224. Fructus spirituales, a Franciscanis Lucaviae generati, fundatori novam sitim eos reducendi instillarunt. Celsiss. Brixinensis ab eo conventus, ista vota P. Henrico Seyfrid, Ministro actuali Prov. Tyrol., indicavit; iste favori huic an. 1632 die 27. Nov. sub seq. conditionibus subscripsit: 1. Sarta tecta Claustri et Ecclesiae Comes conservet. 2. Ecclesiam luminibus, cera, oleo, vino consecrando ac paramentis provideat. 3. In literas, iura, bona ac pecuniam Ecclesiae, salvo iure immunitatis Ecclesiasticae ac Ordinarii, plenum dominium habeat. 4. Unum aut duos viros honestos, mediis temporalibus satis instructos, Lucaviam deputet, eleemosynam Fratribus a peregrinis dandam acceptaturos ac in usum Fratrum applicaturos. 5. Ea (loco quotidianam collecturam non permittente), quae Fratribus desunt, subsidio paupertatis per modum purae eleemosynae supplere satagat. 6. S. Ordo optaret, ut Parochialia ad S. Laurentium transferantur. 7. S. Ordo ad conservandam Regularem disciplinam, ad Officium divinum diu noctuque pro vivis et defunctis, maxime benefactoribus Conventus persolvendum, si non 12, certe 9 aut 10 Patres et Fratres hic locabit. Comite istis conditionibus suffragium dante, Fratres iterato Lucaviam an. 1633 migrarunt. Antiqua difficultate circa strictam observantiam S. Regulae recrudescente, nova resignatio Claustri an. 1635 die 27. Febr. facta, et Fratribus relictio eius commissa est. Loco eorum RR. PP. Servitae [1], in ultima etiam resignatione fundatori oblati, an. 1635 die 18. Oct. subintrarunt, actu istam Marianam peregrinationem strenuo zelo excolentes [2].

§ 2.

Residentia Tetnangensis FF. Minorum Reform.

225. Tetnanga, vulgo *Tetnang* [3], civitas circuli Suevici, in Comitatu Montfortensi et Dioecesi Constant. cubans, eleganti arce Comitum de Mont-

---

[1] Neutiquam Carmelitae Discalceati, quos Gumpenberger in atlante Mariano p. 379 hic ponit.

[2] Monum. citata.

[3] Lex. Ulseni ac Hübneri. Chartae circuli Suev.

fort (vetustate sanguinis, heroica avitorum fortitudine clarissimorum) nitescit. Illustriss. D. Hugo Comes de Montfort, D. de Brigantia, Tetnanga et Argo etc., pietate in Deum et devotione in Seraphicam Religionem aliisque ponderosis motivis inductus, Monasterium Seraphicum hac in civitate exstructurus, id primitus RR. PP. Capuccinis Prov. Helvetiae [1] obtulit; at repulsam passus, Provinciae Tyrolensi Franciscanorum praesentavit, et P. Wolfgango Grindl, eius Ministro, an. 1652 die 2. Aug. id acceptante, Celsiss. ac Reverendiss. Episcopum Constantiensem, Franciscum Ioannem de Prasperg, pro dando consensu convenit. Iste reponens, rem esse examinandam, edictales Tetnangae affixit, et per duos Parochos examen, eo tempore in Dioecesi Constant. insolitum, fieri iussit. Eo necdum plene absoluto et Franciscanis non auditis, sententiam negativam tulit, aiens, quaedam requisita deesse. An. seq. pro Hospitio preces faciens, eodem responso exceptus Romamque amandatus est, viam hanc, consensu communitatis Tetnangensis, intercessionalibus Sereniss. Archiducis, Ferdinandi Caroli, ac maturo consilio excelsi Regiminis Oenipontani suffultus, selegit, simulque duos Patres, Tetnangae suas operas spirituales navaturos, recepit. S. Congregatio Cardinalium, negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, causam negati consensus inquirens, informata fuit, quod consensus Tetnangensium non fuerit serius ac satis liber, quod illi vix ad duos, multo minus ad 12 Franciscanos alendos sufficiant. Contrario ex consensu Tetnangensium [2] et aliis fontibus ostenso, negotium Reverendiss. D. Carolo Caraffa, Nuntio Lucernensi, an. 1654 pro examine commissum est. Ast eo Venetias translato, Reverendiss. Friderico Borromaeo, Patriarchae Alexandrino, eius successori, accrevit, apud ipsum tribus annis infectum residens; Ven. Definitorium morae huius pertaesum, an. 1655 Fratres Tetnanga avocavit, sancivitque, ut unus statis Festis illuc pergeret et sua obsequia spiritualia praestaret. Comes huic ordinationi acquiescens promisit, se causam, si in vita non evinceret, ultimis tabulis inserturum [3].

226. P. Ruffinus a Bludento, Prov. Tyrol. Franciscan. Minister, expensis magnis difficultatibus, quibus Fratres, brumali praesertim tempore, in accessu ad territorium Tetnangense subiacebant, illuc duos Patres cum uno Laico mittere decrevit; hoc Celsissimo Principi Constant. an. 1657 insinuans, tale responsum tulit: *Indulgemus D. Comiti hoc et omne aliud solatium perquam bene, nec habemus desuper considerationem aliquam;*

---

[1] Tunc temporis Conventus Sueviae adhuc ad illam pertinuerunt, utpote primum an. 1668 in propriam Provinciam, Austriae anterioris nomen adeptam, coalescentes.

[2] In eo dicitur Tetnangenses universim hoc pium opus desiderare, et additur: Exin in tam proficuum et solam Dei gloriam spectans propositum sine ulla coactione libere prorsus et libenter consentimus.

[3] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et instrumenta in Archiv. reposita.

causas autem, propter quas in erectionem Monasterii consentire haud potuimus nec etiamnum possumus, aliunde utique iam novit. Conformiter ad hoc an. 1659 duo Patres et Laicus Tetnangam missi sunt. Minae ex hoc actu secutae, per literas responsorias sedatae sunt. Illustriss. Comes de Montfort anno eodem a Celsiss. Principe novam repulsam perpessus, filium suum Ioannem literis aliisque necessariis instructum, an. 1660 ad Reverendiss. Nuntium Lucernensem pro negotio hoc, ad faustum finem deducendo, amandavit. Isto causam strenue urgente, dictus Nuntius vel rei anteactae ignarus aut aliunde sinistre informatus, de sufficiente potestate se excusavit, et seriem rei S. Congregationi ocius referendam serio repromisit, addens, posse interim Patres Tetnangae immorari usque ad definitionem causae. Eo ipso anno duobus Sacerdotibus Praeses accessit. Exin tota causa iterum Romam devoluta est, ubi eam praeter Comites Leopoldus I. Caesar ursit. Anno 1661 Tetnangae literae Lucernenses advenerunt, iubentes, quatenus Patres Reformati vel sufficientem exhibeant facultatem ulterius Tetnangae remanendi, vel ea deficiente recedant et ad Conventum suum redeant; at Reverendiss. D. Nuntius, aliunde melius informatus, ad mitiora deflexit. Causa hac ex defectu Advocati, corpore et animo languentis, silente, non siluit Comes Hugo, utpote qui difficultatem, ex sustentatione 12 Fratrum motam, sublaturus, ad duo beneficia fundanda sese an. 1662 obtulit, ex quorum proventibus, si eleemosynae deficerent, Fratres vitae suae consulere possent. S. Congregatione expetente, ut prius illa erigantur, pius senex falci mortis die 2. Iulii succubuit, in ultimis tabulis sanciens, ut pro Reformatis Prov. Tyrol. Monasterium Tetnangae exstruatur, et filium ad hoc ipsum serio obstringens[1].

227. Filius et heres ex asse, Comes Ioannes de Montfort, insecuturus vestigia D. patris, instrumentum de beneficio ad aedem Lauretanam iam fundato, et pro altero, donec erigatur, de 394 florenis annuatim solvendis congessit, idque Lucernam, ut inde Romam dirigatur, misit; dumque Comes non dubitaret de bono effectu et approbatione intentionis suae, scriptum est Lucerna Romam (ex cuius dictamine novit Deus), quasi Franciscani Reformati non exspectato consensu, apparando necessaria ad fabricam pergerent, eandem mox adorituri. S. Congregatio relationi huic, a veritate maxime alienae, fidem dans rescripsit: *Stante relatione habita a vestra Dominatione, et in particulari, cum ultimis suis 18. Octob. praeteriti, circa erectionem et fabricam Conventus, quem Fratres Observantes Reformati praetendunt facere in loco Tetnangae Dioecesis Constant., isti Eminentiss. mei Domini, ad relationem etiam Domini mei Eminentiss. Cardinalis Franciotti, non aestimantes opportunum concedere licentiam, mandarunt mihi subiungere vestrae Dominationi, ut omnino prohibeat*

[1] Monum. et instrumenta citata.

supradictam fabricam et erectionem. Ego propterea idipsum significo etc. Romae 9. Nov. 1663. Ad rescriptum hoc sequens mandatum, ad Comitem directum, Lucernae an. cit. die 27. Decemb. emanavit: *De mandato S. Congregationis, in qua ex commissione Suae Sanctitatis discussae sunt frequenti iam et accurato recursu vestrae in ista ditione Tetnangensi permanentiae fundamenta, media et rationes, intimatum nobis est per literas sub 9. Nov. praeteriti datas, quatenus V. V. Patribus exstruendi Conventus et extra Claustrum ulterius permanendi licentiam denegaremus, prout etc.* Fratres de mandato hoc[1] certiores redditi, licet de rescripto Romano nihil viderint et nullum apparatum ad fabricam fecerint, ceu obedientes Ecclesiae filii, die 8. Febr. an. 1664 Illustriss. Comite et oppidanis maxime dolentibus, discesserunt. Pro priori ad discessum videlicet, die 2. Febr. fatus Comes instrumentum erexit, in eo suum dolorem de denegato consensu Ecclesiastico in confluxu omnium requisitorum aliorum prodens, mentem suam firmam in mitiori siderum aspectu Provinciae nostrae oppignerans, ab ista Patres duos, in Conventu Waldseensi locandos, et certis diebus Tetnangam ad servitia spiritualia deferenda migraturos petens, specialem eleemosynam pro Conventu destinans, et distinctum aedificium pro iis erigi curans, Ven. Definitorio his omnibus grato animo subscribente[2].

228. Ex his omnibus, instrumentis authenticis innixis, constat, quod P. Romualdus a Stockachio in Hist. Prov. Austriae FF. Min. Capuccinorum[3] in hac materia subinde hallucinetur. Veritati non consonat, quod Franciscani Monasterio oblato sola Illustriss. Comitis auctoritate ac permissu in loco Tetnang stabilis cuiusdam hospitii possessionem sumserint, et interea Episcopus pro consensu conventus fuerit. Sane nec an. 1653 nec 1659 Maiores Prov. Fratres illuc destinarunt ex mente formatae et stabilis Residentiae, nec ullam manum pro formata fabrica eiusdem apposuerunt; neque per Residentiae nomen, quo hic utor, formatam et stabilem intelligo. Pariter rescriptum ultimum S. Congregationis Romanae, a me fideliter adductum, Franciscanis erectionem Conventus in Tetnang pro semel et semper non inhibuit. Denique mens Illustriss. Comitis Hugonis non haesit intra limites puri propositi, sed verum promissum, ad Deum directum, a Prov. nostra acceptatum, ultimis tabulis insertum, Illustriss. Comiti Ioanni, eius filio, pro exsecutione demandatum, elicuit. Illustriss. filius Ioannes partes suas fideliter explevit, et semper explere intendit, ab effectu per causam extrinsecam impeditus. Animum hunc an. 1680 adhuc fovit in literis ad Ministrum nostrae Prov. die 1. Martii exaratis, aiens: *Ich habe die gänz-*

[1] Lector mandatum hoc attenta mente cum rescripto S. Congregat. conferens, varia corollaria deducere potest.

[2] Monum. et instrumenta citata.

[3] p. 54.

liche Hoffnung[1]*, unser lieber Herr Gott werde mich noch die Consolation erleben lassen, meine lieben P. P. Franciscaner hier zu stabilieren; sollte ichs aber nicht erleben und so glücklich sein, werde ich ernstliche Disposition erlassen, wormit den anderen gewiss der Pass auf allezeit solle versperret sein. Hoffe aber, meine lieben Patres werden mir die Gnad von Gott, dem H. Francisco und Antonio von Padua erbeten, die von meinem lieben Herrn Vater seligen per ultimam voluntatem verlassene Fundation selber werkstellig zu machen; darauf lebe, und sterbe ich, und wird allzeit mein beständiger, unbeweglicher, unverändlicher, fester Willen sein; Gott verleiche auch seinen heiligisten Willen, und gebe die Approbation.* Mors inopinata eum invadens, impedivit, quominus tabulis ultimis mens haec illata fuerit, et RR. PP. Capuccinis viam ad Monasterium Argense, in territorio Montfortensi situm, an. 1694 stravit. Ex quo luce meridiana clarius apparuit, territorium Tetnangense haud ita esse sterile, ut Hospitium Francisc. alere nequeat. De cetero Illust. familia Comitum de Montfort pro Franciscanis Tetnangae introducendis posteriori tempore, praesertim an. 1698, 1709, 1710, 1711, 1714, 1716 et 1720 novos motus excitavit, effectu carentes[2].

229. Auctor Suev. Eccles.[3] an. 1699 prodiens, memoriam etiam facit de Monasterio Endingano FF. Min. Reformatorum in Brisgovia sito, aiens, Religiosos eius sarta tecta, superioribus annis pessime laesa, restaurare. Isti, uti et relationi cuidam fidem olim deferens, opinatus sum, hic saltem Monasteriolum seu Residentiam extitisse, et eam in Mappa Geographica Germaniae Seraphico-Observantis exposui. Ast perlustratis Monum. Convent. Kenz. ac Prov. nostrae nil aliud inveni, quam quod P. Ieremias a Bulsano, Guardianus Conventus Kenzingani, hoc an. 1676 a Gallis expilato, Endingam petierit, loco Parochi ad S. Petrum, in Helvetiam se recipientis, Parochialia munera ibi obierit, et civitatem ac utramque Ecclesiam Parochialem, genuum demissione coram Gallico Duce Monclas praemissa, a spoliatione praeservarit. Ratione huius providus Senatus Endinganus oretenus promisit, in casu Religiosorum suscipiendorum Franciscanis gratiam hanc prae aliis reservatam esse; an. 1684 die 14. Decemb. instrumentum desuper exaravit, an. 1694 die 7. Martii consensum sub certis conditionibus, a

[1] Verba ista Latine hisce sisto: *Totus spero, quod benignus Dominus Deus mihi solatium charos Franciscanos hic stabiliendi indulturus sit; si vero gratia ista mihi non obveniret, serio disponam, ut aliis via semper praeclusa sit. Confido autem meos charos Patres a Deo, S. Francisco et S. Antonio gratiam obtenturos esse, ut fundationem istam, a meo dilecto patre in ultimis tabulis relictam, ipsemet exsequi possim: supra haec vivo et morior; voluntas ista mea erit semper constans, immota, immutabilis et firma. Deus suam sanctissimam voluntatem et adprobationem adiungat.*

[2] Monum. Prov. Tyrol. Francisc.

[3] p. 314 etc.

Prov. die 9. Martii acceptatis, dedit. Duo Parochi Endingani, et totum rurale Capitulum Endinganum suum consensum adiunxerunt. Inter haec Constantiae falsissima relatio producitur, quasi Franciscani vellent Hospitium erigere absque consensu Celsiss. Principis, et protestationes, fundamento carentes, ibi producuntur. Exin Constantiae indignabundae literae ad Magistratum exaratae, et Commissarii Episcopales ad Clerum consentientem increpationis ergo missi sunt. Magistratus literis, an. 1694 die 3. April. exaratis, falsitatem rumoris aperuit, et honorem tum suum tum Franciscanorum propugnavit; forsan haec acta Auctori Sueviae Eccles. ad suum errorem ansam dederunt.

§ 3.

Domicilia desolata Provinciae Argentinensis tum Minoritarum Observantium, tum Minoritarum absolute talium, tum Conventualium intra aut iuxta limites modernos Provinciae Tyrolen-(sis FF. Minorum Reformatorum sita).

230. *Conventus Wolfeggensis Fratrum Minorum de Observantia.* Wolfeggium [1], vulgo Wolfegg, aliis Wolfeck, castrum circuli Suevici ac Dioecesis Constantiensis, inter Ravensburgum et Leutkirchium exstructum, Illustriss. Comitibus de Waldburg S. R. I. Dapiferis hereditariis proprium. Speciali familiae, ex illis oriundae, nomen adiecit, de Ecclesia Collegiata S. Catharinae V. et M. a Clericis saecularibus frequentata, gloriatur; eidem aliquando Franciscani de Observantia sua servitia praestitere, hac occasione conducti. Archiduce Austriaco Sigismundo Roboretum, vallis Athesinae civitatem Venetis tunc temporis parentem, seria obsidione premente, D. Antonius Maria Italus, Archistrategi Veneti Roberti de S. Severino filius, castra Austriaca intravit, et ad certamen singulare nomine utriusque nationis ineundum provocavit. D. Ioanne de Sonnenberg, Truchsessio seu Dapifero Waldburgensi [2], ad illud pro natione Germanica sese offerente conventum est, ut victus nomen *Catharinae* nuncupans, hoc ipso in foro externo lauro excidat. Post haec congrediuntur, et pugna acerrima habita Germanus Italum tum ut eques tum ut pedes superat. Victor supremo Numini condignas litaturus gratias, votum de Monasterio in suo castro exstruendo emisit, inque istud ab initio R. R. P. P. Benedictinos Coenobii Wiblingensis, dein Carmelitas introducere decrevit. Votis suis non

[1] Lexicon Ubseni ac Hübneri, nec non alii.

[2] Pater eius erat Eberhardus, an? 1479 vita functus. De certamine Ioannis Burglechner in Aquila Tyrol. M. S. C. 13, et Brandis in Corolla eius p. 173 plura suggerunt in actis an. 1487.

potitus, 14 Franciscanos de Observantia, videlicet 8 Sacerdotes, 4 Clericos et 2 Laicos una cum duobus Presbyteris saecularibus, in ministerium geminae Parochiae Thannensis et Wolfeggensis, specialiter deputatis, inducere statuit. Fundationem hanc primum post fata antedicti fundatoris, an. 1510 demortui, D. Baro Georgius, Truchsessius Waldburgensis, uxorio nomine ex asse heres, in opus deduxit. Iulius II. PP. isti optionem fecit, novam Ecclesiam Wolfeggensem vel commutandi in Collegiatam saecularem, vel apparandi illam in Conventum Regularem ; quare memoratis P. P. Franciscanis sua sponte alio dimissis, locus ab an. 1510 cessit Clericis saecularibus, officio Sacerdotibus novem, Ludimagistro uno et scholaribus quatuor, isthuc introductis. Conventus hic, olim Prov. Argent. adscriptus, in Tyrolensi a me tangitur, eo quod ista Wolfeggii ac in vicinia collectura fruatur [1].

231. *Conventus Neoburgensis ad Rhenum FF. Minorum Conventualium.* Neoburgum ad Rhenum [2], vulgo Neuburg am Rhein, civitas Brisgoviae olim munita, nunc propugnaculis destituta, in ditione Austriaca ac Dioecesi Constantiensi inter Basileam et Brisacum ad Rheni fluenta quiescit. In ea ante 1400 Conventus FF. Min. coaluit, Provinciae Alemannicae attributus, sub Custodia Basileensi collocatus, et a Wad. novissime edito sub nomine *Novum Castrum* ex Codice Vaticano indicatus. Incolae eius, successu temporis agnomen Conventualium adepti, Lutheranismo in vicinia invalescente alio translati sunt, et Claustrum ceu res derelicta in potestatem civitatis devenit; ista Claustrum, undique fatiscens, R. R. P. P. Capuccinis an. 1612 obtulit. Facta acceptatione novum in figura minori ex subsidiis diversorum benefactorum excitatum, et an. 1615 consummatum est. Gallicus Marchio Vaubrunius cum valida bellatorum manu Brisaco anno 1674 [3] die 2. Martii erumpens, urbem non observatus obruit, expilationi et militum insolentiae exposuit, direptam flammis exussit, eam solis Capuccinis gratiam exhibens, ut illis de comburendo Monasterio praemonitis supellectilem sacram et profanam, ceterasque res suas in tutum collocandi spatium relinqueretur. Die 9. Aprilis accurrens hostium manipulus circa horam quintam pomeridianam, urgente, uti aiebat, Regis Gallici iussu et exigente belli ratione, flammas Conventui iniicit, quae flammis auctae et pabulo provocatae, tum Monasterium tum Templum, tum fanum Parochiale et Sacellum S. Ioannis intra paucas horas in lamentabile bustum converterunt [4].

---

[1] Suev. Eccles. p. 908 etc. Manlius in Chron. Constant. apud Pistor. t. 3. p. 771.

[2] Lex. Uhseni et Hübneri. Chartae Brisgoviae.

[3] Insistendo Romualdo a Stockachio; unde annus 1675 in Suev. Eccles. erroneus censetur.

[4] Wad. t. 9. an. 1400, n. 12. p. 223. Suev. Eccles. p. 631 etc. Romualdus a Stockachio in Hist. Prov. Austr. anter. Capuc. p. 398 etc.

232. *Conventus Bettenbrunnensis FF. Minorum.* Bettenbrunna, vulgo Bettenbrunn, pagus Dioecesis Constantiensis ac Capituli ruralis Ueberlingani, Castro Montis S., in Suevia sito, vicinus, ex Ecclesia Collegiata Canonicorum saecularium inclarescit. Gregorius XI. PP. ad instantiam Prov. Alemanniae superioris Minoritarum ac Alberti, Comitis de Werdenberg, nec non Hugonis, Alberti ac Henrici, fati Alberti filiorum, Castri Montis S. ac Bettenbrunnae Dominorum, Bulla *Sacrae vestrae Religionis*, in fine N. sistenda, an. 1373 die 5. Maii indulsit, ut dicti Domini Claustrum Bettenbrunnae pro Minoritis exstruere queant. Hoc attentis limitibus Custodiae lacus Acroniani adscriptum, an. 1388, uti Chron. M. S. Prov. Argentin. adstruit, derelictum fuit, bonis eius ad Conventum Ueberlinganum translatis et Coenobio in Ecclesiam Parochialem transmutato. Ecclesia ista cum suo iure Patronatus ad Illustriss. S. R. I. Comites Fürstenbergicos, in Monte S. Sueviae commorantes, devoluta, ad instantiam Alberti, Comitis Werdenbergensis et Heiligenbergensis, eiusdemque contoralis D. Annae, Comitissae Montfortiae, qui ambo primi fundatores recoluntur, ac in eadem Ecclesia requie sua fruuntur, satagente praenobili D. Hartmanno de Burgaw sive Knöringen in Collegiatam an. 1399 apparata, B. V. Mariae quasi de novo dicata, et quatuor personis, nempe Praeposito ac tribus Canonicis instructa fuit. Subin Canonicorum numerus per duos additos accrevit [1].

Dilectis filiis Ministro Provinciali [2] et Fratribus Ordinis Minorum Provinciae Moguntinae [3] secundum morem dicti Ordinis.

Sacrae vestrae Religionis etc. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra et dilectorum filiorum Nobilium Virorum Alberti, Comitis de Werdenberg, et Hugonis, Alberti ac Henrici, Alberti praedicti Domini natorum Comitum, Moguntin [4]. Dioecesis petitio continebat, quod praefati Comites de salute propria cogitantes et cupientes terrena etc. commutare, ex speciali devotionis affectu, quem ad Ordinem vestrum gerunt, proposuerunt et intendunt pro suarum et progenitorum suorum animarum salute, et pro divini cultus et Religionis augmento de bonis sibi a Deo collatis fundare et construere in loco de Brettenbrumien [5] prope

---

[1] Charta magna Suev. Wad. t. 8. an. 1373, n. 33., ac in Regesto Pontif. p. 547 etc. Suev. Eccles. p. 161 etc.

[2] Per istum venit Hesso de Lompartheim, al. Lombardus.

[3] Collimat ad Prov. Alemanniae superioris, intra cuius Conventus praecipuos Moguntinus erat.

[4] Intellige mediate, hoc est mediante Dioecesi Constantiensi, cuius Episcopus sub Archiepiscopo Moguntino persistit.

[5] Correctius Bettenbrunna.

Castrum de Monte Sancto, Constant. Dioecesis, (quae quidem Castrum et locus sub Dominio temporali eorum consistunt) unum locum vestri Ordinis cum Ecclesia, domibus et aliis necessariis officinis. Nos itaque huiusmodi pium propositum dictorum Comitum plurimum commendantes, vestris et ipsorum Comitum in hac parte supplicationibus inclinati, eis fundandi et construendi huiusmodi locum in dicto loco de Brettenbrumien cum Ecclesia, seu Oratorio etc. et aliis necessariis officinis, in loco tamen ad hoc congruo et honesto, ac vobis locum ipsum recipiendi et inhabitandi non obstante Constitutione felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri prohibente etc. seu etiam debuerunt. Nulli ergo etc.

Datum Avenione III. Nonas Maii, anno III.

233. *Conventulus Hausacensis FF. Minorum Conventualium.* Hausachium seu Hausacum [1], vulgo Hausach, Husach ac Husen, exigua civitas Dioecesis Constant., Principibus Fürstenbergicis in re temporali subiecta, ad alveum fluvii Kinz in valle Kinzingana inter Wolfachium et Haslachium quiete sua fruitur. Hic Fratres Minores Conventuales Provinciae Argentinensis an. 1475, uti Chron. M. S. Prov. istius attestatur, ingressum habuerunt, et, si non Conventum formatum saltem Hospitium nacti sunt; suppressio eius tumultibus ex Lutheri secta natis imputatur. Auctor Suev. Eccles. ait, quod de eo nihil ruderum praeter Templum remanserit; econtra relatio mihi ex illa vicinia submissa asseverat, quod in pago Hausenbach dicto, iuxta Hausachium situato, Ecclesiam et domum Parochialem complexo, rudera cuiusdam Monasterii conspiciantur. Porro licet Domicilium hoc Seraphicum neutiquam in Austria anteriori, sed circulo Suevico cubaverit, de eo tamen Prov. Tyrol., eoquod istius collecturae illi proxime accedant, et locus inter Horbam et Selbachium in linea recta considet, agere fas duxi [2].

234. *Hospitium Laufenburgense FF. Minorum.* Laufenburgum [3], vulgo Laufenburg, civitas silvestris, in maiorem et minorem (per pontem Rheno instratum connexas) partita, Augustiss. Domui Austriacae in re temporali, in spirituali vero (quoad partem ripae boreali eiusdem assidentem) Episcopo Constant. addicta, inter Waldishutum et Seggingam ad Rhenum sita, iam in primo Ordinis saeculo Religioni Seraphicae favorem quendam impendi perspexit. D. Joannes de Gurtwilla, subin de Gutenberg dictus, miles, per opera misericordiae vitam aeternam sibi asserturus, domum suam (Laufen-

---

[1] Lex. Ulseni et Hübneri. Chartae Brisgoviae ac Ducatus Würtemberg. Suev. Eccles. p. 386.

[2] Suev. Eccles. cit. Chron. M. S. Prov. Argentin. Conventual. Romuald. a Stockachio cit. p. 112.

[3] Lex. Ulseni ac Hübneri. Romuald. cit. p. 121. Chartae circuli Suev. ac Brisgoviae.

burgi sitam) Dietrico sartori, civi Laufenburg., an. 1283 die I. April. tradidit, annexa obligatione, ut Fratres Minores, undecunque advenientes, in eadem recipiat, ac ibi eisdem se reficere, quieti vacare ac confessiones excipere indulgeat. Eberhardus, Comes Habsburgicus, Landgravius Turgoiae, cit. an. VIII. Calend. Oct. Basileae hoc ipsum ratum habuit, et Theodorico, Ministro Provinciali Minoritarum, subscribente concessit, ut domus haec Fratribus pro diversorio stabili et perpetuo, excepto casu belli inserviat. Ordine Seraphico successu temporis per Observantes et Conventuales variato, favore hoc verisimilius isti, utpote ob Conventum Schafhusianum magis propinqui, potiti sunt. Quamdiu hic incolatus duraverit, me latet. Scriptores Seraphici mihi ad manus exsistentes, de Hospitio hoc alto silent; ut autem meis verbis fidem conciliem, offero instrumenta [1].

Universis, ad quos praesentes pervenerint, Joannes miles, dictus Gurtwile, salutem cum notitia descriptorum. Quoniam, ut ait Apostolus, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam aeternam, volens diem messionis extremae operibus misericordiae praevenire, domum meam, in Loffenburg sitam, apud Ecclesiam, quam iure emphyteutico possideo et possedi, cum omni iure, quod in ea habeo vel habui, do et trado Dietrico sartori, civi Loffenburgensi, et fidei suae committo, ut Fratres Minores, undecunque venientes, in eadem recipiat et colligat, pro mea et uxoris meae defunctae et nostrorum progenitorum salute: ita quod in ipsa domo possint iidem Fratres ad reficiendum se recipere et quiescendum, nec non ad confessiones audiendas, et alias quiescere, sicut hospites et peregrini. Huius autem donationis et traditionis sunt testes Fr. Bertholdus de Tungen et Fr. Albertus de Ulme, de Ordine Minorum Fratrum, Henricus Clericus de Brisaco, Georgius Rector puerorum in Loffenburg, et alii quam plures fide digni. In testimonium igitur praemissorum sigillum meum praesentibus est appensum.

Actum anno Domini MCCLXXXIII. Kal. April. in mane diei.

Adnectitur secundum instrumentum ex Germanismo veteri ad Latinismum traductum.

Nos Eberhardus, Comes de Habsburg, Landgravius Turgoviae, notum facimus omnibus has literas visuris aut legi audituris, quod cum Nostra et Nostri cognati Rudolphi, Nostri fratris Comitis Godfridi [2] piae

---

[1] Cl. D. P. Herrgod in Geneal. Diplomat. Austriaco-Habsburg. T. 3. p. 5, 11 ac 515, citans Archiv. Laufenburg.

[2] Ex circumstantiis hoc nomen eruitur; in instrum. German. vocatur: *Grave Goet.*

memoriae filii, cuius Praefectus[1] *sumus, licentia, et Nostra bona voluntate Minores Fratres habeant domum de Guetenberg*[2] *retro Ecclesiam Laufenburgensem pro continuo et perpetuo diversorio, ut in eo possint quiescere, morari et sua eleemosyna ad libitum frui. Minister Provincialis Minorita Fr. Theodoricus*[3] *ac Fratres adpromiserunt, quod Nobis ac cognato Nostro, aut civibus Laufenburgensibas in casu belli aut necessitatis, ubi isti indigent hoc loco, velint domum cedere, ita tamen, ut necessitate amota redire possint. Ista firmaturi Nos et fatus Minister Prov. Theodoricus Nostrum sigillum in perpetuam memoriam appendimus.*

Dat. Basileae VII. Kal. Oct. Anno Domini 1283.

235. *Hospitium Fontis S. seu Schrambergense FF. Minorum Conventualium.* Locus Fontis S.[4] solitarius, et ex imagine Mariana gratiosa clarus, in Comitatu Hohenbergico superiori prope Schrambergam (civitatem et arcem) av fluvium Schiltach dictum, cubat. Conventuales hic aliquando incoluerunt Hospitium, an. 1535 in tumultibus rusticanis (Chron. M. S. Prov. Argentin. Conventual. hoc adstruit) amissum. Excell. Comes de Pissing an. 1750 et pluribus sequentibus Franciscanos Prov. Tyrol. hic introducere adlaboravit, effectu operam eius hucusque fallente[5].

§ 4.

Monasteria eversa Clarissarum et Tertiariorum Ordinis S. Francisci.

236. *Monasterium Villinganum ad S. Jacobum*[6] *Clarissarum.* Villinga (Villingen), civitas munita Sueviae, radicibus Silvae Nigrae accumbens, intra ditionem Austriacam et Dioecesin Constantiensem coarctata, olim Clarissas ad S. Jacobum intra moenia an. mihi ignoto locavit, cum tempore evanescentes, et unicum nomen Parthenii relinquentes. Monasterium Constantiense Clarissarum Constantiae, vulgo Constanz aut Costniz, civitate Austriae

---

[1] Credibilius Provincialis, vulgo Landvogt; nam instrum. German. haec verba habet: *Des Vogetwirsin.*

[2] In charta priori dominus et collator domus inscribitur Joannes miles de Gurtwile, desumto nomine a villa, seu dynastia Gurtwilana; hic vero a castro Guetenberg, dictae villae vicino, eidemque Joanni substrato, sortitur.

[3] Germani tali modo nomen Dietrich, in instrum. adhibitum, explicant.

[4] Charta magna Suev. Lex. Hüb. ac relat. particul.

[5] Chron. M. S. Prov. Argent. Conventual. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. Franc.

[6] Lex. Ulsen ac Hübneri. Suev. Eccles. p. 809.

anterioris, Episcopali Cathedra gaudente, Lacui Bodamico adjacente, olim locatum. Innocentius IV. PP.[1] Bulla *Cum Venerabilis Frater* an. 1250 Ministro Alemanniae iniunxit, ut pro Parthenone Clarissarum ab Eberhardo II., Ep. Constantiensi, nato Dapifero a Waldburg, in parte pontis Constantiensis exstruendo, Moniales et Religiosos, earum Directores, suppeditet. Clarissae ad breve tempus hic moratae, Paradisum iuxta Scaphusiam se transtulerunt, ibique Coenobium, suo loco delineandum excitarunt. Moniales hae discernendae veniunt a Sororibus S. Benedicti, Constantiae ad pontem locatis, an. 1252 Veldbachium translatis, et exin Ordinem Cisterciensium amplexis, quas Bucelinus in Germ. S. part. 2. p. 33, Lang in Ichnograph. Historico-Theolog. T. 1. p. 1078, et Auct. Suev. Ecclesiast. p. 251 ante oculos ponunt.

237. *Monasterium Wolfeggense Tertiariorum*[2] Wolfeggii, loco iam descripto, aedificatum, Provinciae Tertiariorum per Sueviam, Alsatiam et Bavariam excurrenti aggregatum, verisimilius dilatato Lutheranismo dissolutum. *Monasterium Brisacense Tertiariorum*[3] Brisaci, vulgo Breisach, Brisach, et, ut secernatur a Brisaco Alsatiae, Alt-Breisach, civitate Brisgoviae, exstructum. Urbs ista, Rheno adiecta, 5 horis Friburgo amota, Dioecesi Constantiensi et Dominio Austriaco adscripta, praealtae insidet rupi, et propugnacula, ante aliquot annos diruta, deflet; haec Tertiariis Fratribus Seraph. Ordinis opere textrino vitam sustentantibus, iam in saeculo XIII. sedem indulsit; in ista, illis Ordinem Minorum amplexis, Conventus Minoriticus an. 1302 inchoatus fuit. Lapsu temporis Tertiarii Brisaci aliud domicilium, distinctae Provinciae assertum, acquisiverunt, in quo P. Nicolaus Breysachen an. 1463 degebat, et tres Fratres ex Monasterio Herriedensi Tertiariorum Luppachium pro colonia ibi fundata vocabat. Eremitorium hoc, si non prius, certe Lutheranismo viciniam inundante evanuit.

238. *Monasterium Iglingense Tertiariorum*[4], Iglingae, vulgo Iglingen pago Rhenofeldae vicino, in saeculo XIV. aut XV. exortum. Cum hoc Fratribus non amplius quadraret, loco eorum Sorores eius Ordinis, Rhenofeldae locatae, an. 1465 admissae sunt. Auctor Sueviae Ecclesiasticae[5], innixus Chronico Hueberi col. 1337 Coenobium Tertiariorum in Heiligenberg adducenti, hoc in Castro, monti iniecto (Heiligenberg dicto), Principibusque Fürstenbergicis subiecto, collocat; at fallitur; nam hoc Ascterium in Ducatu Würtembergico, uti in Prov. Argentinensi edicam, quievit.

---

[1] Wad. T. 3. an. 1250, n. 23., et in Regesto Pontif. p. 545 etc.
[2] Hueb. in Chron. col. 1337. Suev. Eccles. p. 910.
[3] Lexica cit. Monum. Conv. Brisac. Conventual. Suev. Eccles. p. 204.
[4] Monum. Parth. Oelsperg. Ord. Cisterc., ac Segging. Tertiar.
[5] p. 398.

239. *Monasterium Silvae Dettinganae Tertiariorum.* Dettinga [1] vulgo Dettingen, aliis Tettingen, pagus Comitatus Hohenbergensis inferioris, Dioecesis Constantiensis, inter Haigerlocham et Rottenburgum cubans, ab alio pago huius nominis, inter Horbam et Glattam sito, discernendus, in vicinia sua intuetur silvam, in qua Monasterium Tertiariorum Seraphicorum, unica hora Rottenburgo et media hora Dettinga avulsum, sub ruinis ingemiscit. Istud, si non prius, certo an. 1394, quo Ioannes Buttler et Bertholdus eius frater, Commendator Coenobii (Commendae) Wildhaviensis, praedium Bodelhusii [2] coemerunt, in rerum natura stetit. A. R. P. Henricus Raich de Rottenburgo, Magister Ordinis Praedicatorum, Conventualis Monasterii Rottwilani, an. 1395 Fer. VI. post Festum S. Iacobi ratione alicuius census cum eodem contractum iniit. Inclusorium hoc anno 1419 cum Eitelio Englfrid, Schulteto Rottenburgensi, transegit, cum Aberlin Speidelin Bodelhusano, et Casparo Butter, cive Bahlingano, ratione alicuius census instrumenta erexit, et ab Udalrico Krueg, locum tenente in Commenda Hemmedorfensi [3], licentiam Sacerdotem, Sacrum apud Fratres dicturum, assumendi obtinuit. An. 1480 a Conrado Püslin de Dettinga, 1482 a Ioanne Ulmer, Dettingae degente, 1486 ab Andrea Las de Schwaldorfio [4] literas praestationum retulit, et an. 1488 a Conrado de Auw silvam emit. Maximilianus I. Imperator diplomate, Augustae Vindelicorum an. 1493 Fer. VI. post Dominicam *Cantate* expedito, Monasterium hoc in suam protectionem suscepit. Minister Provinciae Argentinensis FF. Min. Conventualium Eslingae an. 1494 in Festo S. Agathae eidem certam methodum et normam vivendi praescripsit. Eitel-Fridericus [5], Comes Zolleranus, fati Caesaris Camerarius, circa pascua a pecoribus Fratrum frequentanda 1500 Dominica ante Festum S. Michaelis sententiam tulit [6].

240. Veritati sat consentaneum est, quod Asceterio Bernsteinensi ad Observantes transeunte, etiam Dettinganum, illi vicinum, eisdem sese adiunxerit. Communitas Dettingana an. 1509 pro Coenobio hoc literas praestationum et aliquam apocham, Martinus Lezgus de Weilern infra Rottenburgum vetus scripturam de quadam praestatione an. 1514 expediverunt. Fr. Ioannes Knipfer, Tertiarius S. P. Francisci, ius suum in Ere-

---

[1] Mappa Ducat. Suev. et Monum. Horbensia.

[2] Pagus hic, Bodelhausen dictus, in Ducat. Würtemberg. versus limites Principis Zollerani considet.

[3] Commenda haec, Ord. Equestri Melit. adscripta, inter Hirlingam et Dettingam occurrit.

[4] Pagus hic Nicaro ante Rottenburgum accumbit.

[5] Gundling. in Hist. Electorali part. 4. p. 61 opinatur, quod *to* Eitel aut sit idem ac *Edel,* Lat. Nobilis; aut, cum plures Zollerani hoc nomine praeposito usi fuerint, velit dicere in lingua Germ. *Alle* seu *Lauter,* Lat. *omnes.* Econtra Abel in Hist. Prussiae coniicit, quod nomen Eitel depromtum fuerit a vetere nomine Attalus, Attilo seu Utilo.

[6] Monum. Monast. Silvae Detting. Tertiariorum, in Archivo nostrae Prov. reposita.

mitorium istud eiusque bona in praesentia P. Iosephi Velck, Nudipedis et Sueviae Custodis, Fr. Mauritii, Superioris, Fr. Alexandri et aliorum Fratrum dicti Eremitorii an. 1515 in Festo S. Chiliani cessit. Officiales dynastiae Hohenbergensis an. 1527 Aberlino Hermann, Dettingae se detinenti, tres agros, dicto Asceterio appropriatos, sub certis conditionibus locarunt. Ex hoc deduco, Fratres eiusdem circa hoc tempus Monasterium deseruisse et istud ab officio fatae dynastiae ad interim occupatum esse. Praeter literas iam tactas sex, in lingua Latina exaratae, in registro Coenobii allegantur, in quibus Indulgentiae a Legatis Apost. et Episcopis Constant. Capellae concessae, consecratio et Officia divina habenda exprimuntur. Istas nec in originali, nec descriptas perspexi; unde sufficiet, eas in genere tetigisse [1].

241. Moniales Kirchbergenses Ord. S. Dominici Monasterium suum, per ignem graviter laesum, restauraturae Ferdinandum I. Regem Hungariae ac Bohemiae, Archiducem Austriae, Austriacarum terrarum Gubernatorem, convenerunt, ut Claustrum Dettinganum, incolis spoliatum, cum suis proventibus ipsis conferre dignaretur. Sereniss. diplomate [2] Oenipont. an. 1529 die 15. Martii hisce precibus subscripsit, adiectis conditionibus, ut inventarium rerum exstantium congeratur, omnia bene conserventur, Missae statutae rite persolvantur et Monasterium, si cum tempore exigeretur, mox restituatur. R. D. Margaretha de Ow, Priorissa dicti Parthenonis, reversales de fatis punctis an. cit. die Veneris ante Dom. *Laetare* exarans, effectu non secuto causam de novo ursit. Tandem an. 1533 inventarium rerum et literarum, dicto Eremitorio adiectarum, confectum et istud Parthenoni Kirchbergensi sub dictis conditionibus attributum est. Status Austriae anterioris rescripto, an. 1539 die 4. Decemb. Oenip. lato, Moniales Kirchbergenses serio monuerunt, ut derelictum Eremitorium eiusque res melius conservent et Missas in Capella ordinate legi curent, minantes, secus ipsis illud eripiendum fore. Supplices, quas RR. DD. Canonici Ecclesiae Collegiatae Nicaro-Ehinganae ad S. Mauritium coram fato Ferdinando, Roman. Rege, pro Claustro Dettingano eidem Ecclesiae, ob Lutheranismum in suis proventibus multum diminutae, an. 1542 et seq. produxerunt, effectum nullum sortitae sunt. Successu temporis domus haec Fratrum ac ipsius Capellae in ruinas abierunt, et varia bona earum perierunt. Intra an. 1582 et 1593 sudatum est, ut fata domus cum sua Capella reficeretur, ad iura antiqua reduceretur et per Fratres Tertiarios Monasterii Bernsteinensis incoleretur. Penuria ac tenuis status istorum pios hos conatus suffocavit. Excelsum Regimen Austriae anterioris in nomine Sereniss. Archiduc.

---

[1] Mon. cit.

[2] Invenitur in Archivo nostrae Provinciae.

Ferdinandi Caroli, preces Provinciae Tyrol. occasione structurae Conventus Horbensis fusas attendentis, domum illam cum pertinentiis residuis an. 1655 eidem consignavit; Syndicus Apost. Fratrum Horbensium eandem nomine summi Pontificis anno fato recepit, et an. seq. silvam cum suis pertinentiis et iuribus, quorum Fratres capaces non erant, an. 1656 Monasterio Rottenburg. superiori Tertiariarum vendidit, pretio pro structura Conventus Horbensis applicato [1].

§ 5.

Monasteria Tertiariarum, olim Provinciae Tyrolensi Franciscanorum adscripta, nunc vel desolata vel ab ea resignata.

242. *Monasterium Horbense inferius.* Hoc ipso, quod Horbae an. 1293 (uti insinuatum num. 188.) iam viguerit Congregatio Tertiariarum media dicta, fundate opinari licet, quod etiam eo tempore inferior et superior (in hac morabantur Moniales Dominicanae) locum habuerit. Inferior, Regulae tertiae S. Francisci addicta, verisimilius eosdem, ac media usque ad an. 1580 Visitatores recensuit. Ferdinandus I., Rex Hung. ac Bohemiae, Archidux Austriae, privilegia eiusdem, a Maximiliano I. Caesare olim firmata, Oenipont. 1529 die 25. Febr. stabilivit. Parthenium hoc an. 1580 die 1. Sept. opera P. Henrici Sedulii, Ministri primi Prov. Tyrol. ac Commissarii Apost., a Prov. Argent. FF. Min. de Observantia avulsum, illi annexum fuit, Anna Herzog Matre cum 4 Sororibus consensum suum adiungente. Per exactiones in bello Suecico datas, ad tenuem statum devenit, et sat ruinosum evasit. Vi contractus permutationis an. 1642 die 30. Iulii cum inclyta Ecclesia Collegiata Horbensi cusi, isti cessit, Sororibus ad Claustrum Congregationis mediae (haec subinde superior, unice attendendo Congregationes Seraphicas Horbenses [2], vocabatur) cum oneribus et iuribus suis translatis. Solo eius modo, ut fertur, Hospitium ad Ursum insidet [3].

243. *Monasterium Nordstettense.* Nordstettum [4], vulgo *Nordstetten*, pagus inferioris Comitatus Hohenbergensis, ditionis Austriacae ac Dioecesis Constantiensis, media hora a civitate Horbensi versus Orientem deflectit. Tertiariae Seraphicae hoc in loco Clausam, Prov. Argent. aggregatam,

[1] Monum. Monast. Silv. Dettinganae, in Archivo reposita, in quo rescripta et alia instrumenta copiosa de hoc Claustro inveniuntur.

[2] Si in computum etiam venerit Congregatio alba seu Dominicanarum, ista superior erat, utpote altiori prae ceteris situ gaudens.

[3] Hueb in Chron. col. 1344 etc. Suev. Eccles. p. 447. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Parthenii Horbensis medii ac inferioris.

[4] Monum. Horbensia, et chartae Ducat. Würtemberg.

cuius initium me latet, excitarunt. Maximilianus I., Rom. Rex, eam ab omnibus oneribus et exactionibus 1502 exemit. P. Henricus Sedulius, Minister Prov. Tyrol., eandem an. 1580 die ult. Augusti a Prov. Argent. de Observantia ad illam promovit, Anna Hercker Matre cum 7 Sororibus in manus dicti Ministri obedientiam suam adpromittente. Nobilis quaedam Domina certam pecuniam pro Missis tribus in Feriis quatuor Temporum legendis, pro Monasterio an. 1596 deputavit. Maximilianus III., Archidux Austriae, Ord. Teutonici Magister, diploma praefati Maximiliani Oenip. 1609 die 4. April. ratum habuit. In bello Suecico sub Provincialatu P. Wolfgangi Grindel Monasterium expilatum fuit; Sorores eius an. 1643 die 17. Iunii in unionem cum Vestalibus Parthenii medii Horbensis conspirarunt; regressum subin anhelantes, per decretum Ven. Definitorii an. 1644 die 28. Iunii repressae sunt. An. 1654 die 13. April. Horbae mortem oppetiit Soror Maria Rap, Mater Monasterii Nordstettensis, quando hoc Horbensi adiunctum est [1].

244. *Monasterium Eitingense.* Eitinga [2], vulgo *Eitingen*, *Eytingen*, pagus Dominio temporali Austriaco, spirituali Constantiensi affixus, in Comitatu Hohenbergensi inferiori situs, iusta hora ab Horba versus Occidentem septentrionalem statione sua fruitur. Nullus dubito, Seraphicas Tertiarias hic an. 1492 Inclusorium in suo esse repositum, incoluisse. Convincor ex instrumento, Fer. IV. post Dominicam *Invocabit* [3] 1492 expedito, vi cuius Mater et Sorores dictae Clausae villam, Eitingae positam et Barbarae Lutz appropriatam, coemerunt, ac an. 1517 Bernardo Teuffel ac Auberlino Bössinger, eorumque successoribus sub certis conditionibus locarunt. Ante ortum Provinciae Tyrolensis suberat Provinciae Argent. de Observantia, a qua an. 1580 die 2. Sept. ad Tyrolensem migravit; actui huic Soror Veronica Esslinger, Mater, cum 8 Filiabus spiritualibus annutum praestitit, et P. Henricum Sedulium ceu Ministrum suum recognovit. Sororibus huius Inclusorii morte sublatis, P. Wolfgangus Grindl a Monachio, Minister Prov. Tyrol., an. 1640 die 25. August. sancivit, ut illud cum omnibus bonis et iuribus Parthenio Horbensi accrescat, hocque onera suscipiat [4].

245. *Monasterium Silchense.* Viator Rottenburgo Tubingam petens, media hora exhausta Silchium [5], vulgo Silchen, modo locum solitarium, coemeterio ac Ecclesia S. Ioannis Baptistae, ad Parochiam Rottenburg.

---

[1] Hueb. in Chron. col. 1344 et seq. Suev. Eccles. p. 640. Monum. Prov. Tyrol. ac Convent. Friburg. Franciscan. nec non Parthen. Horb. et Nordstett. Tertiariarum.

[2] Mappae Geograph. Ducat. Würtemberg. et Monum. Horbens.

[3] In instrumento etiam vocatur Dominica *alba*, conformiter ad usum plebis Sueviae, ita Dominicam primam Quadragesimae baptizantis.

[4] Hueb. in Chron. col. 1344. Suev. Eccles. p. 324. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Parthenii eversi Eitingani.

[5] Chartae Ducat. Würtemberg. ac Monum. Silchensia.

filiali, instructum attingit. Hic, si non anteriori tempore, certe an. 1490 Clausa Tertiariarum locum habuit; enim vero, Crusio teste, Mechtildis Volckmar Priorissa, seu ex nostro ore Mater Parthenii Rottenburgo-Nicarini, iuxta portam Silchensem an. cit. apocham tribus filiis Rudolphi de Ehinga, propinqui sui, videlicet Theobaldo, Burchardo et Wolfio de pecunia aliqua numerata concredidit, quam nobilis Dominus Henricus de Gietlingen et Ioannes Hipp, Consul civitatis Rottenburgensis, sigillis suis firmarunt. An. 1580 die 6. Sept. Pater Henricus Sedulius, Minister Prov. Tyrol. et Commissar. Apost., Parthenium, Prov. Argent. de Observantia aggregatum, Tyrolensi advolvit, et a Catharina Stick Matre ac 5 aliis Sororibus subditis primos obedientiae fructus retulit. Conformiter ad voluntatem Maiorum Prov. Tyrol. Clausa haec, in Suecico bello ita deteriorata, ut 12 annis incolis caruerit, una cum suis iuribus Clausae superiori Rottenburgensi 1643 die 11. Iulii adiuncta fuit, Sororibus utriusque suffragium desuper ferentibus. Vulcanus Rottenburgi an. 1644 die 19. Aug. saeviens, domum, Silchensi Inclusorio appropriatam, in tristes cineres redegit [1].

246. *Monasterium Günzburgense.* Günzburgum [2], vulgo Günzburg, civitas Marchionatus. Burgoviensis, ad Günzium fluvium, Danubio influentem, infra Ulmam 3 mill. Germ. strata, arce decorata, in re temporali Augustiss. Domui Austriacae, in spirituali vero Episcopo Augustano morem gerens, et in sua peripheria Monasteria RR. PP. piarum Scholarum, Capuccinorum, Ursulinarum ac Tertiariarum Seraphicarum circumscribit. Ultimo circa an. 1433 initia dederunt duae puellae civicae, videlicet Margaritha Einbäder et Anna Böck, quae in privatis aedibus caelibem, virtutum odore fragrantem vitam ducentes, mox alias etiam a remotioribus locis advolantes puellas in suam societatem attraxerunt, a Magistratu Günzburgensi in specialem tutelam adoptatae. Reverendiss. et Eminentiss. D. D. Petrus de Schaumburg, S. R. E. Cardinalis, effecit, ut vestibus saecularibus reiectis an. 1487 habitum tertii Ordinis Seraph. a P Ioanne Gualfardo, Prov. Argent. FF. Min. Conventualium Alumno [3], susceperint ac fatae Provinciae sese submiserint. Subin ad Prov. Argent. de Observantia transierunt, et an. 1568 Monialem Monasterii Ehingani, Regularem disciplinam ad meliorem formam efferentem, assecutae sunt; an. 1580 die 19. Sept. Provinciae Tyrol. accesserunt, Anna Herzog, Matre huius Parthenii, et 13 Sororibus subditis P. Henrico Sedulio, primo fatae Prov. Ministro, primitias obedientiae praestantibus. An. 1629 in Vigilia Pentecostes hic opera P. Henrici Seyfrid, Prov. Tyrol. Ministri, Clausura introducta

[1] Crusius part. 3. l. 9. c. 3. p. 490 etc. Monum. Monast. Silch. Tertiariarum.

[2] Lexica Ulseni, Basileense ac Hübneri, et alii.

[3] Auct. Suev. Eccles. eum vocat Ministrum; et cum in Catalogo Ministrorum Prov. non occurrat, eum sectari nequeo.

est. Provincia Tyrol. Monasterium hoc, a Conventibus suis plus iusto dissitum, an. 1636 die 15. April. resignavit. Celsiss. D. Henricus V. de Knöring, Episc. Augustan., rescripto, anno dicto[1] d. ult. Aug. Dillingae exarato, Claustrum in suam plenam iurisdictionem suscepit. Istud an. 1640 et 1655 novos motus pro suo regressu ad Provinciam, desiderato effectu carentes, fecit; de praesenti sub eadem iurisdictione in suo esse perstat[2].

247. *Monasterium Weldense.* Welda[3], vulgo Welden, pagus, uti mihi refertur, Marchionatus Burgoviensis, in Dioecesi Augustana intra districtum Capituli ruralis Biberbacensis prope oppidum Zusmartshusium situs, olim Comitibus Fuggerianis subiectus, actu pro suo Domino temporali Augustiss. Domum Austr. reveretur. Tertiariae Seraphicae ex Parthenio Weileriano (§ seq. pluribus exprimendo) an. 1570 a Lutheranis profligatae, Monumentis suis Magistratui Ulmensi concreditis, Weldae sedem figentes ac ibidem Monasteriolum, Ecclesiae Parochiali B. V. Mariae Annuntiatae contiguum, exstruentes, vitae suae ex reditibus Monasterii derelicti, iisdem a Ludovico Würtembergico Duce ad tempus vitae relictis, consuluerunt; an. 1580 die 21. Sept. a Prov. Argent. de Observantia ad Tyrolensem translatae sunt, quindecim Vestalibus (inter quas sex velatae numerabantur) P. Henrico Sedulio, fatae Prov. Ministro, obedientiam addicentibus. Matris munus eo tempore Cordula Khuen, aut (uti in Suev. Eccles. vocatur) Knörin de Tischingen sustinuit. Fridericus, Dux Würtembergicus, certior redditus, quod Sanctimoniales aliqua bona, Coenobio Weilerensi olim appropriata, alienarint, proventus earum cohibuit; mox tamen iterum indulsit, annexis oneribus, ut expensas, hac occasione factas, expungant, alienata resarciant, nil ultra alienent, contractum an. 1570 initum firment, et in cessionem Inclusorii Weilerensis, post mortem earum Monasterio Blauburano[4] advolvendi, conspirent. Iniquis his conditionibus Barbara Schmidberger ac aliae tres Sorores[5], ex fato Inclusorio residuae, an. 1596 die 15. April.[6] subscripserunt, ingenti paupertate ad hoc adactae[7].

---

[1] Constat in instrumentis authenticis; Suev. Eccles. an. 1629 pro hoc actu assignans, a veritatis tramite deficit.

[2] Hueb. in Chron. col. 1344 ac 1346. Suev. Eccles. p. 372 etc. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. ac Parthenii Günzburg. Tertiariarum, in illius Archivo reposita.

[3] Zeillerus in Chron. parv. Suev. p. 671 etc. Chartae Suev. Suev. Eccles. p. 891, et alii.

[4] Tunc temporis iam carebat suis legitimis incolis, videlicet filiis S. Benedicti.

[5] Constat ex ipso instrumento, a Sororibus formato; unde non attendo Sueviam Ecclesiasticam, unice tres Sorores allegantem.

[6] Innotescit ex eodem instrumento; Suev. Eccles. d. 30. April. allegans, aut errat aut ex alio instrumento loquitur.

[7] Hueb. in Chron. col. 1344 et 1346. Suev. Eccles. iam cit., nec non ex Besoldo p. 875 et pluribus seq. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan., uti et Parthen. Weld. Tertiariarum, in illius Archivo reposita.

248. Reverendiss. ac Celsiss. Henricus V. de Knöring, Episcopus August., Fridericum, Würtemberg. Ducem, an. 1606 die 12. Iulii conveniens, ut intuitu pauperis status Inclusorii Weldensis indulgeat, quatenus Vestalibus Weilerensibus (quarum tantum duae, sat provectae aetatis, adhuc in vivis degebant) vita functis proventus illi accrescerent, surdo cecinit. Moniales, colono villae in Heufelden [1] mortuo, eam cum praescitu Satrapae Blauburani alteri 1607 locantes, Sereniss. Ducem Würtemberg. rogarunt, ut 225 florenos, a novo colono dandos, pro Clausa Weldensi applicare queant, et responso non secuto, partem de iis receperunt. Praefato Duce ratione huius reditus in districtu Blauburano retardante, an. 1608 P. Bernardus Rast, Minister Prov. Tyrol., contractus praeteritos, in damnum Monasterii cusos, iuri Ecclesiastico et civili contrarios ac sine consensu Superioris initos, nullos declaravit, atque Parthenio Weldensi omnia iura Weilerensis attribuit, ab illo die 28. Iulii per publicum instrumentum acceptata; econtra Maximilianus III., Archidux Austriae, rescriptum anno eod. die 25. Aug. ad Ioannem Fridericum [2], Ducem Würtemberg., pro tollenda hac vexa exaravit, et responso non accepto, de novo desuper institit. Fatus Dux an. 1609 die 15. Sept. sancivit, ut media pars de 225 florenis Monialibus restituatur, et reditus, uti prius, subministrentur. Augustiss. Mathias, Caesar, an. 1614 die 22. Febr., et Anna, eius coniux, die 14. Martii fato Duci seriis literis insinuarunt, ut Moniales Weldenses, a Monasterio Weilerensi abs omni iure pulsas, in statum pristinum restituat. Imperatrici nulla, Imperatori responsio, mendaciis exuberans, an. 1615 die 9. Ianuarii data est. Sane veritati non consonat, quod Duces Würtembergici semper protectores et custodes Claustri extiterint, et Moniales libertate plena ac abs omni vi Claustrum reliquerint, uti ex § seq. innotescet [3].

249. Maximilianus III., Archidux, an. 1618 die 26. August. Neostadii literas ad Ducem Würtemberg. ratione Monialium Weldensium, circa reditus afflictarum exaravit. Morte an. 1619 in mense Martio Cunegundi Ungelter, ultimae Moniali ex Ascterio Weilerensi pulsae, filum vitae rumpente, ocius mandatum Würtembergicum de nullis reditibus Monialibus Weldensibus dandis emanavit, et documenta Parthenii Weilerensis a Magistratu Ulmensi et Monialibus Weldensibus petita fuere. Hae et ille ad instantiam Sereniss. Archiducis Leopoldi dicta documenta denegarunt; Minister vero Prov. Tyrol. [4] uti et Moniales ipsae nullitatem actuum praete-

[1] Est pagus Ehingae proximus, cuius Ecclesia Parochiae Ehinganae cohaeret.

[2] Extitit filius Friderici, an. 1608 die 19. Ianuarii defuncti.

[3] Suev. Eccles. p. 877 et plurib. seq. Monum. cit.

[4] Constat ex Monum. nostrae Prov. Auctor Suev. Eccles. etiam adiungit Guard. Augustanum; at cum Conv. Augustanus non fuerit Provinciae Tysolensi subiectus, assertum dubio subiacet.

ritorum et iustam iurium translationem opposuerunt. Sereniss. Archidux Leopoldus an. 1621 die 7. Sept., ac 1623 die 21. Febr. Ducem Würtemberg. convenit, ut reditus Monialium Weldensium interceptos extraderet. Simili a vero deviante responso, ut olim Mathias Caesar, exceptus in mandatis dedit, ut proventus Würtembergici in sua ditione fluentes, retardentur. An. 1629 in Vigilia Pentecostes Monasterium Weldense legibus Clausurae sese submisit. An. 1636 die ult. Aug. a Prov. Tyrol., illud resignante, ad Reverendiss. Episc. Augustan. devenit. An. 1640, 1655 ac 1674 reunionem ad Prov. Tyrol. affectavit, votis suis non potitum. Moderno tempore in foro conscientiae inservit eidem Franciscanus Prov. Argentinensis [1].

§ 6.

Monasterium Weilerense desertum Tertiariarum ob iura translata et situm ad Provinciam Tyrolensem revocabile.

250. Weilera, vulgo *Weiler*, al. *Weyler*, *Wiler*, pagus Dioecesis Constant. inter Parthenium Urspringense Ord. S. Benedicti et civitatem Blauburum [2] plantatus, actu Duci Würtembergico subest et sub Lutheranismi erroribus ingemiscit. In peripheria eius olim Castrum Nobilium, a loco nomen mutuantium, cubavit, qui templo an. 1155 Cal. Sept. a Geroldo Aldenburg. Episc. in honorem Christi, B. V. Mariae, SS. Nicolai, Aegidii, Laurentii, Caesarii, Wenceslai, Caeciliae, Zoae ac 11 mill. Virginum consecrato, quasdam eleemosynas pro personis, ad eius servitia assumtis, suppeditarunt. Evolutis pluribus annis [3] Adelheidis, surculus dictae stirpis, occasione lapsus in terram divinitus excitata, domunculam, Ecclesiae contiguam, construens, eidem sese inclusit, per 40 annos acta vita piissima, an. 1280 decessit, et in Parthenio Blauburano condita fuit. Successit ei Adelheidis, iuxta Felicem Fabrum Tertiaria Seraphica, quae a Parocho Blauburano exagitata Romae vivae vocis oraculo a summo Pontifice in suis petitis exaudita, et imagine lignea B. V. Mariae pro sua defensione condonata fuit. Istius ope motus omnes compescuit, exin novum Reclusorium construxit, et in eo an. 1320 piissime exspiravit. Post eam in hoc Inclusorium Gutta, an. 1357 defuncta, et postea Adelheidis Tobler, 18 annis hic solitaria, admissae sunt, ob virtutem eximiam passim ingentem aestima-

---

[1] Suev. Eccles. p. 883 et pluribus seq. Monum. cit. Zeiller in parv. Chron. Suev. p. 672.

[2] Unde non est confundendus cum loco Weiler. al. Weyr, Eslingae vicino, Parthenio Ord. S. Dominici olim decorato.

[3] Iuxta Bruschium, et attentis circumstantiis temporum; unde desero Felicem Fabrum, actum hunc ad an. 1155 revocantem, utpote qui nimium distat ab an. 1280, quo Adelheidis vixit.

tionem nactae, et velut aurum in igne tribulationum probatae. Cum ultima pia quaedam virgo (Gertrudis Schweller dicta), in arce Gerhusiana[1] 20 annis[2] Comitissae de Helfenstein a servitiis, devotam familiaritatem contraxit, et per eius conversationem ac fratris sui Bertholdi, sacerdotis Eslingani, exhortationem ita commota fuit, ut illi an. 1374 se adiunxerit, et Sponso coelesti servitia sua addixerit. Adelheide viam universae carnis ingressa, fata Gertrudis in Inclusorio haesit, et Sponsi coelestis honorem propagatura, Clausam plurium Sororum capacem exstruxit. Sedem in ea nactae sunt 13 Virgines, e manuum suarum labore viventes, quibus fata Gertrudis ceu Mater, serio pro disciplina Regulari zelans, 25 annis praefuit. Ad patres abiit an. 1400, aetatis suae sexagesimo, et in consecrato coemeterio prima humata est[3].

251. Parthenium instrumento, an. 1450 Fer IV. post Festum Exaltationis expedito, villam in pago Altbirling, Ehingae vicino, a Petro Has, cive Ulmensi, et alio 1464 Sabbato post Fest. Nat. B. V. Mariae dato, villam in Herifelden seu Heufelden, pago Ehingae adiacente, a Nobili Domino Udalrico de Westerstetten iuniore coemit; an. 1474 Confraternitati Ord. S. Dominici aggregatum, et an. seq. sub Adelheide Oswalt[4] Matre in nova et maiori forma inchoatum est; anno 1484 viginti duas Sorores, quarum 12 inclusae erant, recensuit; ab initio verisimilius Prov. Alemannicae seu Argent. FF. Min. absolute talium, dein Conventualium, et ab his verisimilius circa tempus Conventus Ulmensis, per Observantes reformati, Prov. Argent. de Observantia adiunctum est; an. 1535 potum et cibum militi tutelari, ac exin militi Belgico praebuit, et demum 46 florenos Udalrico, Duci Würtemb., numeravit; an. 1636[5] ad eius iussum calculum suorum bonorum et proventuum confecit; Ambrosio Blaurer Pseudopastori, Monasterii Alperspacensis Apostatae, Lutheri errores annuntianti, invicta constantia restitit, et iniustum mandatum de Missa quotidiana, a D. Udalrico de Weiler an. 1322 fundata, non amplius dicenda retulit. Capellanus, Confessarius Sororum, in fide aeque constans, eas SS. cibo Eucharistico clam refecit, SS. Sacramentum ex Ecclesia amovit et in Vigilia S. Laurentii inde discessit, Sororibus in largas lacrymas fusis. Consiliarii Ducis,

---

[1] Considet pro Blauburam.

[2] Anni 32, a Felice Fabro allegati, non concordant cum an. 60 aetatis et 25 regiminis; sane qua triennis servitiis suis apud Comitissam initium haud posuit.

[3] Felix Faber in Histor. Suev. p. 299 etc. Bruschius Centur. 1. Fol. 175. Crus. part. 3. l. 5. p. 266. Bucelinus in Germ. S. p. 92, et part. 3. addita p. 304. Suev. Eccles. p. 870 etc.

[4] Brusch.; nolo sequi Felicem Fabrum an. 1477 allegantem, et Matrem Adelheiden Schweller nuncupantem.

[5] Iuxta Protocoll. Monast. Weilerens. Tertiariarum.

in Vigilia S. Martini advenientes ac minis a Monialibus claves extorquentes, varias res iisdem surripuerunt [1].

252. An. 1537 in Festo Inventionis S. Crucis Monialibus Planetae nobiliores cum Albis vi ereptae sunt, vilibus ad earum ardentes preces relictis. Mandatum Ducale, sub poenis gravibus Sacerdotibus Catholicis aditum vetans, misellas adegit, ut Sorores mortuas ipsaemet, utpote Pseudopastores nauseantes, tumulo intulerint. Eodem anno a Commissariis Ducalibus ad sectam Lutheranicam amplectendam sollicitatae, ad unam omnes strenuam repulsam dederunt, et ad literas suas extradendas angariatae, eas in manu sui spiritualis Superioris esse repositas edixerunt. Actis his Stutgardiensis Locumtenens inhibuit, ne ulli census Monialibus praestentur; an. 1538 inhibitorio huic una cum Commissariis Ducalibus de novo institit, additis minis de Parthenio nunc in cineres redigendo, nunc demoliendo et de proventibus extraneis eidem non admittendis. Moniales a Deo confortatae ad haec omnia ut Marpesia cautes steterunt, finaliter rogitantes, ut ad dies vitae suae ex bonis Monasterii Wilerae alantur, aut, si et hoc denegaretur, incolumis recessus assumtis suis rebus concedatur. Post haec Commissarii re infecta quidem discesserunt; attamen vexa circa denegationem proventuum continuata fuit. Ferdinandus I., Roman. Rex, de hoc iniquo procedendi modo certior redditus, Oenipont. an. cit. d. 28. Sept. Officialibus suis et Consulibus civitatis Hohenberg. superioris et inferioris in mandatis [2] dedit, ut Moniales Weilerenses in suis proventibus tueantur, neque permittant, ut circa ipsos defraudentur. Tempore Adventus triplici interrogatorio (a novo Satrapa facto) solidum responsum dederunt, libellum supplicem (gravibus motivis refertum) pro sua permanentia et temporanea proventuum fruitione adiicientes, ac suam paupertatem, senium et morbos quarundam, praestationes, a quibus olim immunes erant, ab anno 1535 fideliter factas, ac vitam exemplarem exponentes. Dux nil aliud, nisi solam permanentiam afflictis indulsit [3].

253. Sereniore tempestate Catholicis post cladem a Carolo V. Caesare Lutheranis Mühlbergae inflictam, arridente, Moniales novas supplices pro proventibus suis, tot annis suspensis, exararunt, additis minis, se alibi, si obduratas aures invenirent, auxilium quaesituras. Responsum est, certum quantum in pecunia et frumento pro proventibus, 12 annis retentis, dandum, et omnes futuros in et extra Ducatum Würtemberg. tollendos, iisdem relinquendos fore, modo omne ius in praeteritos abdicent, Ducem Wür-

---

[1] Felix Faber cit. ac 303. Brusch. cit. Bucel. cit. Suev. Eccles. p. 872 ac Monum. Monast. eversi Weilerensis, in Archivo Prov. Tyrol. Francisc. exstantia.

[2] Diploma hoc, uti et alia instrumenta Coenobium hoc concernentia, in Archivo nostrae Prov. exstant.

[3] Suev. Eccles. cit. Monum. citata.

tembergicum cum suis successoribus ceu dominum ac protectorem revereantur, et humeros suos oneribus omnibus[1] ab aliis Partheniis Würtemberg. portatis, submittant. Necessitate compulsae in mense Nov. his omnibus subscripserunt. Preces quoque fecerant pro proventibus Capellani, ast sine effectu; quin ipsis insinuatum est, ut si subinde sacerdote Catholico (talem nunc ex Monasterio Seffling ano, nunc aliunde interea certis temporibus acciverant) sint usurae, eum Stutgardiae sistant, et si fors Parochus novae sectae ad eas mitteretur, hic munera Parochialia obeat. Sponsis Dei hoc non observantibus et exercitia Catholice continuantibus, mandatum Stutgardiense an. 1564 emanavit, sanciens, ut si sacerdos Catholicus eas accedens deprehendatur, carceri mancipetur et severae inquisitioni subdatur. Synodus Lutheranica, in Ducatu Würtembergico an. 1567 habita, sancivit, ut Monialibus Weilerensibus, sua exercitia Catholica prosequentibus remora ponatur; alia, an. 1569 celebrata, percipiens easdem tres ancillas s. habitu donasse et suis caeremoniis Catholicis insistere, decrevit, ut illud iis inhibeatur, et ni vellent novae reformationi accedere, exitus ex Monasteriolo praecludatur. Vidua Ducis hoc totum ratum habuit, et Ludovicus, Dux Würtemberg., abitum Sororum, voluntati suae non obtemperaturarum, decrevit[2].

254. Commissarii Ducales, nempe Christophorus Binder, Pseudoabbas Monasterii Adelbergensis[3], Magister Ioannes Enzlin et quidam alii an. 1570 die 4. Iulii Rosinam Röth Matrem, et 18 Sorores[4] eidem morem gerentes, singulatim totis viribus tentarunt, ut literas Monasterii extradant et dogmata Lutheri amplectantur, minantes disgratiam Principis ac alia mala, si hoc recusarint, et hoc per substitutos die 5. Iulii renovarunt. Illis circa literas vetus responsum dantibus et a fide nec lato ungue recedentibus, Mater cum octo Sororibus[5] ad Monasterium Urspringense abducta, Schelklingae literas Parthenii Ulmam promovit. Sponsae Christi tantis vexis exagitatae diplomati Ducali die 6. Iulii subscripserunt. Synopsis eius stetit in his: Moniales intra mensem emigrent; proventibus suis ad dies vitae fruantur; nihil de bonis suis alienent; literas suas Ulmae reponant; Claustrum post mortem earum cum omnibus bonis et iuribus Duci Würtembergico cedat. Eodem die Ulma testimonium de depositione 46 literarum, a Monialibus facta, tulit. Post haec residuae Sorores Inclusorium suum

[1] Unde responsum Würtembergicum (Archiduci Leopoldo an. 1623 datum) asseverans, Moniales Weilerenses semper omnibus oneribus subiacuisse, in veritatem deliquit.

[2] Suev. Eccles. p. 872 etc. Monum. cit.

[3] Istud, etiam Magdelbergense dictum, olim Ord. Praemonstrat. nunc saecularisatum, in Praefectura Schorndorfensi Ducatus Würtemberg. considet.

[4] Suev. Eccles. nomina earum p. 875 exprimit.

[5] Iuxta relationem Matris fatae, in Archivo Prov. nostrae depositam.

deseruerunt, una cum primitus abeuntibus Weldae sedem figentes. Ulteriores vicissitudines, quas ibi sustinuerunt, in descriptione Parthenii Weldensis insinuavi. Praefectura Blauburana an. 1637 Principi Tyrolensi attributa spes de recuperatione huius Parthenii affulsit; ast eam Westphalica pax, an. 1648 cusa, succidit. Monasterium hoc ex triplici capite ad Provinciam Tyrol. reduci potest: 1. Propter Coenobium Weldense, ei olim subiectum, iura illius attrahens; 2. Ob situm in feudo [1] Austriaco; 3. Ob collecturas, quas Provincia Tyrolensis prope Weilerium frequentat [2].

§ 7.

Residua Monasteria desolata Tertiariarum Seraphicarum, ad Provinciam Tyrolensem ob iura translata aut situm revocanda.

255. *Monasterium Salmanshofiense.* Salmanshofium, vulgo Salmanshofen, pagus Dioecesis Augustanae, haud procul a fluvio Lyco, in Marchionatu Burgoviensi et districtu ruralis Capituli Oberdorfensis positus, Parthenium Seraph. tertiae Regulae eversum deflet, cuius Protectores quin, uti vult Chronicon Pappenheimense, Domini Biberbacenses Mareschalli extitere. Wilhelmus et Henricus ex eorum stirpe prodeuntes, fratres, filii Hildeprandi, an. 1309 vita functi, Coenobium hoc ad meliorem fortunam extulerunt. Ortum eius Crusius et alii ad an. 1200 referunt; ast, cum tertia Regula S. P. Francisci primum an. 1221 exarata sit, aut circa an. exordii lapsum fecerunt, vel Monasterium primitus ab incolis alterius Ordinis inhabitatum est. In gratiam eiusdem Lazio teste, Udalricus de Ilsung Comes (III. huius nominis), intra an. 1340 et 1367 florens, fundationem fecit [3].

256. Lazius modo citatus, et Franciscus Petrus in Suevia Ecclesiastica [4] mentionem faciunt de *Parthenio Reichenbachensi*: iste illud in Marchionatu Burgoviensi locat, et coniecturaliter tertio Ordini S. Francisci adscribit. In Marchionatu isto non invenio alium locum, nisi pagum Rotenbach, infra Günzburgum inter Burgovium et fluvium Danubium situm; ast, hic aliquando extitisse tale Parthenium, nullum vestigium hucusque deprehendi; unde opinor, quod per istud Raitenbuechense, in Bavaria superiori ac Dioecesi Augustana situm, aliquando a Monialibus (uti Hund. auctus t. 3. p. 99 attestatur) inhabitatum, de praesenti a solis Canonicis Regul. S. Augustini

---

[1] Suev. Eccles. p. 872.

[2] Suev. Eccles. p. 875 etc. Zeiller in Chron. parv. Suev. p. 672. Monum. cit., in Archivo Prov. nostrae unacum variis instrumentis exstantia.

[3] Lazius de Migrat. gentium l. 7. p. 329, l. 8. p. 407. Crus. part. 2. l. 12. cap. 8. p. 536. Suev. Eccles. p. 737. Henninges in stirp. German. et Galliae t. 4. p. 468.

[4] P. 707.

possessum veniat. Crusius[1] et Auctor Suev. Eccles.[2] Sororibus Tertiariis etiam addicunt *Coenobium Althemiense,* Althemii (Altheim), pago Riedlingae vicino, positum, an. 1157 ab iisdem inhabitatum et actu suppressum, aientes, quod Sorores istae feudum quoddam Conradi Comitis in Marchdorf, in Wasserschapfen situm, ab Equite Wernhero Altheimio, qui eo feudo utebatur, permissu Conradi Comitis ad se redemerint. Scriptoribus his, cum tertius Ordo S. Francisci primum anno 1221 natus fuerit, adstipulari nequeo; si tamen tempore aliquo Tertiariae Althemii moratae fuissent, in quodam ex posterioribus saeculis hoc contigisset.

257. *Monasterium Berckhemiense.* Berckhemium, vulgo Berckheim, Bercka, pagus Sueviae, civitati Marchdorfio vicinus, olim Parthenium Seraphicum, Ecclesiae Parochiali S. Mariae contiguum, anno mihi ignoto excitatum, Prov. Argentinensi FF. Min. Conventualium subiectum, numeravit. Isto a Suecis an. 1634 direpto et exusto, novum an. 1655 exstructum et intra breve tempus ad duodenarium numerum Sororum elatum fuit; quod 1687 Reformationem a Monialibus Brigantinis S. Annae introductam admisit, et iurisdictioni Nuntii Apost. Lucernensis cessit. An. 1689 Sorores eius translatae sunt Marchdorfium, ibi actu residentes, uti cap. ult. huius libri dicetur[3].

258. *Monasterium*[4] *Inzkofiense.* Prope Sigmaringam in Dioec. Constantiensi et ditione Principum Hohenzolleranorum caput effert Parthenium Canonissarum S. P. Augustini, vulgo Inzkofen dictum, olim a Monialibus Seraphicis tertii Ord. S. P. Franc. inhabitatum, hac via ortum. Mechtildis et Irmengardis, duae puellae civicae, Sigmaringae ex honesta Sonerorum familia natae, Deo maiori cum spiritu servire cupientes, aediculam quandam, a civitate dissitam et Sacello S. Mauritii ac Sociorum M. M. vicinam, an. 1354 selegerunt, in ea tanto cum fervore Deo servientes, ut intra quadriennium pluribus puellis in suam societatem tractis, ad numerum duodenarium ascenderint. Novella haec plantatio, tertiae Regulae Seraphicae addicta et structurae proprii habitaculi intenta, mire a Deo adiuta fuit. Templum novum, Monasterio adiunctum, una cum coemeterio adhaerente an. 1384 in honorem SS. Trinitatis, B. V. Mariae et Ioan. Bapt. solenniter consecratum fuit. Nobilis vir Ekardus de Reisach an. 1391 Monialibus totius areae circumiacentis districtum onere perpetui Anniversarii apposito, transcripsit. Burchardus[5], Ep. Constantiensis, eas commovit, ut an. 1394 ab Ordine tertio S. Franc. ad Ordinem Canonicum S. Augustini

---

[1] Part. 2. l. 12. p. 385.

[2] P. 42.

[3] Suev. Eccles. p. 563. Bullar. Capuc. t. 4. p. 73 etc.

[4] Suev. Eccles. p. 449 etc.

[5] Baro de Höwen, an. 1385 Cathedram ascendens. Catalog. Ep. Const.

sese transtulerint, mutatione an. eodem die 6. Oct. firmata et die 27. Oct. ad effectum deducta. *Monasterium*[1] *Dotternhusanum.* Dotternhusium, vulgo Dotternhausen, pagus Dioec. Constant., Decanatui Ebingensi olim adscriptus, in Comitatu Austriaco Hohenbergensi superiori inter Bahlingam et Schembergam satus, Parthenium Seraph. tertiae Regulae aliquando conclusit, per calamitates ex Lutheri secta natas, absorptum. Fundus eius et aliquales reditus, utcunque servati in saeculo XVII. in rurale praedium transierunt, Collegio Nicaro-Rottenburgensi inclytae Soc. Iesu, uti attestatur Auctor Suev. Ecclesiasticae, appropriatum.

259. *Monasterium Rottenburgense ad Nicarum* intra moenia. *Rottenburgum* praeter Parthenium Nicaro-Ehinganum, actu exstans, etiam intra sua moenia conclusit aliud, tertio Ordini S. Francisci adscriptum. Sororibus eius usque ad duas vita functis, Eytel-Fridericus, Comes Zolleranus, Maximiliani I. Caesaris Camerario-Capitaneus in Comit. Hohenbergensi, 1495 die 25. Febr. nomine illius in mandatis dedit, ut nulla puella amplius ibi induatur, sancivitque, ut bona et proventus Claustri duabus Monialibus e vivorum calculo sublatis, partim pro pauperibus, partim pro sumtibus aedificatoriis civitatis applicentur. Unica Sorore adhuc superstite cives et Consules assentiente Caesare et Hugone de Landenberg, Episc. Constant., Claustrum et reditus in usus et subsidium pauperum et infirmorum converterunt. Factum Alexander VI. iuxta Meliss. an. 1499 IV. Idus Maii Bulla *Regimini universalis*, iusta Wad. 1500 approbavit. Ultra hoc iuxta Crusium aliud Parthenium in fata civitate consedit, actu eversum, de quo tamen sat certus non sum, an Ordinis S. Franc. extiterit[2].

260. *Monasterium Wolfacense* seu *Veteri-Wolfacense.* Wolfachium, vulgo Wolfach, in ditione Fürstenbergensi et Dioecesi Constantiensi, duplex numeratur, unum *vetus* seu *superius* dictum, in valle Stiplissaviensi situatum et unica hora ab altero remotum, pagi seu communitatis vallensis conditione afficitur; alterum vero *novum* seu *inferius* nuncupatum et fluvio Kinzio adiectum, civitatis dignitate fruitur. Tertiariae Seraphicae, si non ante, certe paulo post an. 1300 in loco priori Inclusorium excitarunt, in quo V. Leutgardis, virtute et donis extraordinariis clarissima, an. 1302 (al. seq.) divino Sponso sua servitia addixit, ex eo an. 1324 discedens, et exin Parthenio Witticensi Tertiariarum initium dans. Lapsu temporis Wolfacense Monasterium omnino defecit[3].

261. *Monasteriolum Friburgense in domo Crozingana.* Friburgi iam

---

[1] Charta Ducatus Würtemberg. Crus. L. Paralip. p. 56. Suev. Eccles. p. 291.

[2] Crus. L. Paralip. p. 56. Wad. t. 15. an. 1500, n. 55. Meliss. an. 1499, n. 1. Suev. Eccles. p. 729.

[3] Chartae Brisgoviae ac Sueviae. Suev. Eccl. p. 902 etc. ac 908. Unglert in vita V. Leutgardis p. 20 etc.

ante an. 1300 Congregatio piarum personarum, tertiae Regulae S. Francisci addictarum, (sine votis tamen solemnibus) viguit, pro suo Superiore Ordinarium Constantiensem colens; locum dabat tum personis solutis tum ligatis, et aliqua decedente bona relicta inter Sorores distribuebat. D. Catharina, Henrici viri Equestris de Crozinga vidua, an. 1307 in Festo S. Agnetis ordinavit, ut in domum suam (*Crozingensem* nuncupatam, Friburgi exstantem) ipsa et quibusdam aliis mortuis, 40 Sorores tertiae Regulae a Guardiano Conv. Friburgensis introducantur, et proventus pro earum sustentatione taxavit. Sorores Tertiariae, an. 1421 in hanc domum immissae, eam circa tempus, quo Universitas Friburgensis fundata, contractu venditionis alienarunt, et subin ad locum Agnelli seu montem Crystallinum sedem nactae sunt [1].

262. *Monasteriolum Friburgense ad Pavonem.* D. Ioannes Brechter an. 1348 in ultimis tabulis decrevit, ut domus sua, *ad Pavonem* dicta, Friburgi invenienda, 30 pauperibus Tertiariis pro habitaculo inserviat, et una mortua mox altera assumatur. Voluntatem hanc Rev. D. Godefridus de Hartkirch et Bertholdus de Tiengen, Capellani Ecclesiae Parochiae Friburg., an. 1351, quo fundator obiit, ad effectum deducere inceperunt. D. Rudolphus de Kilchen, Schultetus Friburgensis, circa hanc domum ordinationem aliquam, in Monast. Friburgensi Clarissarum tactam, an. 1445 fecit. Universitate Friburgensi inchoata, aequalem sortem ac domus Crozingana subiit. Porro hoc et prius Monasteriolum in Monum. meis vocantur domus Regulares; unde Monasterii nomen adhibere nolui [2].

263. *Monasterium Friburgense ad Agnellum.* Otto [3], Ep. Constantiensis, regimen Sororum translatarum R. D. Henrico Kolcher, Doctori ac Parocho Friburg. nec non Subdelegato Sedis Apostolicae, commisit, qui iurisdictione saeculari suppressa, ante contractum, an. 1489 initum, sancivit, ut in hoc Monasterium unice personae status soluti susciperentur, et quaelibet Professa tria vota Evangelica nuncupet; pro prima Matre Verenam Bergler de Vitoduro [4] deputavit. Sorores an. 1489 domos in loco Agnelli seu montis Crystallini coemerunt, pretio a D. Iacobo Basenstein, Patritio et Consule civitatis, numerato. Universitas Friburgensis eo ipso anno 45 florenos solvit pro exstinguendo omni iure, Sororibus ad suas domus competente. Tenues reditus Monasterii ansam dederunt, ut, pluribus Sororibus ex domibus Regularibus mortuis, regulariter tantum septendecim novum Parthenium, iurisdictioni Episcopali subiectum, incoluerint. Leo X. PP. an.

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Monast. Friburg. Clariss.

[2] Monum. cit.

[3] Intelligitur IV., Comes de Sonnenberg, an. 1484 electus.

[4] Civitas haec, vulgo Winterthur vocata, in Helvetia cubat.

1520 quarto Non. Maii (Pontificat. an. VIII.)[1] Bulla *Honestis supplicum votis* plenam iurisdictionem Episc. in hoc Parthenium (adiectis in contrariantes poenis) firmavit. Et Lucas Conratter, Praepositus ad S. Stephanum, Commissarius ad hoc deputatus, die 28. Nov. id exsecutioni dedit. An. 1615 ad instantiam Celsiss. Principis Const. huc Anna Luz, Monasterii Ehing. Vestalis, missa fuit, ut disciplinam Regularem ad meliorem formam efferret; quae negotio suo rite peracto, an. 1617 rediit. Decretum Constantiense, an. 1650 die 8. Oct. latum et die 17. exsecutioni datum, illud Clarissis Friburgensibus, uti n. 169. pluribus edixi, adiunxit[2].

264. *Monasterium Rhenofeldense.* Rhenofelda, vulgo *Rheinfelden*, civitas silvestris ditionis Austriacae ac Dioecesis Basileensis, inter Seggingam et Basileam ad Rhenum sata, olim Parthenium Seraph. tertii Ordinis, 50 circiter Sorores complexum, coarctavit, de cuius initio et interitu nihil solidi habeo. Münsterus ait, id situm fuisse in eo loco, quo suo tempore schola sedem habuit[3].

265. *Monasterium Iglingense.* Tertiariae quaedam Seraphicae Parthenii Rhenofeldensis, maiorem quietem spiritus affectantes, Margaretham de Hungerstein, Parthenii *montis oliveti* seu Oelspergensis Ord. Cisterciensis[4] Abbatissam, in secundo anno regiminis, uti vult Münsterus, sicque an. 1442 aut sequenti[5] convenerunt, ut ipsis duas villas *Iglingae* concedat, et structuram Coenobii, per suam industriam et subsidia benefactorum exstruendi, indulgeat, addentes, se Abbatissam pro sua fundatrice et Domina veneraturas, et Matrem iuxta eius voluntatem selecturas fore. Abbatissa precibus his aut non subscripsit, aut saltem effectum eis dare haud potuit, utpote an. 1452 ab Officio amota. Defectum eius supplevit Margaretha de Tachsberg, loco Tertiariorum Tertiarias Rhenofeldenses an. 1465 die 15. Oct. suscipiens. Lutheranismo et Calvinismo viciniam inficiente, numerus Sororum usque ad duas depressus est; unde Regimen Ensishemiense eas dimittens, protectorio nomine Claustrum occupans, id Administratori saeculari concredidit. Reverendiss. Zacharias, Episc Pharensis et Legatus Apostolicus, apud Ferdinandum I. Caesarem a Parthenio Oelsperg. conventus, ut bona Inclusorii Iglingensis eidem addiceret, an. 1561 die 11. Oct. annutum dedit, addita conditione, ut causa plenius inquiratur, et etiam omnes interesse habentes, audiantur. Parthenium votis suis non potitum, novas preces ad Ferdinandum Archiducem, cognomento Magnanimum, 1578 fecit.

---

[1] Errant assignantes an. 1524; nam Leo X. an. 1513 V. Idus Martii electus, et an. 1521 obiit. Wad. et alii.

[2] Monum. citata, nec non Conv. Friburg. Franc. ac Monast. Ehing. Tertiariarum.

[3] Lex. Ulseni ac Hübneri. Sebast. Münsterus p. 588. Monum. Monast. Segging. Tertiariarum.

[4] Nobile hoc Parthenium Ord. Cisterc. Rhenofeldae adiacet.

[5] Ista non an. 1433, uti ait Münsterus, sed an. 1440, uti Monum. Parthenii Oelsperg. asseverant, electa est.

Iste Oeniponte an. 1579 die 13. April. consensum, ad libitum tamen revocabilem et adiectis variis obligationibus dedit. Motus successu temporis pro restitutione Tertiariarum facti, effectu suo caruerunt[1].

266. *Monasterium Uberlinganum*[2] *ad Pratum,* Uberlingae, civitate Imperiali, in decursu L. sistenda, an. mihi haud noto erectum, ab alio ad S. Gallum discernendum, ac vulgo *an der Wies* dictum. In synodo Provinciali Constantiensi, an. 1567 coacta, asseritur, quod nullus pro eo praesentem se stiterit. Hoc, si non in saeculo XVI. certe in XVII. suum esse amisit. *Monasterium Constantiense*[3] ad lacum Acronium. Tertiariae Seraphicae Constantiae ante an. 1250 collegialem vitam ducere inceperunt, utpote isto anno locum suae habitationis Minoritis cedentes, et ad domum *Congregationis* (Germ. *Versammlung* nomine distinctam, Minoritis pro incolatu ab an. 1240 inservientem), et exin lapsu temporis a civitate aliorsum translatae. Monialibus Parthenii Altdorfensis tertii Ordinis an. 1525 istud cum iuribus suis Magistratui politico consignantibus et sensim omnino deficientibus, Reverendiss. Abbas Gerwicus Coenobii *ad vineas* Ord. S. Benedicti effecit, ut Ursulae Negeler ceu Praefectae, et Margaritae Berger, Sororibus Tertiariis Constantia accitis, Coenobium vacuum extraditum fuerit. Subin (tempus determinatum me latet) domus Constantiensis Tertiariarum evanuit, nec hucusque amplius apparuit.

CAPUT VII.

DIGNITAS PROVINCIAE TYROLENSIS D. LEOPOLDI

FF. Minorum Reformatorum ex virtute manans.

267. Primitias laboris, capite isto exantlandi, Personis Seraphicis, ante ortum Provinciae Tyrolensis in falcem mortis actis, consecro; licet enim Provinciis aliis insertae fuerint, attamen in Coenobiis, actu Provinciae Tyrolensi substratis, moram duxerunt et cineres suos reposuerunt; sicque de his et illa gloriari poterit, esto primario ad Provincias pertineant matrices. Inter eas tamen praetereo Fratres Provinciae Austriae in Conv. Bulsanensi ac Suazensi vita functos; cum enim eorum acta iam in Prov. Austriae stiterim, non convenit, ut ea repetam[4]. Exin, observato ordine chronologico et discrimine inter Fratres primae Regulae, Clarissas ac tertii

[1] Münsterus p. 588 et seq. Monumenta Parthenii Oelsperg. Cisterc., Igling. ac Segging. Tertiariarum.

[2] Acta Synodi Prov. Constant. an. 1567, fol. 284.

[3] Speth. in Chron. Constant. p. 208. Suev. Eccles. p. 84.

[4] Nomina horum Fratrum ex Prov. Austriae desumenda, in appendice apponuntur. *(Nota editoris).*

Ordinis S. Francisci asseclas, descendo ad eos, qui Provincia iam nata, virtute fulserunt. Ultimate subiungam quaedam generalia, ad virtutem Provinciae facientia et eius zelum insinuantia. Haud paucos hoc in negotio in apricum producam errores, subin ex sinistra informatione, subin ex neglectu debitae circumspectionis, fidelitatis ac crisis in publicum effusos. Amor veritatis, ab Historico toto corde fovendae, hoc exigit. Sane circa annum et diem mortis mihi, ex Necrologio Provinciae ac Coenobiorum procedenti, insistendum. Auctores Menologiorum Seraphicorum, uti ipsimet in praefationibus fatentur, saepe saepius diem mortualem nescierunt et de Persona virtuosa in die, ad libitum assumta, egerunt; debita proinde cautela usi non sunt illi scriptores, qui illis innixi ocius asseverarunt, illas Personas tali die obiisse.

§ I.

Vita Venerabilis Magdalenae Beüttler seu a Kenzinga, in Monasterio Friburgensi Clarissae, an. 1458 defunctae.

268. Venerabilis haec Sponsa Christi Kenzingae, Brisgoviae civitate, an. 1407 die Veneris, et quidem in Vigilia Fest. S. Mariae Magdalenae [1] luci huic primum ave dixit. Pro parentibus suis D. Georgium Beüttler, alias Bittler, et Margaretham de Wertentertur [2], coniuges speciali virtute nitentes, suspicit. Deus nativitati eius specialibus praelusit signis, aviae eam ut lilium, supra columnellam elegantem arboris assurgens, matri vero ceu turrim altissimam, margaritis repletam, ostendens. Pater, postquam uxor sua istam prolem conceperat, carceri mancipatus, die, quo Magdalena ex carcere materno movit, ex civili dimissus fuit. Mater evolutis duobus ab hac nativitate annis, ad mortem decubuit; ast marito se pro victima Deo offerente sanitati restituta, et ille vita destitutus fuit. Exin vidua variis, etiam status Equestris procis ad nuptias eam invitantibus, repulsam dedit, filiolam suam, de qua a quodam servo Dei intellexerat, quod ad Monasterium Friburgense Clarissarum destinata sit, sanctissime educavit, et tanto amore in eam exarsit, ut retinere ipsam voluerit; at, Deo ipsam in filia puniente, citato gressu Ecclesiam adiit, supplici genu de errore veniam ac amotionem poenae petiit et obtinuit [3].

269. Magdalena 5 annos attingens, a matre ad fatum Monasterium

---

[1] Asseverant hoc Protocolla Conv. Friburg. Franciscan. et Monast. Friburg. Clariss.

[2] Per locum hunc verisimilius venit Vitodurum, Germ. Winterthur, Helvetiae civitas, Cantoni Tigurinae asserta.

[3] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. Franciscanorum, nec non Monasterii Friburg. Clarissarum.

delata et Monialibus concredita fuit. Moram hic ducens, servitio divino sese plene consecravit, et a donis extraordinariis accensa, in virtute mire profecit, obedientiae voto matura assultus ad exitum a matre nec non a Senatu factos, fortiter repressit, exin a matre ad cor suum soli Deo consecrandum novis stimulis excitata. Porro mater, si non ante, certe paulo post ingressum filiae bona sua sat pinguia piis locis et personis transcripsit,. 9 annis vitam pauperrimam, meritis tamen ditissimam, egit, exin Dominicana in Monasterio Colmariensi ad Tiliam inferiorem [1], subin in Basileensi *ad lapides* extitit, in fama specialis virtutis spiritum emittens. Magdalena suis exhortationibus et exemplari vita effecit, ut Monasterium paupertatem perfectam cum plena rerum communitate admiserit. In tempestate contra se an. 1431 excitata, immota stitit, gaudens, quod cum SS. Redemtore facta fuerit opprobrium gentis et abiectio plebis, probe sciens, ut sub coronato Sponso eius Sponsa spinis destituta non sit. Virtutum eximiarum exercitium ab ea continuatum, ora loquentium iniqua sensim obstruxit [2].

270. Ven. Serva Dei eximiis claruit virtutibus. Articulis fidei firmiter adhaesit, ad sanguinem pro iis fundendum paratissima, per preces spe eximia animatas, varia bona pro se et aliis obtinuit. In charitate exarsit ceu Seraphim, propter eius excessum crebro in exstases, subin in raptus tracta. Pro salute proximi ferventissimas preces fudit, austeritatesque varias ad iram Dei leniendam adhibuit, Sorores suas verbis et literis, spiritu plenis, ad ferventius virtutum exercitium allexit, et plurimas animas purgatorii ignivomis virtutum actibus a flammis exemit. Solida humilitate imbuta, irrisiones gaudio, honores dolore excepit, et maculam sagae ei a quibusdam inustam, invicto animo abstersit. Coenobium vix ingressa firmum decretum corpus cibo et potu nunquam satiandi fecit, et intra limites necessariorum pro conservanda vita haesit. Subin solo pane et aqua reficiebatur, subin octo dies, aliquando 15 dies sine cibo transegit, ordinarie post Vesperas primitus cibum accepit, et in fine refectionis aliquid de amara herba, *Enzian* dicta, gustavit. Pro lecto ei nuda humus aut saccus, pro pulvinari truncus ligneus panno obtectus, inserviebat. Corpus cruentis flagellationibus, spisso ac piloso fune, acuto cilicio, frigore, calore, indusio ex crinibus contexto et staminibus ferreis intersecato, castigavit. Sat frequentes infirmitates hilari cum animo sustinuit, loco calceorum usa est soleis corrigiis instructis, subin aculeis aut lapidibus armatis [3].

271. Erga SS. Trinitatem intensissimam devotionem alens, Sorores ad eius cultum efficacissime excitavit. Christum tenerrimo amore prosecuta

---

[1] Insistendo libello, de eius vita conscripto; relatio alia dat, eam primo in Monasterio Basileensi, dein Colmariensi vitam egisse et in hoc obiisse.

[2] Monum. cit.

[3] Monum. cit.

est. Aliquoties oculis corporeis tormenta Christo illata hausit, aliqua eorum in corpore sensit, et totam noctem in colendis mysteriis passionis Dominicae consumsit, una vice tanta compassione in Iesum passum abrepta, ut sanguinem sudarit, et hic ex unguibus manuum ac pedum ebullierit; pari ardore ferebatur erga Eum, sub speciebus Eucharisticis latentem. Deus, Monialibus Magdalenam, utpote consueta aetate in primis ingressus annis destitutam, a sumtione huius SS. Sacramenti arcentibus, eam in periculosum morbum studio, uti ex praevia revelatione ei constitit, egit; inde evenit, quod hoc cibo ter pretioso refecta fuerit optimo cum effectu, utpote abs mora sanitati restituta. Crebro in sumtione eius miram dulcedinem ac alia extraordinaria dona retulit, et subinde supernaturali modo SS. Hostiam accepit. Magna quoque ei inerat devotio in Spiritum sanctum; ad Eum, Monasterio in gravi calamitate versante, ex divino instinctu recurrit, et ocius exaudita in devotione hac stabilita fuit [1].

272. Virtutem eximiam Ven. Magdalenae copiosa dona extraordinaria firmant; inter quae veniunt visiones supernaturales, exstases, raptus, notitia occultorum, praedictio veridica futurorum et quaedam alia, bona ex conscientia conscripta. Personae quoque variae, in suis necessitatibus ad illam Servam Dei recurrentes, exauditae sunt, suam gratitudinem per oblationes et anathemata relicta prodentes. Libellus scriptus de eius vita plura de his suggerit; interim, cum nullus processus pro beatificatione huius Personae adhuc institutus sit, et quidam velit, ut ista omittantur, mentem meam ipsi conformavi [2].

273. Tandem mors exercitium virtutum Ven. Magdalenae an. 1458 die 5. Decemb. [3] stitit, copioso populo ad funus accurrente. Facies eius post mortem suavitate sua intuentes recreabat, nullum signum mortis demto pallore referens, et oculum sinistrum paulisper apertum praesentans. Sepultura ei in primo loculo a structura Monasterii versus praedium D. Thurner [4] obvenit. Fertur, quod Ven. Magdalena praedixerit, Monasterium eversum iri, quando in eo tres Magdalenae convenerint. Hoc accidit an. 1623, ubi hic degebant Helena Magdalena Brack, Abbatissa huius Monasterii, Brixina accita, Magdalena Geisser, in Religione Caecilia dicta, et Magdalena Decker, Novitia. Demolitio Monasterii an. 1644 die 28. Iunii sub Ludovico Kanowsckii, Duce militari Sueco-Gallico, exsecutioni mandata est. Anonymus de quindecim internis Christi doloribus, huic famulae Dei revelatis, (libellum a S. Congregatione [5] an. 1759 confixum) Augustae typis

---

[1] Monum. cit.

[2] Monum. cit.

[3] Constat ex Necrol. Clariss. Friburg., Protocollo earum ac Conv. Friburg.; unde attendi non debet dies 10. Ianuarii in Menol. Hueberi allegatus.

[4] Recensetur inter fundatores Monast. huius.

[5] Index librorum prohib. an. 1761, p. mihi 319.

commisit. Ex quo fonte iste dictas revelationes hausit, me latet, et vita scripta, qua hoc § usus sum, de iis nihil suggerit; libellus hic correctus nec non noviter approbatus, Pedeponti an. 1760 de novo prodiit[1].

§ 2.

Virtus Clarissarum Brixinensium in persecutioni gravi, ex obedientia Summae Sedi delata surgente, elucens.

274. Canonici Brixinenses Ioanne VI. de Salina, Episcopo Brixinensi, an. 1450 ex virorum calculo amoto, votis suis ad Leonardum Wismayr, Tyroli[2] Parochum, Consiliarium Austriae Ducis ac Principis Tyroleos[3] collimarunt. Nicolaus V. PP. suis ex causis, quas discutere mei fori non est, electionem cassavit et Nicolaum Cusanum[4], S. R. E. Cardinalem titulo S. Petri ad Vincula ad istam Cathedram extulit, sat difficulter ad istam admissum. Evolutis aliquot annis gravissimum dissidium inter Principem Tyroleos et Cardinalem efferbuit, ortum ducens partim a praetensionibus, a Cardinale in quaedam loca Austriacae ditionis factis, partim a quibusdam Clericis, reformationem a Cardinale introductam fastidientibus. Dissidium maximopere Georgius de Haimburg, Ecclesiastici status mastix, vir quidem perdoctus, attamen Hussitico veneno infectus, sicque iuri sacro non addictus, ex Moguntina ditione paulo ante proscriptus et in aula Tyrolensi locum nactus, fovit. Iste, uti fertur, sua arte effecit, ut agmen militare equitum ac peditum Brunopolim, vulgo Bruneck, moverit, civitatem hanc an. 1460 (iuxta quosdam ipso Paschatis Festo, iuxta Burglechner Fer. II. Paschatis) expugnarit et Cusanum, quum Officiis divinis vacare vellet, in suam potestatem redegerit. Captivus, hic[5] ad tempus detentus, demum sub certis conditionibus dimissus est. Pius II. PP., quum per mitiora remedia, ab initio pro satisfactione condigna obtinenda applicata, nihil proficeret, subin graviora arripuit, iterato Censuras evibrans, ac loca Ducalia, exin etiam Episcopalia Interdicto gravans[6].

275. Clarissae Brixinenses, ab Em. Cusano haud ita pridem ad me-

---

[1] Monum. cit.; de hac Serva Dei strictim agunt Hueb. in trip. Chron. col. 195, et in Menolog. die 10. Ianuarii, Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 370.

[2] Per istam hic venit pagus cum arce, Meraniae vicinus.

[3] Principes Tyroleos Austriaco-Habsburgici an. 1450 nondum utebantur titulo Archiducis.

[4] Agnomen hoc a Cusa, patria sua, vico ad Mosellam in Dioecesi Trevirensi sito, attraxit.

[5] Burglechner in Aquila Tyrol. M. S. c. 13. et alii, maiorem mihi fidem facientes, ac ii, qui asserunt, Cardinalem fuisse Oenipontem abductum.

[6] Burglechner modo cit. Hueb. in Chron. col. 1126 etc. Wad. t. 12. an. 1451, n. 51., t. 13. an. 1461, n. 4. Eggs l. 3. p. 144. Schmid in Tyroli Sanct. part. 3. p. 65 etc. Fugg. p. 663. Brandis. part. 1. p. 170. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Monast. Brix. Clariss.

liorem disciplinam reductae, hoc Interdictum ad consilium Hermanni [1], Confessarii sui, graviter decumbentis et paulo post obeuntis, observabant, esto alii, licet trina vice intimatum fuerit, id non curaverint. Miserunt insuper duos Fratres Romam ad Papam et Cardinalem Cusanum, qui Sorores Interdicti, prima et secunda vice lati nescias, excusarunt, et copiam in Ecclesia Monialium ianuis clausis bina vice per septimanam Missas dicendi nactae sunt. Elegit quoque Sanctissimus Martinum de Rottenburgo, (qui in Monum. Archiv. Prov. nostrae Martinus Wela [2] dicitur) Minoritam, ut malis ex hoc casu oriundis obviaret, processus ratione eius dudum factos promulgaret, — et percepto periculo vitae, cui suberat, Bulla *Mittentes nuper* Romae VIII. Cal. Novemb. an. 1461, Pontif. an. quarto exarata ac in Annal. Wad. expressa, a me tamen ob quaedam verba aspera omissa, fidelibus dictum P. Martinum in sui ministerii exsecutione protegentibus, hospitio excipientibus, necessariis providentibus, in itinere securitatis ergo conducentibus aut comitantibus duos annos et totidem quadragenas de iniunctis poenitentiis relaxavit, idque toties quoties id ante elapsum unius an. fecerint. Occasione hac horribilis tempestas supra Fratres et Sorores confluxit. P. Martinus literas Pontificias insinuans, in vincula coniectus, Oenipontem perductus, ibi carceri mancipatus, plures timores de morte violenta sustinuit, et saepe alta voce exclamavit: *Misericordia! Misericordia!* Eleonora, nata Scotiae Regina, Princeps Comitissa Tyroleos, eidem compatiens effecit, ut libertati restitutus fuerit. Fratres Residentiae Brixinensis minas nunc de poenis corporis, nunc de ipsa morte inferenda sustinentes, et octo diebus circiter in superiori Coenobii parte delitescentes, tandem nocturna fuga sibi consuluerunt. P. Nicolaus Preiss [3], Confessarius Monialium, P. Hermanni successor, ab inimicis interceptus, tredecim septimanas Brixinae in squalore carceris transegit. Clarissae Patribus suis spiritualibus orbatae, per 16 septimanas legibus Interdicti instilerunt, maiorem indignationem sibi conciliantes et in maiora actae pericula [4].

276. Intercessio plurium quidem maius malum ab his Vestalibus amovit, non tamen exsilium; enimvero an. 1461 in Vigilia SS. Chrysanthi et Dariae eis intimatum est, ut, si vitae suae consulere velint, hac nocte adhuc discedant. D. Dorothea Koler, Abbatissa, ex Monasterio Norimberg.

---

[1] De hoc Necrolog. Parthen. Brix. asseverat, quod an. 1461 vixerit.

[2] Agnomen hoc credibilius a stirpe, et prius a patria fluxit; vir hic occasione Monasterioli Campidonae erigendi Romam missus erat.

[3] Hueb. et Schmid virum hunc perperam Nicolaum Helmann baptizant; pariter *to* Preiss credibilius est agnomen stirpis, et non patriae; ex Necrol. Brix. habeo, quod hic vir an. 1505 decesserit.

[4] Wolckenstein in Chron. M. S. Tyrol. l. 13, p. 307 etc. Wad. cit., nec non t. 13, an. 1461, n. 4. et 5. Hueb. in Chron. col. 1131. Schmid cit. Monum. Prov. Tyr. Franc. et Parthen. Brix. Clariss.

accita, ad haec intrepide reposuit: *Numero plures Sorores, inter quas aliquae senes et infirmae sunt; hinc si hodie adhucdum abeundum, currus, fidelis conductor et necessaria pro victu nobis suppeditentur; secus manebimus, spe firma lactatae mortem nobis inferendam vindicatum iri.* Paratis his omnibus Moniales (31 numero, inter quas quoque infirmae), coena sua (in offa ex hordeo constabat) necdum ad finem deducta, octo curribus insederunt, et nocturno tempore, incolis passim compatientibus ac in lacrymas solutis, abductae sunt. In prima statione nocturna venit ad eas conductor constitutus, totus primitus ferox, qui ad preces Abbatissae eum, ut munus patris erga exsules gerat, exorantis, agnus mansuetissimus evasit, saepius compassivas lacrymas in itinere fudit et omnem charitatem misellis impendit. Exin attigerunt Oenipontem, in hospitio expensis Ducissae Eleonorae refectae, spe tamen sua de gratia per Ducissam et Consiliarios Aulicos impetranda delusae, ocius iter suum prosecutae sunt. Conductor Tyroli emensa rediit, Clarissas sibi concreditas cum lacrymis dimittens[1].

277. Exsules evitato periculo vitae (currus ex praecipitio vix non in aquam acti fuissent) Campidonae appulsae, uno cum dimidio die in hospitio D. Kaufmann, ac 8 diebus in domo R. D. Udalrici Schneck, Capellani ad S. Stephanum extra moenia in leprosorio, moram duxerunt. A. R. P. Ioannes de Lare, Vicarius Provincialis Argent. Provinciae de Observantia, interea Campidonae adveniens et Sorores cum lacrymis excipiens, istas exin in Monasterio Lenzfridano, novissime inchoato, Fratribus ad civitatem amandatis, locavit, et Mechtildem, olim Ludovici Comitis (Duces eo tempore non erant) Würtembergici, tunc vero temporis Alberti VI., Austriae Ducis[2], uxorem, desuper certiorem reddidit. Ista magno ex hoc nuntio perfusa gaudio, scopum suum iam pridem fixum de Monasterio Pfullingano Clarissarum reformando, exsequi decrevit, annutum filii sui Eberhardi, Ducis Würtemberg., elicuit, et currus cum pecunia sufficienti Campidonam misit, quorum adminiculo Moniales ad ipsam Rottenburgi in arce degentem, adductae sunt. Ingenti eas excipiens laetitia ac honore, ac per dies tres detinens, iisdem ad mensam servitia praestitit ac interea effecit, ut per filium Eberhardum et Priorem Carthusiae Guttensteinensis[3] Conventuales a Monasterio Pfullingano amoverentur. Post haec una cum exsulibus ad fatum Monasterium movens, in hoc eas praesente filio una cum quibusdam Consiliariis ac praefato Priore in Festo B. V. Immacul. immisit, ac id Prov. Argent. de Observantia adiunxit. Pius II. PP. de ca-

---

[1] Wad. t. 12, anno 1451, n. 51. Monum. cit. Wolckenstein. cit. Hueb. in Chron. col. 1131, et in Menol. die 15. Oct.

[2] Filius Ernesti Ferrei, Austriae Ducis, ac frater Friderici III. Caesaris extitit.

[3] Sedem habuit in Ducatu Würtembergico prope Aurachium, et actu inter ruinas ingemiscit; de eo plura habet Auct. Suev. Eccles.

lamitatibus Monialium Brix. instructus, ad eas solandas Breve *Intelleximus ea* an. 1462 exaravit; licet autem hoc totum ob quaedam acerba verba adducere nolim, fas tamen duxi sistere partem [1].

Pius Papa II.

Dilectae in Christo filiae salutem et Apostolicam benedictionem.

Intelleximus ea, quae etc. Hic tribulationes, quibus hae sponsae Christi exagitatae fuere, et istarum fortitudo exprimuntur, additis his verbis: *At vos non solum mitti in exsilium praeelegistis, sed in omnem mortem potius, quam a Religiosae fidei constantia et S. Romanae Ecclesiae obedientia discedere, ex hoc utique praemia sanctarum Christi Martyrum in gloria immortali recepturae.* Post haec conqueritur Papa, quod non solum Laici et idiotae, sed etiam Canonici et aliae status Ecclesiastici personae, nec non Doctores summi fidem Deo datam violarint, et subiungit: *Vos sexu debiles et aetatis robore non vigentes, in interitum tamen secum pessimo et damnatissimo suo exemplo trahere non potuerunt. Quocirca tanto maiori gloria in hoc mundo fulgebitis et in futuro; ipsi enim, qui ex vestra fortitudine se omni honore damnatos vident, nullam amplius excusationis causam valentes allegare, coram facie Dei et S. Ecclesiae comparere verecundabuntur. Atque ita vestra generositas et virtus, ubique magnificanda, lux facta est omnibus, qui recte vivendi semitam non relinquunt. Nam quis audeat metu hominum malorum Deum et proprium honorem negligere, conspecto vigore vestrae probitatis. Toties virorum triumphatorem improborum, diabolum, hoc actu prostravistis, quot ille in suam redegit servitutem vasa aeternae captivitatis. Gaudete igitur et laetamini fortissimae Christi ancillae, quia cum Sponso vestro ac Domino malignum superastis: perseverate usque in finem, demum cum sanctis Virginibus lucidas mansiones possessurae. Ceterum, ut intelligatis, Nos vestra virtute magna laetitia esse perfusos, de thesauro meritorum Christi vos participes fieri optantes, cuilibet ex vobis atque ex dilectis benefacientibus vobis utriusque sexus, quos quaelibet vestrum usque ad septenarium numerum elegerit, ut Confessor, quem elegeritis, iuxta formam inclusam vos ipsas et quamlibet electam a vobis, ut praefertur, personam, confessam et contritam semel in vita et in mortis articulo, ab omnibus peccatis, etiam reservatis Apostolicae Sedi, absol-*

[1] Wolckenstein cit. p. 308 etc. Hueb. in Chron. col. 1132 etc. et in Menol. die 25. Oct. Gonz. in Prov. Tyrol. Monast. I. perperam aiens, Moniales Ulmae receptas esse. Wad. cit. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Monast. Brix. Clariss.

vere et plenariam omnium peccatorum Apostolica Auctoritate remissionem impendere possit, praesentium tenore concedimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI. Februarii 1462, Pontificatus Nostri anno quarto.

LIANORUS.

In inscriptione haec legebantur verba: *Dilectis in Christo filiabus, Abbatissae et Sororibus S. Clarae de Brixina, nunc in Pfullingen commorantibus anno 1462.*

278. Moniales Brixinenses a Pfullinganis magna cum caritate acceptatae, istas ad meliorem disciplinam, successu temporis ad Monasterium Seflinganum [1] propagatam, revocarunt. Lite inter Sedem Pontificiam et alteram partem ad interim continuata, Fridericus III. Caesar, cognomento Placidus seu Pacificus, ne maiora adhuc enascerentur mala, sese interposuit, eoque negotium perduxit, ut restinctis odiis Princeps, Georgium de Haimburg [2], malorum incentorem, sua ex aula fugaverit, cum Cusano sub certis conditionibus convenerit ac in gratiam redierit. Quo facto, adnitente Cusano, Summus Pontifex mitigatus, Rudolpho, Episcopo Lavantino, commisit, ut latum anathema revocet ac absolutionem impertiatur. Cusano anno 1464 die 11. Augusti mortuo, conventio ad Episcopos in Cathedra Brixinensi succedentes extensa fuit. Serena haec tempestas fugatis Sororibus viam ad reditum aperuit. Octodecim earum post Festum S. Martini an. 1464 e loco exsilii discedentes maternum Claustrum in Festo S. Andreae Apostoli cum gaudio intrarunt. Laetitiam adauxit, quod hoc in pristino invenerint statu, proventus ex sale et frumento reservatos acceperint, et a Principe novis gratiis, in descriptione Parthenonis expositis, affectae fuerint [3].

279. Durante exsilio ad coelestem patriam, uti pie speratur, migrarunt an. 1462 *M. Agnes Reisner*, quibusdam *Resner*, olim Abbatissa Monasterii Brixinensis, post Dominicam *Quasi modo geniti infantes*, ac *Eli-*

---

[1] Istud iam pridem stetit; unde Gonz. aiens, hoc erectum esse occasione Monialium Brixinensium, non est attendendus.

[2] Hic in Bulla modo allata ex defectu scribae aut alterius male Gregorius vocatur; nam ex aliis instrumentis et plurimis Auctoribus constat, quod Georgius audierit.

[3] Wolckenstein cit. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Monast. Brix. Clariss. Gonz. in Prov. Tyrol. Monast. I., qui tamen lapsum fecit, aiens: Monast. hoc Prov. Argent. in reditu obvenisse; nam isti iam ante 1455 accrevit. Hueb. in Chron. col. 1136. Schmid in vita SS. Tyrol. part. 3. p. 63.

sabetha Sebner in festo S. Thomae. an. 1463 vitae periodum absolverunt. *D. M. Dorothea Koler* [1] ex Monasterio Norimbergensi ad Brix. evocata, istius, uti et Pfullingani Reformatrix ac Abbatissa, invicti in tot adversis animi, die 2. Ian. defuncta, et *Dorothea de Brunopoli* die 28. Iulii; an. 1464 *Clara Niederer,* Dominica *Vocem iucunditatis, Anna Wipfl* die 28. Iulii, *Adelheidis Hafner* Fer. III. ante Festum S. Bartholomaei, *S. Heydel* in festo S. Mauritii. In regressu Clarissarum Brixiń. quinque istarum Pfullingae remanserunt, videlicet *Catharina Vollet,* an. 1489 mortua, *Catharina Widmann* an. 1490 Fer. VI. ante Cathedram S. Petri defuncta, *D. M. Barbara Böch,* Abbatissa et Priorissa Monast. Pfullingani, ex Norimbergensi ad Brixin. translata, Fer. VI. ante Festum S. Mauritii 1505 exstincta, *Margaretha Fleischmann,* an. 1510 obiens, *Christina Reiselt,* an. 1512 vita exuta; ista a Sororibus Norimberg. Brixinam tendentibus ceu Laica suscepta, Brixinae Soror Choralis evasit, tempore Interdicti pistilla campanarum, ut saeculares istas in pulsum agere nequeant, amovit. Pro accelerato itinere in exsilium providentiam admirandam exhibuit, Sororibus itinerantibus plurima obsequia detulit, in corpus suum severe animadvertit, in Festis solemnibus pedes Sororum humillimo osculo excepit et ab illis conculcari voluit. In duobus ultimis annis infantem induit et ad Christum parvulos anhelantem, pervenit [2].

280. Petrus Ant. de Venetiis [3] asserit, quod Mechtildis, n. 277. tacta, mortuo marito Clarissa evaserit. Sane sinistre; enimvero ex Historicis Palat. et Würtemberg. constat, quod in saeculo manserit, et 1482 obierit, Tubingae sepulta. Porro Georgius de Haimburg, ex aula Tyrolensi proscriptus, recepit se in Bohemiam, et Primatum Summi Pontificis acri calamo invasit, Georgio Podiebradio, Bohemiae Regi, contra Sedem Pontificiam adhaerens. Ratione huius vagus iste iam antea ob operam Diethero, Moguntino Archiepiscopo, contra Summum Pontificem navatam, nigro calculo notatus, ac a Pio II. anathemate percussus, a Paulo II. P. an. 1468 nova fulmina super caput suum congessit. Videtur, quod ad finem vitae resipuerit; etenim Sixtus IV. P. diplomate, an. 1471, XVIII. Calend. Ian. lato, Theodorico de Schönberg, Misniensi Episc., in mandatis dedit, ut eum veniam cum humilitate petentem, ab anathemate absolvat; qui hoc ipsum in praesentia Ernesti et Alberti, Saxoniae Ducum, et quorundam Canonicorum Ecclesiae Misniensis, Fer. V. ante Dom. Palmarum an. 1472 Dresdae exsecutioni mandavit. De cetero eodem anno in mense Aug. Doctor Georgius de Haimburg, a Calesio etiam

---

[1] Hueb. in Chron. perperam mortem istius ad an. 1464 revocat, et hunc errorem in Menolog. corrigit.

[2] Monum. cit. Hueb. in Chron. col. 1136, et in Menolog. die 1. Maii.

[3] In Horto seu Viridario Seraph. t. 1. p. 751.

Syndicus Norimbergensis vocatus, Dresdae morte naturali ex hac vita migravit [1].

§ 3.

Acta virtuosa quarundam Tertiariarum ante ortum Provinciae Tyrolensis exspirantium.

281. In tertio Ordinis saeculo Monasterium *Warthusianum* nitore eximio virtutum *Elisabetha* quaedam (cum B. Elisabetha Aich, vulgo *bona Betha* cuius cultus publicus novissime a Summa Sede approbatus est intima cordis familiaritate coniuncta et specialibus donis a Deo ditata) illustravit; quae longo tempore (relatio mihi ex Parth. Warthus. facta duos aut tres annos assignat) sine corporali cibo vitam transegit, et pure in spiritu orationis cum Deo conversata est. Ven. Conradus Kugelin, dictae B. Bethae, in Monasterio Reuthensi [2] Tertiariae piissimae, Confessarius, de ea memoriam facit his verbis: *Postquam* (B. Betha) *per quotidianas veras et integras peccatorum confessiones eo perfectionis devenit, ut ab omni impuritatis labe immunem conscientiam sibi pararet, accidit die quodam, ut intus per internam Spiritus sancti motionem (qua de re non dubito) se moveri sentiret, quo deinceps omnem corpori escam subduceret, neque homo exinde esse desineret aut humanam naturam exueret, quod licet mirandum et supernaturale quid iure sibi videretur (siquidem nihil simile a se auditum unquam), tamen evenit; mox ab ipsa vocatus, quod consilio et auxilio sibi opus esse diceret, venire non renui. Porro non ignorabam, nunquam nisi urgente necessitate ipsam mihi consuevisse nuntium mittere. Ad se venienti aperit, qua ratione sibi inspiratum et revelatum fuisset (me etenim inconsulto nullum arduum opus aggrediebatur), quod deinceps absque omni cibo vitam transigere deberet. Tale autem a me tunc tulit responsum, gravem nimis et perdifficilem rem istam mihi videri, ac proinde statim expediri non posse, verum acrius a me eam animo ponderandam, piorum ac spiritualium hominum consilia in hac re esse exquirenda. Et ita me recepi in Warthusiae Inclusorium, prope Biberacum situm, ad quandam devotam Sororem inclusam, quae etiam Matris munus in eodem Inclusorio obibat, cui nomen itidem Elisabeth; huic exposui Bonae Bethae de Reuthe internam mo-*

---

[1] Petr. Ant. de Venet. modo cit. Monum. citata. Hueb. in Chron. col. 1126, 1127. Schmid. cit. pag. 66. Calles in serie Episc. Misn. p. 304 etc. Mencken. t. 2. ex Monachio Pirnensi. col. 1511 de Georgio Haimburg longe benignius, quam par erat, sentiente.

[2] Monast. hoc hora circiter a Waldsea versus Occidentem deflectit, et Prov. Argent. FF. Min. Conventualium actu subest.

tionem et propositum, ut supra scriptum est. Illa ut matura, prudens et pia Soror ex sacra pagina respondet in hanc sententiam: Deus est omnipotens et possibilia cuncta facere potest; si Dei haec est inspiratio atque eius opus, fieri procul dubio poterit; an non filios Israel, quorum erant multa millia, quadraginta annis in deserto Manna pavit coelesti? quare saepe ante dicta Soror omni penitus cibo corporali per integrum triennium abstinet. Actum et scriptum Waldseae in Monasterio, anno post Christi ortum 1421 [1], *postridie Festi Corporis Christi.* Quo anno et die V. Elisabetha Warthusiana ex hac vita ad coelestem thalamum avocata fuerit, me latet. Hueb. mortem eius ad diem 27. Aug. revocans, diem ad libitum selegit; aiens vero ibi, eam Reuthe ad lacum Silvestrem (intelligit Waldseam) obiisse, hallucinatus est, et sibi in Chron. tripl. Warthusii eam condenti contradicit. Sane Monasteria Reuthense, Waldseense et Warthusianum Tertiariarum nomine et re distincta sunt. Traditio Sororum fert, quod, quando pro structura sacristiae Parochialis fundamenta effossa fuerant, alicubi recens sanguis ebullierit. Parochus de hoc monitus, locum obstruere iussit. Opinio haud infundata hoc mirum factum ad corpus V. Elisabethae retulit, cum olim hoc in loco Moniales tumulo mandatae fuerint, et ista in virtutibus prae ceteris eminuerit [2].

282. Elisabethae huic adiungi posset *B. Elisabetha Aichl,* seu potius *Aichler* [3] (communiter *Bona Betha* nuncupata) Waldseae an. 1386 nata, Tertiaria Seraphica Monasterii Reutensis, aliis *Reüthensis,* olim Rutensis, virtutibus heroicis exornata, donis extraordinariis divinitus exculta, S. Stigmatibus insignita, miraculis ante et post mortem clara, an. 1420 in Festo S. Catharinae V. et M. ad meliorem vitam translata; at, cum Monasterium Reuthense Provinciae Tyrol. nunquam substratum fuerit, vitam eius fusiori calamo delineare nolo. Scio quidem, quod Waldseae degens, iam exstiterit Seraphica Tertiaria, et una cum aliis sub praetacti Conradi Kugelin directione vixerit; at, uti iam dixi in descriptione Part. Waldseensis, in formato Claustro non habitarunt. Plura de hac serva Dei, haud pridem Beata declarata, in Provincia Argent. seu Germaniae superioris in medium adducam [4].

283. In Monasterio *Oglspirensi* [5] currente tertio Ordinis saeculo quaedam Sorores speciales virtutum radios sparserunt. Una Soror clausa con-

---

[1] Annus hic alludit ad tempus descriptionis congestae.

[2] Hueb. in Chron. col. 1353, et in Menolog. die 27. Aug. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 373. Monum. Collegii Waldseensis Canon. Regul. S. August. Prov. Tyrol. Franc. et Monast. Warthus. Tertiariarum. Processus Beatif. B. Elisabeth. Reuth. p. 19 etc.

[3] Pater enim eius vocabatur Achler.

[4] Marianus ab Orscelar. p. 682, et plures alii.

[5] Protocoll. Parthenii Oglspirens. in actis an. 1460.

templationi vacans, apud suum lectum ad genua demissa, oculos et manus ad astra dirigens expiravit, et ita inventa fuit. Soror alia non clausa seu anteforalis, in agro manipulos frumenti cum aliis colligens in exstasin abrepta fuit, a sororibus aliis, ne exteri hoc advertant, demesso frumento obtecta. Parthenium quoque *Ehinganum* in quarto Ordinis saeculo Moniales virtute eximia nitentes, bina sponsi coelestis visione recreatas, numeravit, uti fusius cap. 5. § 2. n. 184. exposui. Iam progredior ad virtutem Provincia iam orta, fulgentem.

§. 4.

Vita Reverendissimi P. Ioannis Nasi, Episcopi Bellinensis, Suffraganei Brixinensis, zelosi propagatoris S. Fidei et haeresum mastigis.

284. Reverendissimus *Ioannes Nasus,* vulgo *Nas,* Eltmanae, urbicula Franconiae in ditione Herbipolensi ad Moenum infra Bambergam sita, an. 1534 die 19 Martii lucem hanc primis usurpavit oculis. Parentes eius Wolfgangus Nas et Magdalena, stirpe Schuman, ex civium gregariorum sorte, filium Bambergam miserunt, ut ibi artem sartoriam addisceret. Ista instructus perrexit Norimbergam, inde in Bavariam, ubi evoluto saepius aureo libello de Imitatione Christi stimulos ad Ordinem Seraphicum sentiens, ut voti sui compos reddatur, humillime Superiores Provinciae Argent. de Observantia convenit. Istis annuentibus in Conventu Monacensi, tunc temporis Provinciae fatae[1] inserto, an. 1552 s. habitu donatus et emenso tirocinio ad s. Professionem an. seq. die 5. Aug. admissus est. Ingolstadium deputatus de die servitia sua in sartoria praestitit. Ingenti tamen pruritu ad studia exagitatus, noctu lampadem in dormitorio ante divae Virginis statuam ardentem, adiit, ac studio linguae Latinae et aliarum rerum, ad rem facientium, tanto cum profectu vacavit, ut ad Clericatum promotus an. 1557 Frisingae Sacerdotii charactere insignitus fuerit, et an. 1559 Theologicas lectiones in Universitate Ingolstadiensi frequentare coeperit. Ad collecturas emissus in Cathedris ita peroravit, ut ocius famosus Concionator audierit. In concionibus seria iocis distinxit et plurimos auditores numeravit. P. Georgius Clostermayr, Minister Prov. Argent. Seflingae an. 1560 electus, eum selegit, ut Ingolstadii contra Lutheranismum, ingressum tentantem, e pulpito detonaret. Straubingae, ubi hoc virus a pluribus attractum, an. 1566 munus Concionatoris gessit, et an. 1569 in

---

[1] Prov. Bavarica primitus an. 1625 surrexit; unde Sannig sinistre hunc virum alumnum Prov. Bavaricae vocat.

Capitulo Provinciali Ingolstadiensi qua Guard. et Praedicator Conventus Ingolstad. in Custodem creatus est[1].

285. Amplissimi fructus, quos hic vir in Cathedra et extra eam produxit, S. Pium V. P. moverunt, ut eundem Concionatorem Apostolicum declaraverit et variis favoribus vivae vocis oraculo donaverit. Verisimilius hoc accidit an. 1571, quo in Generali Capitulo Ord. Romae e rostro in lingua germ. dixit. Sereniss. Archid. Ferdinandus, Tyroleos Princeps, ipsum an. 1572 ad pulpitum Aulicum adscivit, et Christophorus de Capite Fontium, Minister Generalis Ord. Seraph., Commissarium Prov. Argent., Austriae et Bohemiae creavit. In hoc munere an. 1574 Fratres Prov. Argent. ad Conventum Oenipotanum adduxit, istumque illi plene inseruit. Gregorius XIII. P. eundem an. 1578 Commissarium super Monasteria Seraphica[2], intra Ditionem fati Ferdinandi plantata, constituit. Franciscus Gonzaga, Minister General. totius Ordinis eum anno 1580 die 18 April. Coadiutorem et quasi Definitorem Prov. Tyrol. noviter erectae deputavit, et hoc ipso anno die 19. Maii fatus Papa Bulla *Apostolatus officium* eundem Episcopum Bellinensem[3] et Suffraganeum Brixinensem, annua pensione 200 aureorum assignata, decrevit. Dignitate Episcopali a Reverendiss. et Celsiss. Principe ac Episc. Brixinensi Ioanne Thoma de Spaur anno eodem die 18. Sept. in Dominica inauguratus, suae originis probe memor, forficem Insignibus suis apponi voluit, aemulatus Willegisum[4], carpentarii filium, qui ad Archiepiscopalem Cathedram Moguntinam elatus, insignia non tantum rota exornare, sed etiam lecto suo haec verba inscribi iussit: *Willegis, Willegis! recole, unde veneris*[5].

286. Ioannes Nasus ad dignitatem hanc viam sibi stravit per ardentem zelum quo afflatus pro fide Catholica fortiter decertaverat, Lutheranorum technas feliciter dissipaverat et plura millia eorum ad Ecclesiam Catholicam reduxerat. Numerosa opuscula contra novos Sectarios ab ipso congesta, Cap. seq. sistenda, innuunt, quod Controversista insignis, terrificus Acatholicorum mastix et gloriosissimus eorum victor extiterit. In Episcopali dignitate constitutus Capellam in coemeterio Brixin. Clarissarum in hono-

[1] Hueb. in Chron. col. 559 et 673 etc., nec non in Menolog. die 3. Sept. Sannig part. 5. Chron. p. 343. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Monum. Prov. Tyrol. ac Prov. Bavar. Franciscan. Kressling. in Ortu et Progressu ord. S. Francisci p. 319. Hilarion Staffler in Script. Prov. Tyrol. Franc.

[2] Constat ex litteris, ad Archid. Ferdinandum a Papa datis.

[3] Per locum Cathedrae huius verisimilius venit Caesarea Philippi, civitas Galileae ad fontes Iordani et radices montis Libani sita, nunc Belline ac Bolbeck vocata, in qua olim erat Episcopatus sub Archimandrita Tyrensi.

[4] Hueb. istum sinistre Ord. Seraph. adscribit; nam obiit an. 1011, quo Ord. Seraph. necdum stetit; constat ex Serrario et aliis Auctoribus.

[5] Hueb. in Chron. col. 560 etc., 673, 678 et 997 etc., et in Menolog. die 3. Sept. Hort. Seraph. part. 3. p. 550. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368 et 376. Staffler cit.

rem S. Crucis et B. V. M. ad Nives construxit, dotavit et die 5. Aug., uti quaedam scheda edicit, consecrationis gratia affecit, Celsiss. Episc. Brixin. Ioanne Thoma Barone de Spaur diplomate, an. 1583 die 22. Sept. signato, fundationem hanc ratam habente. Cardinalis Alexandrinus Reverendiss. Ioannem Nasum an. 1584 [1] pridie Kal. Aug. [2] ex iussu Summi Pontificis Romam vocavit, ut ibi cum Canonico D. Arzt transactionem ineat; quam ingens aestimatio Romae de eo viguerit, constat ex his Epistolae fati Cardinalis verbis: *Ut autem eadem Amplitudo tua commodius iter conficere possit, iussu Suae Sanctitatis statim illi persolventur centum nummi aurei, et urbem deinceps ingressa humanissime excipietur, quemadmodum suarum virtutum merita postulare videntur, et multi labores per Dei Ecclesiam in refellendis haereticorum dogmatibus suscepti. Certo autem sciat Amplitudo tua, sese hic esse in magna exspectatione; laeto itaque animo Amplitudo tua itineri se accingat* [3].

287. Dignissimus hic Praesul. an. 1582 die 8. Maii Capellam, in domo Satrapae Suazensis plantatam, an. 1586 die 14. Sept. Sacellum in castro Grünegg, Milsio vicino, an. 1587 die 4. Sept. Aram domus Capitularis, Conventui Oenipont. annexae, die 8. Sept. Capellam argenteam, prius ampliatam, et Aram eius, et die 11. Sept. Capellam in castro Sigmundslust prope Vomp sacris liquoribus perfudit. Tandem ex hac lacrimarum valle Oenipontе an. 1590 die 16. Maii migravit. In Sacello Capitulari Conventus Oenipontani, sancto Francisco sacro, sub niveo marmore, effigiem eius exhibente, conditus; supra verticem eius obviant haec verba: *Serenissimus Princeps Ferdinandus, Archidux Austriae etc., erga optimum Praesulem et olim Ministrum suum gratiae suae declarandae causa hoc monumentum posuit;* ad pedes Antistitis haec inscriptio prostat: *Reverendissimus in Christo Praesul ac Dominus, Frater Ioannes Nasus, Ord. Fratrum Minorum de Observantia, Bellinensis Episcopus, Brixinensis Suffraganeus, Concionator Apostolicus et Serenissimi Principis Ferdinandi, Austriae Archiducis, Aulicus, Religionis Catholicae propugnator constantissimus et haereticorum hostis acerrimus, sub hoc saxo in Domino quiescit; mortuus 16. die Maii* [4] *anno salutis humanae 1590, aetatis vero suae 57., quem Deus optimus maximus sua in Christo misericordia dignetur* [5].

---

[1] Annum hunc exprimit noster P. Justinus Kaltprunner, notans, ex errore Amanuensis an. 1444 perperam allegari.

[2] Hueb. erronee Kal. Aug. exprimit.

[3] Hueb. in Chron. col. 597 etc., 675 etc., 678 etc. et in Menolog. die 3. Sept. Sannig. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. Staffler cit.

[4] Chron. Prov. nostrae sinistre assignat diem 10. Maii.

[5] Hueb. in Chron. col. 679 etc. et in Menolog. die 3. Sept. Sannig. et Cont. Orb. Seraph. cit. Monum. citata. Chron. Prov. nostrae p. 224. Staffler. cit. Monum. Suazensia et Vompensia.

288. Confitetur quidem Nasus in suis Centuriis, quod Norimbergae degens, saepius una die Dominica quatuor concionibus a Lutheranis praeconibus declamatis, interfuerit, et cantilenas in odium Papae et Ecclesiae Catholicae confectas, cum haereticis cecinerit. Ast, cum hunc lapsum, fors non ex serio animo commissum, vix ex paternis laribus pedem efferens commiserit, inde in Bavariam transiens mox correxerit, in solidum Catholicum evaserit, in veste Seraphico poenitentiam egerit et acerrima bella Lutheri asseclis indixerit, labes haec expuncta manet. Ad gloriosas has pugnas oculum fixit auctor Annalium Universitatis Ingolstadiensis, an. 1580 impressorum, a quo [1] Nasus *magnus certe omnis haeresis mastix et Schismaticorum vexator* depraedicatur; et certe tam lepide et stylo semper ironico Sectarios confundit, et ipsorum, praesertim Lutheri, facta et scripta in apricum profert, ut vel lecta aversionem contra eorum mendacia et imposturas provocent, omnemque in iis fidem abrogent. Ratione huius ringebantur Novatores, Nasum nunc impudentissimum et venenatum sycophantam appellantes, nunc aliis turpissimis agnominibus, quorum 72 numerantur, onerantes, cum aliquando asino insidentem eiusque caudam manu apprehendentem, cum forfice et acubus in asini tegmine pingentes et satyricas cantilenas contra illum imprimentes; sed irrisores suos irrisit, gaudens et obiiciens, quod vel inviti veritatem scribere cogantur, quam sint propudiosa, fallacia et meris mendaciis referta, calumniisque farta tum Lutheri, tum asseclarum eius scripta, cum Nasus nil ediderit, quod non in Protestantium libris, quos fideliter citat, invenerit. Vitam Lutheri ante Nasum vix nemo accuratius et solidius Naso nostro conscripsit, utpote vix non contemporaneus [2].

289. Ob labores istos plurimis Acatholicorum insidiis expositus fuit. Pseudopraeco Evangelicus, Isenae [3] Naso obvians, eidem dixit: *Te vero Monache tempus etiam vocat, ut aliquando seriam poenitentiam agas;* reposuit ille: *Quid ergo faciam?* Cui alter: *Primo cucullum tuum et vestem hanc inimicam abiice, et lapides in eam proiice.* Nasus ait: *quid postea?* Respondit seductor: *Mecum perge Hagam* [4], *et puellam tibi pulchram desponsabo; dein Praedicatoris, ut me vides, munere fungere, eamque certissimam veritatem annuntia, Papam Romae Antichristum et omnes Papicolas, maxime tonsuratos, ad diabolum pertinere assere.* Seductor existimans Nasum iam ad fidem conversum, eum in popinam publicam duxit et partem posteriorem vituli, iam prius assatam, apponi

---

[1] Fol. mihi 128.

[2] Monum. Prov. Tyrol. et Bavar. Francisc. ac opuscula Nasi.

[3] Oppidum hoc, Isen dictum, in Episcopatu Frisingensi prope Dorfam quiescit.

[4] Oppidum hoc, caput Comitat. Hagensis, nunc Electori Bavarico subiecti, tunc temporis Lutheri veneno infectum erat.

iussit. Franciscanus hospes, in risum solutus ait: *Scias me hodie* (erat enim aliqua Feria Quatuor Temporum) *diem habere ieiunii,* et exin a popina se proripuit. Perfidi non solum animae, sed et corpori eius insidias struxere. Sacerdos Minoriticus Vindobona Ingolstadium pergens, prope Ratisbonam a Lutheranis (eum pro Naso habentibus) deprehensus, ad mortem usque verberatus, et capite truncatus fuit; cuius corpus sine habitu et in tergo recumbens, repertum est. Alia vice in cubili suo mortem a quodam Acatholico intentatam, aegre evasit. Hanc ob causam ad dissertationes publicas, in locis Protestantium habendas, venire detrectavit, cum nec ipsi in Bavariam venerint, securitatem sibi non promittentes [1].

290. Verbum Dei Nasus non tantum in locis iam tactis, sed etiam Monachii in Ecclesia S. Petri, Augustae Vindelicorum in Ecclesia ad S. Udalricum, Brixinae, Tramini et alibi declamavit, et quidem tanta cum satisfactione, ut saepius 5 circiter millia auditorum numeraverit; tanto cum fructu, ut plura millia haereticorum ad veram fidem perduxerit, et variis peccatis Catholicorum, praesertim luxuriae et blasphemiae, repagulum posuerit. Eminentiss. Cardinalis Madrucius, Episc. Tridentinus, suam Dioecesim personaliter visitaturus, virum hunc per quendam Canonicum, Oenipontem missum, in suam Dioecesim invitavit, ut durante Visitatione in pagis et oppidis verbum Dei annunciaret, et viam Domini pararet [2].

§ 5.

Residui Fratres nec non Sorores, virtute praestantes, ab origine Provinciae Tyrolensis seu ab anno 1580 usque ad tempus Reformationis, seu an. 1625 defuncti.

291. *P. Costantinus Tyras* [3], Lovaniensis, in Prov. Germaniae inferioris Franciscanorum choro aggregatus, in Cathedra eminuit et saepius Guardiani munere functus est. In hoc charactere a Conventu Ultraiectino unacum suis Fratribus a Geusiis expulsus, Oenipotentem se recepit, Prov. Tyrol. an. 1580 erectae sese adiungens, inque ea munus Definitoris ac Guardiani Conventus Oenipontani sustinens. Diuturnus morbus eum in palaestra patientiae exercuit, et an. 1582 die 23. Iannuarii e vivorum calculo eliminavit. Magnum sui reliquit desiderium et in domo Capitulari Conv. Oenipont. tumulum invenit, hac inscriptione exceptus: *Anno Domini 1582*

---

[1] Monum. et opuscula citata.

[2] Monum. et opuscula citata.

[3] Hueb. in Chron. col. 658, ac in Menolg. die 23. Ian. Sannig. part. 5. Chron. p. 343. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

obiit Rever. P. Fr. Constantinus Tyras Loraniensis, Guardianus loci huius. — *P. Gabriel de Merano seu Gabriel Raber*[1], Meranensis Tyrolensis, in Provincia Austriaca de Observ. habitum Seraph. induens an. 1580, quo erat Guardianus Conv. Suazensis, ad Tyrol. transiit, in ea munere Definitoris decoratus, ordini insertus, sese distinxit in Cathredra Ecclesiastica, auditores verbo movens, exemplo trahens, et Suazensibus per 12 annos in Ecclesia primaria ingenti cum fructu verbum Dei exponens. An. 1582 clavum Ministerii in Prov. Tyrol. accepit, eumque facta interpolatione bina vice reassumpsit, maxima cum laude officio suo semper functus. Cura ipsius Prov. nostra Familiae Cismontanae adscripta, et, uti vetus inscriptio dat, Ara maior Conv. Suazensis ex diversorum benefactorum subsidio noviter extructa fuit. Meritis plenus an. 1603 die 21. Decemb. Brixinae morti vectigal solvit, in Ecclesia Monialium ante Altare princeps terrae mandatus. *P. Conradus Mögler*[2], per Professionem Seraphicam Deo an. 1590 Friburgi adstrictus, Guardiani munus saepius laudabilissime obiit; in hoc Suazii an. 1614 die 9. Decemb. decessit, ob continuum orandi studium ante Aram S. P. Francisc. conditus.

292. *P. Henricus Burgeck*[3], ex Provincia Argentinensi de Observantia ad Tyrolensem an. 1604 vocatus, isti legaliter an. 1610 illatus; praeclarum Novitiorum Magistrum, eximium S. Sacramenti poenitentiae ministrum egit, et in Conventu Oenipontano an. 1615 die 29 Augusti vitae cursum consummavit. *P. Michael Landmann*, ab Huebero et aliis eum sequentibus inter Franciscanos virtutis excellentioris repositus, a me omittitur; nam talem virtutis gradum in Monum. Prov. Tyrolensis Franciscan. non invenio, et P. Iustinus Kaltprunner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Franciscanorum, quo fatus Auctor est usus, eum unice inter Franciscanos ad Officia honorifica promotos, reponit. Agam de eo in capite seq. et § 1. ibique addam, quae de virtute istius viri collegi; veritas, quae mihi cordi est, hoc expetit *P. Augustinus Andreae*, al. *Andre*[4], vota solemnia an. 1598 in Prov. Tyrol. emittens, ocius in virum religiosissimum et egregium Concionatorem et observantiae Regularis insignem zelatorem evasit, ac an. 1610 ad Primatum Prov. Tyrol. elatus fuit. Isto Endingae, civitate inter Brisacum et Kenzingam in Brisgovia posita, et Cathedra Parochiae superioris ad S. Martinum an. 1615 in Festis Pentecostalibus perorante,

---

[1] Hueb. in Chron. col. 816, et in Menolog. die 21. Decembr. Sannig. part. 6. Chron; p. 94. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 367. Chron. Prov. cit. Tyrol. Francisc. p. 11 etc., 225. Monum. citata.

[2] Hueb. in Chron. col. 819, et in Menolog. die 19. August. Sannig. cit. p. 155.

[3] Monum. citata.

[4] Hueb. in Chron. col. 821, et in Menolog. die 5. Maii.

[5] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 360. Chron. cit. p. 16 ac 225. Monum. cit., ac Paroch. Ending. ad S. Martinum.

imago B. V. M. et Iesuli integris duabus horis sudorem momentosum [1], (videntibus et flentibus plusquam ducentis hominibus, ipso etiam Decano et Parocho praesente) effudit. Prognosticon hoc ad Officium Ecclesiasticum Constantiense et Curiam Romanam devolutum, excepit tricennale bellum, an. 1618 inchoatum et 1648 absolutum, Brisgoviam haud leviter affligens. Vir iste morti in praedam Oeniponte cum plurimorum luctu an. 1618 die 5. Maii cessit, in domo Capitulari sub hac inscriptione sepultus: *teguntur hoc sub saxo ossa admodum Reverendi P. Fr. Augustini Andreae Ord. Min. Reg. obs. Ministri quondam Provincialis, et Guardiani Suazensis optime meriti, qui ex hac miseria pie, sancteque migravit 3. Nonas Maii anno M. D. C. XVIII.*

293. *P. Tobias Hendschelius, seu Hendschel,* Landishutanus Bavarus, Ingolstadii sub docto viro Gregorio de Valentia Theologicis disciplinis imbutus, et suprema S. Theologiae laurea decoratus, Consiliarius Ep. Bambergensis, ordinem S. Franc. in Prov. Argentinensi, eo tempore sub regulari observantia reposita, selegit, et in Cathedra Ecclesiastica sua servitia praestitit. An. 1601 in Conv. Oenipontano S. Theologiam docere coepit, et an. 1606 in Comitiis Provincialibus Suazii celebratis Provinciae Tyrolensi adscriptus, et simul Lector Theologicus Conv. Friburgensis constitutus fuit. Doctrinam suam quibusdam opusculis prodidit; Custos an. 1610, Minister Provincialis an. 1613 decretus, hoc munus cum Guardianatu Friburgensi retinuit, et anno 1615, quaedam adversa perpessus, resignavit, et in Prov. Austriae se contulit: in ea moratus solitariam, et piam vitam duxit, in Conventu Viennensi S. Theologiam Moralem, iuxta alios S. Scripturam docuit, et inde ad Provinciam Argent. rediit. Sub finem vitae conscientiam suam celebrioribus Confessionibus, quarum una Generalis, expiavit, et cum morti proximus, SS. cibum Eucharisticum deglutire non posset, iuxta exemplum S. Bonaventurae eum praesentem intueri expetebat. Voti compos redditus, in tam teneros erupit affectus, ut circumfusi fratres mixto dolori gaudio mire fuerint repleti, sicque sub umbra illius, quem desideraverat, obdormivit Augustae Vindelicorum an. 1620 die 23. Sept. Relatio haec innititur litteris feralibus ad Prov. Tyrolensem amandatis, istius Monum. nec non informationi Conv. Augustani a me ex professo petitae: unde subscribere nequeo Placido Herzog aienti, eum Viennae an. 1620 die 28. Sept. obiisse. Fors Viennensi Necrologio fuit insertus, quia ibi ad tempus moram duxit, aut dies mortualis oculum exactum non habuit [2].

294. *P. Henricus Sedulis,* Cliviae primaria eiusdem nominis Ducatus

---

[1] Nolo addere sanguineum; nam nec in Protocollo nostrae Prov. nec Parochiae Ending. terminus hic reperitur; unde scriptores, eo usi, attendendi non sunt.

[2] Hueb. Chron. col. 784. ac 823. et in Menolog. die 23 Sept. Sept. Sannig. part. 6. Chron. p. 155. Hilarion Staffler in Script. Prov. Tyrol. Chron. citat. p. 16. etc. Monum. cit. Herzog. p. 121. Facies Prov. Austriae p. 392.

Civitate circa an. 1519 natus, et in Conventu Lovaniensi Prov. Germ. inferioris FF. Min. de observantia, emenso sub P. Henrico Pipino Novitiatu, Professionem emittens, S. Theologiam a P. Adriano Hofstadio, ibi Lectore, praeter Religiosos auditores, multos saeculares numerante, excepit. Erat vir probatissimus, zelo Religionis et eruditione, velut opera ab eo publici iuris facta evincunt, clarissimus. Peste et Geusiorum saevitiae Belgium dire habente, ad Germaniam superiorem secessit, Oeniponte receptus, S. Theologiam iunioribus praelegit, et Ferdinandi Tyroleos Principis, gratiam sibi vendicavit. Ab eo, erectionem Prov. Franciscanae in suis Terris moliente, Romam missus, Diplomate favente obtento; primus eius Minister evasit, et unionem Monasteriorum ad effectum deduxit. Provincia per biennium administrata, officium resignans, munus Guardiani Friburgi acceptavit. An. 1584 Provinciae vale dicens, se Tridentum, Romam, exin in suam Prov. contulit, in ea bina vice clavum Ministerii Prov. tenens ac dignitatem Definitoris Generalis in Comitiis Generalibus Salmanticensibus an. 1618 nactus, Episcopatum oblatum, uti in notis ad Chron. M. S. P. Iustini Kaltprunner lego, recusavit, et tandem Antverpiae, uti attestatur Wad. in Script. Ord. (nullo modo Cliviae, aut Lovanii) an. 1621 die 26. Febr. exspiravit. Spiritum eius, et Doctrinam indicant verba, in calce Chronici Wertensis legenda: *Peregí mandata superiorum: perscripsi nostram fratrum Minorum Regularis observantiae inferioris Germaniae Provinciam: ex ordine recensui singula fratrum nostrorum, Virginumque Monialium Coenobia, quae ante Geussorum motus fuere, et quae hodie extant intacta, vel reparata: adscripsi Provinciae nostrae fratrum Martyrum agones, et triumphos, denique Authores et Scriptores, qui sua scripta posteritati consignavere. Ante me apud Reverendiss. P. Gozagam aliquis eandem suscepit scribendi Provinciam; sed inventuris nova inventa non obstant vetera, et vero optima est conditio ultimi: neque ulli post saecula multa praecludetur occasio aliquid adiiciendi, veniet, qui haec nostra faciet ampliora, quam accepit, et ego, benigne Lector! iam quinquaginta prope duobus annis* (*utinam salutariter*) *exactis in ordine, septuagenario maior, fracto corpore, et valetudine pono calamum, et scribere desino. Ego tibi bene velle, tu mihi quoque, et Deum pro me precare.* Wad. et auctor Horti Seraphici virum hunc Legatum Sereniss. Principis Austriaci Ferdinandi, Bavariae Ducis, ad Paulum V. P. nuncupant, ast perperam sane. Bavaria de hoc Duce nil scit: dictus vero Ferdinandus an. 1595 morti vectigal solvit; sicque pluribus ante Papatum Pauli V. utpote an. 1605 electi, annis. In rerum natura quidem an. 1605 morabatur Ferdinandus Bavariae Dux, Alberti V. filius: at hic non erat Austriacus, et de negotio ab eo Henrico Sedulio commisso, nihil invenio[1].

---

[1] Wad. de Script. Ord. p. 166. etc. Hueb. in Chron. col. 774. 786. et 817. etc. ac in Menolog. die 26 Febr. Ant. Sanderus in Chorographia sacra t. 3. in Descript. Conventus Bruxell.

295. *P. Bernardus Rasl*[1], Suevus Dilinganus, Oeniponte vota solemnia an. 1582 die 19. Aug. emisit. Exin a Reverendissimo Ministro Generali P. Francisco Gonzaga in Italiam directus, in studio Perusino, et Bononiensi ad D. Paulum tanta solertia, et pietate Musis sacratioribus vacavit, ut in litteris testimonialibus Perusinis, an. 1586 expeditis: *Sacerdos Angelicus, et studens vigilantissimus;* in Bononiensibus vero, *verus S. Francisci filius, vivum omnium virtutum, et morum Exemplar, omnes in sui amorem trahens,* nuncupari meruerit. In Prov. Tyrol. munus Guardiani, Definitoris, Custodis et ter Ministri Prov. ac aliquot annis Commissarii subdelegati magna cum laude sustinuit. Conscientiam Maximiliani Archiducis supremi Equitum Teutonicorum Magistri ab an. 1609 moderatus eum Ratisbonam, Pragam et Viennam comitatus est, ubi fatus Sereniss., Provinciae Maecenas eximius, an. 1618 die 2. Nov. fatis cessit. Corpus eius, sub directione fati Confessarii in Tyrolim revectum, in Ecclesia Parochiali Oeniponte S. Iacobi terrae mandatum fuit. Tandem P. Bernardus plenus dierum in Conventu Suazensi, cuius Guardianus erat, an. 1621 die 9. Sept. sibi usque ad ultimum spiraculum praesentissimus, in Domino cum maximo luctu saecularium, et fratrum viam universae carnis inivit, in choro inferiori ante summum Altare sepulchrum adeptus. Scriptores varii inter viros, speciali virtute nitentes, ante an. 1625 vita functos recensent *PP. Christophorum Bembler, Ottonem Zingrien* et *Amandum Almair:* ast, cum in Monum. nostrae Prov. tantum principaliter efferantur, ut Confessarii personarum dignitate clararum, eos praetereo et acta eorum ad Cap. 8. reiicio, in quo etiam ostensurus sum, quod *P. Christophorus Bembler* primum an. 1631 ex hac vita migrarit.

296. Fratribus succedunt sorores Seraphicae, semitas virtutum impigro pede terentes, et ante an. 1625 falci morti succumbentes. Monasterium *Brixinense* Clarissarum virtute altioris ordinis irradiavit *Sara Kissl*[2] superior Praefecta S. suppellectilis per 23 annos, an. 1600 ex hac vita amota. Cum ista, uti fundate coniicitur, coincidit piissima Clarissa huius Parthenonis, S. suppellectili multis invigilans annis, in purificatoriis insolandis, aut corporalibus complanandis dulcissimi Iesu praesentia aliquoties recreata. Ibidem virtute eximia splenduit. *Anna Maria Spies, al. Spiss*[3], frequentissima Iesuli praesentia, et in obedientiis suis comitatu, per externa etiam testimonia firmato, condonata, et meritis plena ad caelestes delicias

Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Staffler cit. Chron. cit. p. 7. etc. ac 225. Monum. cit. Chronolog. Ord. t. 1. p. 550. Hort. Seraph. part. 3. p. 602. etc.

[1] Chron. cit. p. 14. etc. Monum. cit.

[2] Monum. Monast. Brix. Clariss.

[3] Monum. cit. Hueb. in Menolog. die 7 Ianuarii, ex puro libitu electo. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 371. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 228.

an. 1622 avocata. De personis tertii Ord. S. P. Francisci, eximia virtute praeditis, intra an. 1580 et 1621 obeuntibus, Monum. nihil suggerunt.

§ 6.

Fratres Minores Provinciae Tyrolensis, virtute nitentes, ab an. 1625 usque ad annum 1700 vita excedentes.

297. *P. Ioannes Hueber*[1] Bavarus, Prov. Austriae[2] ab initio, dein ab an. 1580 Tyrolensis filius, praeclarus Concionator, indefessus Confessarius, Religiosus orationi et mortificationi sui addictissimus et ob mores optimos omnibus gratus, munus Guardiani, nec non Definitoris maxima cum laude gessit, et in Conv. Suazensi an. 1625 die 23. Aug. pientissimam mortem oppetiit, ante Altare S. Francisci conditus. *P. Bernardinus Lackner*[3] ex Monum. nostrae Prov. et Huebero Landishutanus, Bavarus, filius Georgii Lackner, Satrapae Vohburgensis, ac Endingensis, nec non Elisabethae natae Eckher de Tissling, in saeculo Wolfangus audiit, et Ingolstadii Iuris utriusque Doctor an. 1603 creatus est. Subin nubens honestae virgini Rosinae Wolleb, ex ea intra 10 annos sex liberos sustulit. Syndicus ad S. Martinum Landishuti annis duobus cum dimidio, quatuor ibidem Secretarius Regiminis, et a Maximiliano Bavariae Duce, Monachium vocatus, etiam totidem Consiliarius Aulicus, et arcanus Secretarius extitit. Liberis suis, unica filiola M. Barbara dempta, orbatus, ex instinctu superno se una cum uxore ad amplectendum statum Seraphicum resolvit, istumque praehabito consensu Episc. Frisingensis, et Ratisbon. an. 1614 in Conventu Suazensi sub nomine Fr. Bernardini suscepit, uxore eodem adhuc anno ad Monasterium Ingolstadiense tertii Ord. S. Francisci sese recipiente. Maritus an. 1616 die 25. Maii, uti attestatur noster libellus Professorum sese Deo per vota solemnia dicans, de virtute in virtutem in statu Religioso profecit. In hoc nunc munus egregii Concionatoris, nunc seduli Confessarii Monialium, nunc Guardiani, nunc Definitoris (neutiquam Ministri Provincialis) dignissime tulit, et an. 1627 die 24. Oct. Suazii exspiravit, iuxta Altare Matris Dolorosae sepultus, hac annexa inscriptione: *Tegitur hoc saxo M. V. P. Bernardinus Lackner J. U. D. olim Serenissimo Duci Bavariae a secretis, et Ecclesiastis officio in summo templo Suazensi per septennium magna cum laude, ac pietate perfunctus, placide in Domino obiit die 24. Oct. 1627.*

---

[1] Hueb. in Chron. c. 819. etc. in Menolog. die 23 Aug. Sanning part. 6. Chron. p. 155. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 225. Monum. Prov. Tyrol. et Convent. Suaz. Franciscan.

[2] Sed potius Argentinensis.

[3] Hueb. in Chron. col. 818. etc. Monum. mox citata.

298. P. *Antonius Baggelius*[1] Friburgensis, an. 1618 Oeniponte professus, Religiosus optimi exempli, moestorum Consolator eximius, Concionator et Confessarius insignis, finita concione in festo Epiphaniae Domini, Confessionem publicam legens, apoplexia tactus et eodem adhuc die, plurimis, quin et ipso Sereniss. Archiduce Leopoldo in moerorem abeuntibus, e vivorum calculo an. 1631 amotus fuit. P. *Ioannes Obserus*[2] Bavarus, qua Clericus e Provincia Argent. ad Tyrol. in Conventu Friburg. an. 1580 delatus, diu, noctuque Chorum frequentavit, B. V. Mariam tenerrime coluit, in S. Tribunali praeclarum ministrum egit, Definitoris munus gessit, et meritis ac annis plenus an. 1631 die 18. Maii Oeniponte vitam finiit. P. *Augustinus Fetscher*[3], Friburgensis Brisgojus, an. 1604 per sacra vota Deo dicatus, vir admodum pius, et Religiosus, saepius munere Guardiani, bina vice Custodis, ac semel Ministri Provincialis functus, ceu Guardianus Conv. Oenipontani, in hoc an. 1635 (nullo modo 1655) circa festum Annuntiationis B. V. M. ad quod se non solum devotissime disposuit, sed et alios ad id monuit, ex hac vita movit.

299. P. *Theobaldus Schwab*[4] ab Huebero, nomen stirpis in latinismum vertente, *Suevus* vocatus, Dannensis Rauracus, aut potius Thannensis Alsata, Thannae in Sundgovia an. 1578 natus, Suazii an. 1600 per S. Professionem Provinciae insertus, Concionator celeberrimus et zelosissimus, e suggestu Suazensi ad Aulico-Oenipontanum promotus, ex eo 28 annis tanta cum energia dixit, ut non solum plurimos Catholicos a via perditionis revocarit, aut in via salutis solidarit; sed etiam plurimos Acatholicos a densa sua caligine ad lucem Catholicae veritatis deduxerit. In Comitiis Ratisbonensibus, ad quae cum Sereniss. Maximiliano Archiduce perrexit an. 1613 Ecclesiasten agens, palmam ante caeteros Principum Concionatores obtinuit, et a Maioribus Ordinis charactere Concionatoris Generalis Iubilati condonatus fuit. Plenus meritis morti vectigal an. 1635 die 11. Aug. (neutiquam an. 1627 die 16. Iulii) Oeniponte solvit, et in domo Capitulari sepultus, istud Epicedion retulit: *Hoc sub lapide requiescunt ossa R. P. Theobaldi Schwab Ord. S. Francisci strict. observ. qui cum gratiosissimus Concionator Aulicus Serenissimorum Maximiliani et Leopoldi Archiduc. Aust. munus concionandi per integros 28 annos summa cum laude continuasset, pie in Domino obdormivit. Iubilatus Gen. Concionator XI. Aug. MDCXXXV.*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Francisc.

[2] Monum. mox cit.

[3] Hueb. in Chron. col. 833. et in Menolog. die 9 Martii. Sannig part. 6. Chron. p. 198. Cont. Orb. Seraph. l. 5. p. 367. etc. Chron. cit. p. 20. et 226. Monum. cit. et Conv. Oenipont. Francisc.

[4] Hueb. in Chron. col. 835. et in Menolog. die 16 Iulii. Sannig mox cit. Cont. Orb. Seraph. l. 6. p. 368. Chron. cit. p. 225. Monum. mox cit. Hilarion Staffler in Script. Prov. Tyrol. Franc.

aetatis an. LVII. Fr. Ioachim Fidinger[1]. Helvetus, *Laicus* vitae religiosissimae, an. 1613 professus, in Bibliotheca S. Bonaventurae, videlicet Christo cruci affixo, magnos ocius progressus fecit. Instante tempore resolutionis, velut alter S. Didacus, crucem amplexus et osculatus, atque oculis in eam defixis, tam tenellis verbis ac suspiriis Crucifixum allocutus est, ut adstantibus videretur velut sponsus sponsam aut filius amantissimam matrem amplexari. Peste correptus, mortem oppetiit in Conv. Bulsan. an. 1636 die 29. Augusti.

300. *P. Henricus Seyfrid,* alias *Sifrid,* Geissenfeldensis, Bavarus, in Provincia Austriaca Ordini adscriptus, ad Tyrolensem studiorum occasione an. 1605 venit, ei per Decretum Ven. Definitorii Suazii an. 1606 die 30. Oct. exaratum, aggregatus. Celebratur vir a magna doctrina, insigni eloquentia, plurima experientia, disciplinae regularis zelo et optima morum temperie, omni aestimatione dignissimus. Opera sua effecit, ut Monasterium Clarissarum *Friburgense* Provinciae restitutum, et reformatio in ista introducta fuerit. Plurimi avari tanto impetu non feruntur ad bona temporalia, uti iste servus Dei ad Patrimonium Seraphicum S. Paupertatis actus fuit. Serenissima Archiducissa Anna Juliana, prius Anna Catharina, fundatrix Parthenonis Archiducalis Oenipontani, *Regelhaus* dicti, ad tempus eo Concionatore, nec non Confessario dicti Parthenonis, ac Serenissimae Annae filiae eius, antequam Archiduci Mathiae nuberet, uti Monumenta nostrae Provinciae, et actus Capitulares dant, usa est. Archiduces Maximilianus et Leopoldus in gravioribus negotiis consilium eius explorabant. Ultimus eidem, qua Custodi ad Capitulum Generale Romanum an. 1625 migranti, varia negotia, cum Urbano VIII. tractanda, commisit, et crebro in itineribus eum in socium adscivit, tanta illum fovens benevolentia, ut dicere soleret: *Mi care P. Henrice, quando tua non fruor praesentia, existimo me non bene valere.* Quin non dedignatus est in cella P. Henrici in memoriam Christi passi, vili ac paupere Minorum habitu amiciri, eoque comite in Hebdomade Maiori S. Sepulchra Oeniponti revereri. Archiduce Suazii an. 1632 lethaliter decumbente, nullus ex Aula periculum summum vitae illi indicare sustinuit. Vices eorum P. Henricus supplens, cordate imminentem luctam eidem annuntiavit, et applicatis proportionatis mediis in eadem illi fidelissime adstitit. De cetero vir hic, de Provincia Tyrolensi optime meritus, in ista maxima cum laude munus Vicarii, Guardiani, Definitoris, Custodis ac ter (non quater) Ministri Provincialis gessit, et in Capitulo Generali Toletano an. 1633 ad dignitatem Definitoris Generalis ascendit. Ad coronam, meritis suis repositam, in Conventu Oenipontano

[1] Hueb. in Chron. col. 836. et in Menolog. die 29 Aug. Sannig part. 6. Chron. p. 198. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 367. Chron. cit. p. 226. Monum. Prov. Tyrol. et Convent. Bulsan. Franciscan.

an. 1636 die 4. Sept. migrans, in domo Capitulari conditus est, in qua haec legenda scriptura: *Sub hoc saxo condita sunt ossa A. R. P. Henrici Sifrid, Ord. S. Francisci Reform. quondam ter Provincialis, ac Definitoris Generalis, qui plurimis exantlatis pro Relig. laboribus, pie obiit IIII. Sept. MDCXXXVI. aetatis LIIII*[1].

301. *Fr. Bartholomaeus Liebezeit,* Iglaviensis, Moravus, *Laicus,* arte Scrinarius, an. 1635 in Regulam S. Francisci iurans, tanta virtute excelluit, ut ante obitum B. V. Mariam, violaceo vestitu indutam, conspicere meruerit. Conventus Bulsanensis cineres eius, an. 1640 die 11. Iulii vita exuti, custodit. *P. Severinus Molitor (Müller),* Mellerstadiensis (est pagus haud procul a Civitate *Regis-Curia,* vulgo *Königshofen* sita), Franco, votis Seraphicis an. 1630 constrictus, vir apprime Religiosus, Lector bis Philosophiae, et semel Theologiae, studium cum pietate coniungens an. 1644 in vigilia Nativitatis Dominicae Terlam missus fuit, ut ibi in S. Ara, Cathedra, et Confessionali sua servitia praestaret. Paruit fideliter vir devotus, et, primo Sacro de nocte, altero de die dicto, in ipso Festo solemni Cathedram ascendit, et bis clara voce in lingua germanica inclamat: « *Parvulus nobis natus est* ». Vix haec protulit, deliquium passus est, vox faucibus haesit, et eodem adhuc die suavissime obiit, tertium Sacrum, ad quod dicendum aeger ardebat, celebraturus in coelis[2].

302. *P. Zacharias Maerz,* Weilhamensis, Bavarus, S. habitu an. 1633 amictus, Concionator egregius et zelosus, ob vitae probitatem et summum animarum zelum ab Horbensibus quasi *Sanctus* habitus, paucis annis explevit tempora multa, Horbae an. 1646 die 14. Ianuarii, uti affirmat Protocollum Conv. Horbensis, spiritum emittens, cineres eius in privato loco servantur. *P. Dominicus Ebner,* nobilis Oenipontanus, an. 1620 vota sua in Ordine deponens, et in via virtutis solerter se exercens, gravi anxietate, num sit verus Sacerdos, exagitatus, ad Deum pro remedio instantissima humilitate recurrit. Post haec duo, tresve viri, sacramentaliter eidem confessi fide digni, iureiurando asseruerunt, quod, cum is hostiam a se consecratam elevasset, vivum et pulcherrimum infantulum conspexerint. Servus Dei hoc modo a suis anxietatibus exemptus, maiori cum fervore viam virtutis trivit et in Conv. Bulsanensi an. 1646 die 7. Maii cursum vitae consummavit. *P. Accursius Hueber,* Landsbergensis, Bavarus, an. 1633 vincula Seraphica amplexus, vigente aetate loco pulvinaris straminei truncum ligneum adhibens, in Confessionali et Cathedra amplam animarum messem collegit,

---

[1] Hueber in Chron. col. 833. etc. et in Menolog. die 4 Sept. Sannig part. 6. Chron. p. 198. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Chron. cit. p. 18. etc. ac 226. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Francisc. Chronologia Historico-Legalis Ord. t. 1. p. 687. Staffler cit.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Bulsan. Francisc. Hueb. in Chron. col. 840. et in Menolog. die 11 Iulii. Sannig. cit. p. 204. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 367. Chron. cit. p. 226. de primo agunt.

et an. 1649 die 5. Martii in Conv. Bulsanensi ad plures movit. *P. Fridericus Gailer,* Monacensis, Bavarus, S. habitu in Prov. Argentinensi, Monachii indutus, istum in Novitiatu dimisit et in Prov. Tyrol. an. 1620 reassumpsit. In ista religiosa vita eminens, mox insignis Concionator, Guardianus, Definitor et quatuor vicibus Minister Provincialis et demum an. 1645 in Comitiis Generalibus Toletanis (neutiquam in Romanis an. 1651) Definitor Generalis creatus est. Provinciam novis Domiciliis auxit, in regulari disciplina promovit et ita direxit, ut amaretur passim ab omnibus, timeretur a cunctis. In Prov. Hung. SS. Salvatoris munus Commissarii Visitatoris an. 1653 dextre exantlavit. Demum diem extremum Brixinae (non Oeniponti) an. 1657 die 29. Aug. clausit, ante Altare maius tumulo illatus [1].

303. *P. Elzearius Comes a Wolkenstein in Trostburg.* Cognita per sententiam Iudicis Ecclesiastici nullitate Matrimonii, a se bona fide contracti, mundo valedixit, S. Professionem an. 1656 emisit, et reddens fervide Deo, quod vovit, in Conventu Bulsan. an. 1658 (annus 1648 in Sannig error typi aut calami est) die 11. Iunii pie devixit. *P. Felix Reinecius (Reineck),* Brandenburgensis, ex Marchia Brandenburgensi oriundus, in Italiam veniens et Patavii studio vacans, ex instinctu Divino sectam, quam cum lacte materno suxerat, abiuravit; Fidei Catholicae, exin redux militiae Seraphicae in Prov. Tyrol. an. 1625 nomen dedit et an. seq. sese per vota solemnia ad illam obstrinxit. Absoluto studio paulisper Lectorem et mox Concionatorem in variis Cathedris magna cum laude egit et subin Cathedrae Aulicae admotus, in ista per 24 annos amplo cum emolumento peroravit, ante eius ascensum flagris in se animadvertere assuetus. Magno affectu prosequebatur B. V. Mariam Immaculatam et de die in die Rosarium Seraphicum in 7 decadibus consistens, devote recitabat. Sereniss. Archiducem Ferdinandum Carolum movit, ut pro erigenda Confraternitate S. Antonii, in robur Agonizantium et solatium defunctorum collimante auctoritatem suam interposuerit, et negotium hoc ad optatum effectum perduxerit. In Provincia etiam officium Chronologi, Guardiani, Definitoris et Custodis tulit, plures libros publici iuris fecit, et meritis dives Oeniponti an. 1661 die 16. Iulii die Sabbati Epilogum vitae perfecit. In relicta curta suppellectili quaedam arma militiae spiritualis, videlicet cilicium setosum et disciplina, ex pluribus catenulis, sanguine rubentibus, contexta, obviarunt. Conditorium eius prostat in domo Capitulari, et sequenti decoratur inscriptione: *Pia memoria R. P. Felicis Reinecii Brandenburgensis, Ord.*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Horb. et Bulsan. Franciscan. De secundo et quarto agunt etiam Hueb. in Chron. col. 840. et 835. in Menolog. die 7. Maii et die 27. Decemb. Sannig. cit. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. cit. p. 22. ac 226. Chronologia cit. t. 2. p. 46. t. 3. part. I. p. 51. quartum tangit.

S. Francisci Provinciae Tyrolis Custodis, et per annos 24 Concionatoris aulici, pie in Domino defuncti die 16. Iulii anno MDCLXI[1].

301. *P. Casimirus Schick*, ab Auctoribus perperam *Casparus Schick* vocatus, Halensis, Tyrolensis, an. 1645 in vincula Seraphica se coniecit, ob merita ad Definitoris munus electus, Sereniss. Archiduc. Ferdinandum Carolum Caldarii in ultimo morbo ad alterum Regnum optime disposuit, utpote qui, ei generaliter et particulariter confessus, in eiusdem brachia reclinatus et in Divinam voluntatem totus resignatus animam exhalavit. Exin Serenissima Anna, defuncti Coniux ac P. Casimirus, asportato secum defuncti corpore perrexerunt Oenipontum, ibi iste, ocius febre maligna correptus, die 15. Ianuarii an. 1663 Sacramenta morientium petiit, et iis munitus eodem adhuc die piissime animam suam Creatori reddidit. *P. Edmundus Zircher,* Bludentinus, Rhaetus, an. 1639 investitus, vir solide doctus, vere humilis, pius, prudens, benignus et affabilis, et exin omnibus gratus, septem annis sedulum Novitiorum-Magistrum egit, Guardian. et Definitor exstitit, et in Conventu Halensi an. 1666 die 18. Iunii ad meliorem vitam movit. *P. Thomas Kestelin,* Bulsan., Tyrolensis, an. 1643 sacro habitu condonatus, ob optimos mores omnibus, praesertim Sereniss. Annae gratissimus, in Concionatoris munere per aliquot annos laudabiliter peracto, acquisivit apostema, ac ex illo incurabilem fistulam, ab eo etiam usque ad finem vitae mira patientia toleratam : licet autem per eam viribus multum exhaustus fuerit, nunquam tamen a laboribus pro ornandis Ecclesiae altaribus, maxime vilibus, cessavit. Mortem cum gaudio exspectans et desiderans, in Conv. Oenipont. an. 1667 die 13. Sept. in fama specialis virtutis in Domino obdormivit. *P. Nemesius Ruesch,* quibusdam *Rusch,* Feldkirchensis, Rhaetus, in saeculo Casparus vocatus, an. 1635 Regulae Seraph. in Conv. Suaz. adstrictus, in Religiosum integerrimae vitae et vivum virtutum exemplar evasit. Ratione huius saepius Guardianus, subin et Definitor creatus est. Ob suam indispositionem cum tempore a Superioratu exemptus, in S. Tribunali suam operam tanta diligentia locavit, ut ordinarie primus et ultimus exstiterit, ac maximum Poenitentium etiam personarum altioris classis, concursum, vires suas subin excedentem, habuerit. Tanto paupertatem prosecutus est amore, ut etiam munuscula pia recusarit. B. V. Mariam tali teneritudine fovit, ut eius cursum quotidie recitaverit, Superiore ad instantiam Medici istum ei interdicente, reposuit: *sunt iam 36 anni, in quibus nullo unquam die pensum B. V. Mariae omisi, nunc autem ex obedientia cessabo.* Viatico in ultimo morbo refectus, hoc ex strato in terram ad

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Conventus Bulsan. et Oenipont. Francisc. Hueb. in Chron. col. 840. 771. et 977. nec non in Menolog. die 12. Iunii. Sannig. cit. Cont. Orb. Seraph cit. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 226. Staffler cit.

genua se demittens accepit, aiens: *Imperatores et plurimi Magnates humi prostrati suum Salvatorem receperunt, et ego vermiculus, in strato cubans, illum recipiam?* Denique in Conv. Bulsan. ex hoc ergastulo an. 1668 die 7. April. solutus est, populo ad funus copiose accurrente [1].

305. *P. Wolfangus Grindel,* Monacensis, Bavarus, an. 1621 votis solemnibus ligatus. Religiosus ardore cultum Divinum, regularem disciplinam ac studium propagandi pollens, plurima Provinciae officia, puta Lectoris Philosophiae et Theologiae, Confessarii Monialium, Guardiani frequenter, Definitoris, Custodis, bis Ministri Prov. ac quater Commissarii Visitatoris in alienis Provinciis, permagna cum laude et dexteritate percurrit. Ultimis morientium fulcris munitus, in Conv. Oenip. cui praeerat, impertita suis subditis Benedictione, an. 1669 die 9. Ianuarii placide exspiravit. Cadaver eius in domo Capitulari quietem invenit, hac lapidi sepulchrali inarata inscriptione: *A. R. P. Wolfgangus Grindel a Monachio SS. Theo-Theologiae Lector Generalis, Bis Minister Prov. et Quater Comniss. visitator aliisque Provinciae officiis functus, obiit Non. Ianuarii 1669 Guard. Oenip. aetat. 65. P. Basilius Menzinger,* Menzinganus, Bavarus, an. 1622 professus, Concionator celebris, zelosus, intrepidus, in praecipuis Provinciae Cathedris, etiam Aulica Verbum Dei divulgans, saepius ut praeteream alia officia Praeses et Guardianus, ter Definitor electus, et semel Definitor et Custos subrogatus, plurima merita in his officiis congessit. Senior Provinciae factus, caligantes et pellicula obductos oculos cuidam insigni perito concredidit: at infelici cura utroque oculo orbatus fuit. Exin post aliquot annos in oratione et forti perpessione huius miseriae transactos, Oenip. an. 1675 die 16. Febr. viam universae carnis ingressus est. Lapis sepulchralis, sub quo in peristylio quiescit, haec verba offert: *M. V. P. Basilius a Menzingen, olim Custos. et Aulae Concionator, obiit 15. Febr. 1675. P. Marcus Schützinger,* Monacensis, Bavarus, an. 1635 die 12. Iulii ad S. Professionem Suazii admissus, singulari caritate erga proximum et purgantes animas enituit. Ipso primo motore decades Rosariorum iuxta ianuas affixae fuerunt, ut introeúntes et exeuntes misellis Suffragium ferrent. 23 annis Choro qua Vicarius in diversis Conventibus praefuit, infirmis opportuna solatia suggessit. In S. Tribunali a plurimis frequentato, universale refugium extitit. Domi inter fratres ceu columba simplex et pacifica; foris vero Martha sollicita et Religiosus optimus, omnibus gratus ambulavit. Viam huius peregrinationis Friburgi an. 1675 die 3. Iunii absolvit, magno sui relicto desiderio, uti evincunt singultus et

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. nec non Conv. Oenipont. Halensis, et Bulsan. Franciscan. De primo, et quarto etiam mentionem faciunt Hueber in Chron. col. 838. et 840. nec non in Menolog. die 27. Decemb. ac 7. April. Sannig. part. 6. Chron. p. 246. ac 245. Chron. Prov. Tyrol. cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. ac seq.

lacrymae, quibus diversorum statuum personae funeri, ad tumulum pergenti, ultimum vale dederunt, dolentes summopere, quod faciem eius non essent amplius visuri [1].

306. *P. Hieronymus Strambacher*, Suazensis, Tyrolensis, ex Sacerdote saeculari, qualis Romae evaserat, humilis Frater Minor effectus, Oeniponti an. 1626 Regulam Seraphicam vovit. Varia in Ordine munera, praesertim Guardiani saepius, ter Definitoris ac semel Custodis ob sua merita nactus, linguam Italicam et Gallicam apprime calluit. In conversatione fuit affabilis, in morum gravitate spectabilis, in Aula Principum desiderabilis, in oratione continuus et tam tenerae conscientiae, ut in decrepita aetate (erat senior Prov. et Sacerdos iubilatus) ad solvendum Divini officii pensum saepius impotens redditus, pluries Superiorem pro exemptione adierit. Morti Oeniponti an. 1675 die 18. Iunii manus dedit, in peristylio cum hac inscriptione conditus: *R. P. Hieronymus a Suazio Provin. olim Custos, Senior, iubilatus Sacerdos, pie obiit 18. Iunii 1675. P. Theodorus Mayr*, Voelsensis, Tyrol. an. 1663 professus, Religiosus singulari modestia, mansuetudine, morum gravitate, affabilitate, pietate et doctrina praeditus, cellae et solitudinis amantissimus, obedientiae executor promptissimus, in adversis patientissimus et in omnibus Divinae voluntati cuniunctus, in ultima quarta anni finalis totum se devotioni, aliisque piis exercitiis dedit, et S. Confessione ante penultimum sacrum conscientiam expiavit. Febri maligna correptus ab initio in delirium et adhibita phlebotomia in amentiam plenam incidit, in qua varia pia suspiria effudit, saepius ingemuit: *o aeternitas! o aeternitas!* et tandem, deficientibus viribus viam aeternitatis an. 1675 die 12. Sept. in Conventu Waldseensi ingressus est. *P. Pirminius Ziegler*, Zirlensis, Tyrolensis, an. 1642 Seraphicae Regulae per Professionem mancipatus, vir pietate ac Religionis zelo praeclarus, sedulus pluribus annis Novitiorum-Magister, plurium Conventuum dignissimus Guardianus, bina vice Custos et Commiss. Visitator, una vice Minister Provincialis vigilantissimus, Bulsani qua Guardianus e vivorum calculo, an. 1677 die 25. Feb. (neutiquam an. 1665 aut 1680 die 27. Nov.) amotus, et in medio inferioris Chori conditus fuit, annexo hoc Epitaphio: *Hoc Sarcophago recondita sunt cinis et ossa A. R. P. Pirminii a Zirla huius Conventus Guardiani Religiosissimi quondam Ministri Provincialis et Custodis nostrae Tyrolis Provinciae, nec non Visitatoris generalis Provinciarum maioris Poloniae ac Hungariae, B. V. M., obiit V. Kalendas Martii an. 1677 magno sui desiderio relicto. Audi viator, sicut umbra, cum declinat, ablatus sum Psal. 108.* Nullus dubito, quin cum hoc viro coincidat *P. Matthias Ziegler*,

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. ac Friburg. Franciscan. De primo quoque tractant Hueber in Chron. col. 851. etc. nec non in Menolog. die 20. Iunii. Sannig. part. 6. Chron. 245. Chron. Prov. Tyrol. p. 23. etc. 26. etc.

quem quidam Scriptores[1] inter virtuosos fratres Prov. Tyrolis reponunt: enim vero ante an. 1698 quo Menolog. Hueberi, hoc primitus asserens, prodiit, nullus *P. Matthias Ziegler* virtute clarus vixit: unde in nomine Religionis error typi aut calami irrepsit[2].

307. *P. Michael Graber*, Suazensis, Tyrol. an. 1636 professus, indefessus infirmorum Censolator, in ultima lucta effigiem B. V. Mariae Consolatricis arripiens et crebris osculis afficiens, in corona fratrum Halae an. 1679 die 30. Oct. spiritum Deo reddidit. *P. Petrus Mosmüller*, Monacensis, Bavarus, an. 1635 vinculis Seraphicis innodatus, Confessarius Clarissarum zelosus, pluries Guardianus ac Praesidens perdignus, Custos Provinciae iter Romanum ad Capitulum Generale pedester calcepodiis perficiens, Religiosus in caritate Dei et proximi, spiritu orationis ac mortificationis excellens extitit. Caritas, qua erga animas piacularibus flammis detentas exarsit, eidem dictavit, ut in schedula Confessario consignata, confratribus indicaverit, quatenus Suffragia, ex lege pro defunctis lata, sibi debita, illis applicentur. Sat graves dolores, quibus in ultimo morbo cruciabatur, haud minori excepit patientia, Halae an. 1683 die 5. April. ad refrigerium aeternum translatus. *P. Franciscus Dengg*, alias *Denck*, Suaz., Tyrolensis, an. 1639 professus, vir vitae religiosissimae, unica in vita Religionis tunica contentus, officio Guardiani, Vicarii ac Confessarii Monialium bene functus, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret, lumine oculorum in ultimis annis orbatus, aequo hoc tulit animo, et Suazii an. 1685 die 5. April. vitam suam finiit[3].

308. *P. Pius Grueber*, in Monum. Bulsan. *P. Pius Felderer* vocatus, Marlingensis, Tyrol. an. 1661 sacro habitu condonatus, vitam nomini apprime consonam duxit: enim vero officium Vicarii vix delatum mox resignavit, magis affectans subesse, quam praeesse, rarus fuit in foro, frequens in Choro; Crucis Christi mortificationem iugiter in suo corpore portavit, velut gemebunda columba angulos et latebras, orationi et suspiriis aptas quaerens, plurimas noctis horas orationi ac piis suspiriis dicavit, et totus Divinae voluntati et Superiorum placito adhaesit. Quaesitus a fratribus, quando usurus sit licentia S. Italiae loca invisendi, a Ministro Generali obtenta? reposuit: *Si mea intentio Deo non arriserit, is medelam et remoram ponet.* Dictum, factum: nam febri maligna correptus, loco peregri-

---

[1] Hueb. in Menolog. die 19. Aug. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. Chron. cit. p. 225.

[2] Monum. Prov. Tyrol nec non Conv. Oenipont. Waldseensis, ac Bulsan. Franciscan. De tertio agunt. Hueb. in Chron. col. 858. et in Menolog. die 27. Decemb. Sannig. cit. p. 246. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 366. Chron. cit. p. 30. ac 226. etc.

[3] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Halens. ac Suazensis Francisc. De secundo etiam discurrunt, Hueb. in Menolog. die 5. April. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 567. Chron. cit. p. 227. Staffler cit.

nationis terrenae coelestem, uti pie sentiendum, in Conv. Bulsanensi an. 1685 die 24. Iulii instituit. Eius ex fratre Neptis, nondum trimula, biduo vel triduo ante obitum eius sub prandio ad parentes dixit: *Videte, P. Pius adstat.* Vix hora transiit, nuntius de eius morbo lethali venit. Frater hoc audito, ocius se itineri dans, fratrem adhuc vivum invenit. *P. Isidorus Kern,* Stürzheimensis, aut de loco magis noto loquendo, Aiblingensis, Bavarus, Prov. Tyrolis an. 1631 per vota insertus, variis in Provincia officiis laudabiliter gestis, munus Commiss. Visitatoris in Provincia Bavarica, et bis Ministri Provincialis in Tyrolensi adeptus est. Vir hic humilitate praestans, errantes in spiritu humilitatis et mansuetudinis instruxit, aceto admiscens oleum. Corpus suum per austeritates castigans, in Conv. Oenipont. an. 1686 uti ex Protocollo Conv. Oenip. ac Necrologio Prov. Tyrol. innotescit, die 10. Febr. ceu granum purum excussa palea summi Regis intravit in horrea. Obitus sui diem praesensit; nam paucis ante obitum diebus, sanus adhuc, ad fratres aiebat: *Undecima Februarii olim natus sum, sed natalem meum hoc anno non attingam.* Quiete suo fruitur in peristylio prope domum Capitularem, hac lapidi inscriptione illata: *A. R. P. Isidorus Kern ab Aiblingen. iubilaeus Sacerdos, Senior, bis Provincialis, semel Commiss. Visitator, aliisque officiis functus, sepultus an. 1686 11. Feb. qua olim natus*[1].

309. *P. Ruffinus Laxner,* Bludentinus, Rhaetus, Suazii an. 1636 professus, vir dexter, zelosus, industrius, primaria Provinciae officia sustinuit, bis ut Provincialis ad Comitia Generalia in Hispaniam, et ut Custos Romam pedester est profectus, tamquam Architectonicus eximius varia Provinciae aedificia ad plenam satisfactionem excitavit, Celsiss. D. Paulini Principis et Episc. Brixinensis Confessarius et Consiliarius exstitit, et demum Brixinae an. 1687 die 14. Febr. vivere desiit, magno sui relicto desiderio. Sepultura ei obvenit ante Altare maius cum hac inscriptione: *A. R. P. Ruffinus Laxner a Bludento aetatis 72. bis Provincialis, exstructis per Provinciam variis Conventibus, restaurato hic sororum Monasterio, fratrum Residentia, et sacra hac aede ultimum lapidem hoc loco posuit, ubi modo quiescit 1687 die 14. Febr. P. Vitus Rastpichler,* Umhusanus, Tyrol. an. 1669 professus, post studia immediate promotus ad Lectoratum, doctrina et pietate claruit, ulterius mox promovendus, ni mors spem Provinciae fefellisset. Ministro Provinciali, eum in morbo invisenti et ad dolores strenue perferendo hortanti, respondit: *Non agnosco ut dolores, sed ut Dei flores.* Denique optime dispositus Oeniponti qua Lector S. Theologiae an. 1687 die 28. Maii in Domino obdormivit, et in peristylio conditus

[1] Monum. Prov. Tyrol. nec non Convent. Bulsan. ac Oenipont. Fsanciscan. Chron. Prov. Tyrol. p. 26. et 29. De secundo agit perperam eius mortem ad an. 1680. revocans.

est, his lapidi insertis verbis: *M. V. P. Vitus Rastpichler SS. Theologiae Lector, obiit die 28. Maii*[1].

310. *P. Mathias Schmidlin,* Rhenofeldensis, Rauracus, Suazii an. 1639 die 28. Febr. vinculis Seraphicis decoratus, in scientia, prudentia et pietate ita eminuit, ut 29 annis Lector, bis Visitator Commissarius Prov. Austriae, ac ter Minister Provincialis creatus fuerit. Doctrinae profundae correspondit profunda humilitas: Provincialatus clavum tertia vice summe resistens acceptavit. Provinciam in visitatione pedester (etsi fuerit corpulentus et debilis) peragravit et subin socio inhibuit, ne characterem sui officii prodat. Aliquando in nocte Resurrectionis Dominicae, qua uti olim mos ferebat, SS. Sacramentum ex Capella Argentea ad Aram summam deportabatur, ipse qua actualis Minister associatus Laico ante ceteros Patres et Fratres processit. Eodem victu ac vestitu cum aliis usus est et integerrima vita splenduit. Officium divinum usque ad ultimum triduum persolvit. Ministro Prov., ipsum in ultimo morbo hortanti, ut loco recitationis verbalis Deo bonam voluntatem offerat, reposuit, se paulo ante, nullo in cella existente, simile audivisse. Die mortem praecedente in praesentia Ministri Prov. edixit, se ut vere obedientem subditum mori velle. Omnibus Sacramentis munitus, in die obitus S. Synaxi denuo refectus, an. 1687[2] die 4. Nov. sub Officio solemni Aulico inter tympana et choros, inter chordas et organa animam devotissime efflavit. Sereniss. Eleonora, Regina Poloniae unacum Praefecta, una alterave domicella funus eius usque ad tumulum comitata est et istud communi aspergillo madefecit, in haec erumpens verba: « *Hic vere humilis fuit Franciscanus* ». Quiete sua potitur in peristylio ante domum Capitularem, his lapidi sepulchrali inaratis verbis: *A. R. P. Mathias Schmidlin a Rheinfelden, ter Provincialis, bis Commiss. Visitator, Philosoph. et Theologiae per 29 annos Lector, pie obiit 4. Novembris 1687*[3].

311. *P. Iustinus Kaltprunner,* Suazensis, Tyrol., an. 1632 natus, an. 1650 S. habitu indutus, ocius in virtute et scientia mire profecit. In Lectura se ita distinxit, ut Universitatis Friburgensis *Oculus* et *Lumen Scoti* fuerit appellatus ac a Reverendissimo Ministro Generali praerogativa Lectoris Iubilati decoratus. In officiis principalioribus Provinciae eidem iniunctis, miram prudentiam suavitatem, discretionem et vigilantiam praesetulit, et animos subditorum timore et amore sibi devinxit; unde non est mi-

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Convent. Oenipont. Francisc. ac Parthen. Brixin. Clariss. Chron. cit. primum p. 28. 30. etc. tangit.

[2] Neutiquam 1662.

[3] Hueb. in Chron. col. 858. Sannig. part. 6. Chron. p. 246. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 368. etc. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 29. etc. et 227. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Francisc.

ratu dignum, quod bina vice ad fastigium Provincialatus pervenerit. Qua Chronologus Provinciae plura calamo perdocte congessit et in Archivo Provinciae reposuit. Horas Canonicas devotissime persolvit; ac dolorosam Matrem compassiva teneritudine prosecutus est. Acres podagrae dolores lactus sustinuit et tandem viribus exhaustus Oeniponti an. 1691 die 2. Martii mortem in conspectu Domini gloriosam oppetiit, et in domo Capitulari tumulo illatus fuit sub his verbis: *A. R. P. Iustinus Kaltprunner a Suazio, Provincialis bis emeritus, Lector Iubilatus et Provinciae Chronologus, studio, curis, laboribus et corporis doloribus exhaustus, obiit 2. Martii 1691 aetat. 59, qui nobis anagramatice dicit: Plurima sustinui, nunc gaudeo; sustinuisse decet, sustinuisse placet. P. Leo Kaufmann,* Oenipontanus, Tyrol., an. 1645 professus, pluribus officiis laudabiliter perfunctus podagram contraxit, quo tamen non obstante diu noctuque Chorum et Confessionale, quantum possibile erat frequentavit, aiens: « *Non debeo meo novitio* (intellexit podagram) *condescendere* ». Una quoque ea plerumque attrita tunica erat contentus, et senio non attento, ieiunia Ecclesiae et S. Regulae etiam *Benedictum,* exactissime observabat. Vitae periodum Suazii an. 1691 die 17. Martii piissme absolvit. Confessarius eius post mortem Guardiano extradidit instrumentum obsignatum ultimam voluntatem continens, in quo defunctus omnia Missae Sacrificia et alia Suffragia, sibi a Provincia persolvenda, animabus in Purgatorio cessit [1].

312. *P. Adrianus Hueppher,* Bulsanensis, Tyrolensis, an. 1653 Suazii vinculis Seraphicis oneratus, maiora Provinciae munera laudabilissime obivit, bis clavum Ministerii Provincialis tenens, bis qua Visitator Commissarius alienas Provincias invisens, et ad dignitatem Definitoris Generalis in Comitiis Generalibus Toletanis an. 1682 [2] ascendens. De cetero vir hic virtutibus, Religioso competentibus ex asse instructus, meritis dives, optime dispositus, exin apoplexia tactus, praenuntiata hora mortis in Conv. Bulsan. an. 1694 die 25. Oct. vitae cursum consummavit, ante mortem fratribus praesentibus et absentibus benedixit, dicens: « *Benedico vobis, sicut Iacob benedixit filiis suis* ». Exin pro spirituali eorum testamento, repetitis vicibus haec verba protulit: « *Commendo veram, non fictam, veram fraternam caritatem* ». Cadaver eius in Choro inferiori Ecclesiae terrae mandatum est cum inscriptione: *A. R. P. Adrianus Hueppher a Bulsano Ord. Min. Ref. Definitor Generalis, nostrae Prov. Tyrolis Lector, Concionator, Definitor et bis Provincialis, Visitator Generalis Prov. Austriae, Bohemiae, in Capitulis Generalibus Toleti, Victoriae et bis*

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 369. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 31. etc. ac 227. Monum. Prov. Tyrol. Conv. Oenipont. ac Suaz. Franciscan.

[2] Nequiquam Romanis, an. 1688 coactis, uti acta Capitularia dant.

Romae Sub-Minister, ter huius Conventus Guardianus post multos labores etc..... † 1694 die 25. Oct. et phys. 63. Relig. 42 [1].

313. *Fr. Guilielmus Kröll*, Niederdorfensis, Tyrolensis, *Laicus*, primis post Professionem, quae contigit an. 1645, annis, ob suam Religiosam conversationem FF. Laicorum Magister constitutus, illos verbo et exemplo ad Seraphicam perfectionem provocabat. In officio Ianitoris, quod in Conv. Oenipont. 33 circiter annis laudabilissime administravit, eminente caritate erga pauperes, praesertim studiosos et peregrinos enituit; ieiunium *Benedictum* inviolate servavit; ìanuis Ecclesiae clausis coram Sanctissimo genibus flexis, quotidie per prolixum temporis spatium orationi vacavit; fracto ex improviso lapsu poplite patientissimus fuit. Ad coeli ianuam, ut pie sentiendum, an. 1695, die 21. Sept. Oeniponti gressus suos direxit. *P. Vincentius Grueber*, Tyrolensis, ex valle Ulten, Suazii an. 1669 Regulae S. Francisci per S. Professionem assertus. Guardianus, Vicarius et Concionator, ac Novitiorum-Magister, insignis Religiosus, mortificationi sui deditus, in Confessionali maxime sedulus, in solandis et ad ultimum agonem disponendis infirmis zelosissimus, Bulsani an. 1696 die 10. Martii animam exhalavit. *P. Amandus Jenewein*, Oenipontanus, Tyrol., an. 1639 S. habitu amictus, saepius Guardianus, Vicarius et Concionator, vir ob candorem animi, affabilitatem, columbinam simplicitatem, eximiam devotionem erga Christum passum, B. V. Mariam, ingentem caritatem erga animas in piacularibus flammis detentas et poenitentes, orationis studium ac paupertatem maximopere aestimandus, in Conv. Bulsanensi an. 1693 die 12. Iunii vitam clausit [2].

314. *P. Benedictus Riedl* [3], Raistingensis, aut de loco magis noto loquendo, Diessensis, Bavarus, an. 1671 S. habitu amictus, vir magnae et singularis devotionis erga B. V. Mariam et S. Michaelem Archangelum. Individuus Chori socius, ibi diu noctuque primus, fratrum solatium, Conventus Waldseensis, cui bis praefuit, pax, subditorum *Pater* vere *Benedictus*, in Arce Zeilensi apoplexia tactus, an. 1697 die 12. Sept. dies suos explevit, in Conventu Waldseensi quorsum cadaver translatum quietem nactus. *P. Vigilius Salvotti* [4], Bulsanensis, Tyrol., an. 1656 Suazii professus, Concionator insignis, ultra 20 annos ex Cathedris, inter quas etiam numerabatur Aulica, fructuose perorans, Guardianus, Custos et Minister Provincialis dignissimus, eximius B. V. M. Cultor, decrevit ut in Litaniis Marianis addantur verba: « *Regina sine Macula concepta* ». Ultimo morbo correptus

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 369. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 32. 34. et 227. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Bulsan. Franciscan. Chronol. Ord. t. 2. p. 172, t. 3. part. I. p. 215.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Oenip. et Bulsan. Francisc.

[3] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Waldseensis Francisc.

[4] Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 35. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenip. Francisc.

pensum Canonicum et alia devotionalia recitabat, usque ad ultimam mortis diem in S. Ara litabat, ac in divinam voluntatem resignatissimus haec ingeminabat: « *Contentissimus vivo, quidquid mecum divina bonitas disposuerit, dummodo ipsa mecum contenta foret* ». Confessione generali peracta et ultimis morientium Sacramentis munitus in praesentia Sanctissimi in genua provolutus est, veniam ab omnibus exorans, preces eorum efflagitans et suam intercessionem in altera vita oppignorans die 30. Aug. 1697 *Vigilias temporales* absolvit *Vigilius*, promissa *Vigilantibus* iura et praemia recepturus in coelis. Sepulchrum acquisivit in peristylio prope domum Capitularem cum hac inscriptione: *A. R. P. Vigilius Salvotti a Bulsano Minister Provincialis et Concionator Aulicus, pie obiit 30. Aug. an. 1697.*

315. *P. Christophorus Millich* [1], Bulsan., Tyrolensis, an. 1666 S. habitu cinctus, Christum passum iugiter in suo corde gessit, subin in lacrymas compassivas effusus. B. V. M. singulari affectu coluit, animabus purgantibus sua bona opera, in quantum valebat, transcripsit, et Bulsani an. 1698 die 17. Decemb. vixit. *P. Abrahamus Tausch* [2], Oenipont., Tyrolensis, Religionem an. 1653 ingressus, in ea bene meritus Concionator, Vicarius, Guardianus et Definitor, Chori, in quo regulariter primus erat, singularis amator, pacis et caritatis zelosus cultor, in omnibus adversis plenissime in Divinam voluntatem resignatus, ultimis morientium subsidiis refectus, Christum Eucharisticum, in genua provolutus recepit, veniam a praesentibus fratribus, si quem offendisset, exoravit et subin apoplexia tactus, in Conv. Bulsanensi an. 1699 die 17. Maii ad meliorem vitam pie avolavit. *P. Cosmas Wettin* [3], Traminensis, Tyrolensis, Suazii an. 1652 indutus, dignissimus Novitiorum-Magister, Guardianus, Definitor, Custos et Provincialis, semel Romam et bis in Hispaniam ad Comitia Generalia cum calepodiis et sine pecunia profectus, paupertate, sobrietate, obedientia, humilitate, mansuetudine, animarum zelo, mira in adversis patientia et resignatione excelluit. Caecitate bina vice afflictus, velut alter Tobias immobilis in timore Dei permansit et Chorum ad eum benedicendum accessit. Vir hic Sereniss. Eleonorae Reginae Poloniae ac Carolo Lotharingo eius Marito gratissimus, omnibus Sacramentis susceptis, venia defectuum humillime rogata, precibus fratrum imploratis, an. 1699 die 7. Aug. in Conv. Oenipont. morti vectigal solvit. In peristylio prope domum Capitularem visitur eius lapis sepulchralis, haec verba suggerens: *A. R. P. Cosmas Wettin olim Minister Provincialis, Custos, ter in Capit. General. vocalis, toties Definitor, Conv. huius Guardian., pie obiit aetat. 66. die 7. Augusti. Anno 1699.*

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Bulsan. Francisc.

[2] Monum. mox citata.

[3] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Francisc. Chron. cit. 33. etc.

316. Annectuntur fratres intra an. 1625 et 1700 ex morbo in servitiis spiritualibus contracto, sicque ex *Caritate* vita exuti: *P. Caspar Ardolph*, alibi *Adolph*[1], Herbolzhemii, Dioecesis Argent. pago natus, Oeniponti an. 1615 professus, zelosus Confessarius, febri maligna Bulsani grassante, in suo sacro negotio infectus, ibidem an. 1629 die 14. Decembr. obiit. *P. Oswaldus Haller*[2], Halensis, Tyrolensis, S. Professionis ligamine an. 1649 Suazii constrictus, in sedulis obsequiis Friburgi moribundis delatis, febrim malignam hauriens, ibid. an. 1676 die 23. Decembr. animam suam pro amicis posuit magno sui relicto desiderio. *P. Lucas Gotterding*[3], Bulsan., Tyrolensis, an. 1657 Suazii professus, pluribus annis Concionator sedulus ultra 20 annos ieiunii *Benedicti* observator, ad tempus Sereniss. Annae Mediceae, Sereniss. Archiduc. Ferdinandi Caroli Viduae ac Claudiae Felicitatis eius filiae, antequam Leopoldo I. Caesari nuberet, Confessarius ac Sacellanus, Provinciam S. Reliquiis a Serenissima Anna obtentis ditavit, in infirmorum visitatione, in qua erat indefessus, febrim malignam sibi adsciscens, an. 1695 die 1. Febr. pie in Conv. Oenip. exspiravit. Scriptura lapidis sepulchralis, sub quo in peristylio fuit conditus, iam est attrita. *P. Ioachimus Marell*[4], Oenipontanus, habitu Seraphico an. 1662 condonatus, saepius Guardianus, Vicarius, pluribus annis Capellanus Regius et Aulicus, in accessu infirmorum, qua Concionator festivalis febrim malignam sugens, Oeniponti an. 1695 die 26. Feb. victima caritatis evasit, quiete sua potitur in peristylio cum hac inscriptione: *M. V. P. Ioachimus Marell ab Oeniponto Conc. Festiv obiit die 26. Febr. 1695.*

317. Hueb.[5] inter fratres maiori virtute nitentes etiam reponit: *P. Onuphrium Reisacher*, addito an. 1663 et *P. Herculanum Stocker*, adiecto an. 1674. Necrologio nostrae Provinciae de eximia virtute eorum nullum testimonium ferente, istos heic omitto. Anni, quos fatus Auctor allegat, morti non correspondent: nam primus Suazii an. 1687 die 5. Aprilis; secundus vero, podagrae doloribus pluribus annis vexatus, Caldarii an. 1692 die 24. Sept. vitam[6] finiit. De primo Cap. seq. redibit sermo. — Franciscani quoque duo reperiuntur, Martyrio intra an. 1625 et 1700 affecti, qui quidem in tractu Prov. Tyrol. luci huic primum Ave dixerunt; attamen eius Alumni non exstitere, videlicet: *P. Adolphus Ardolph*, iuxta quosdam Caldariensis, Prov. Argent. Filius, a milite Suecico prope fortalitium Hohen-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Bulsan. Franciscan.

[2] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. Franciscan.

[3] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenip. Francisc. Hueb. in Chron. col. 858. an. 1673, quem allegat, morti non convenit.

[4] Monum. mox citata.

[5] Hueb. in Chron. col. 858.

[6] Necrolog. Prov. Tyrol. Franciscan.

Aschberg in Ducatu Württembergico an. 1632 interemptus, a me in Prov. Argent. seu Alemannica pluribus delineandus; et *P. Clemens Reifer* Brixinensis, Provinciae Venetae S. Antonii FF. Minorum Reformatorum Alumnus, in Valle Lucernae 1655 neci datus, de quo cum nullius Provinciae Germanicae Filius exstiterit, et extra Germaniam vita exciderit, appendix adiungitur.

§ 7.

Vita V. P. Clementis Reifer Brixinensis, Provinciae Reformatae Venetae S. Antonii Alumni, in valle Lucernae ab hostibus Fidei necati, per modum appendicis annexa.

318. Brixina, Principis Comitatus Tyroleos civitas, istum Athletam Christi an. 1624 die 5. Sept. in lucem editum et in S. Fonte Michaelis nomine insignitum, suspexit. Parentes eius Ioannes Reifer et Eva Stutler, cives Brixinenses, pietati addicti, filiolum in via virtutis sedulo excoluerunt et studio maturum, in celeberrima Canonia Neocellensi S. Augustini [1], in qua Reverendiss. Abbas Iacobus Vischer, ob matrem ei coniunctus, nec non D. Simon ac D. Hartmann Reifer cognati morabantur, locarunt. Fundamento heic posito, scholas inferiores usque ad humanitatem Brixinae, residuas Halae absolvit et Oeniponti Philosophiam excepit. Spiritu devotionis cum annis aucto, peregrini habitum induit et Romae S. Loca invisit. Redux inclinante die Conventum Viminariensem [2] S. Petri attingens et caritative admissus, plures sermones cum P. Sancto de Tridento, Conventus Vicario, olim Provinciae Bavariae postea Venetae S. Antonii Reformat. Filio, miscuit ita, ut per eius verba Spiritu S. tactus, in Prov. hac sub Vexillo S. P. Francisci militare anhelarit. Inde litteris recommendatitiis fati Patris Vicarii instructus Paduam se contulit et in Congregatione Ven. Definitorii, ibi paulo post instituta, tanto cum zelo pro S. habitu supplices fecit, ut sui voti compos evaserit et an. 1646 die 20. Ianuarii in Conv. Bassanensi [3] S. Bonaventurae, Provinciae Reformat. S. Antonii adscriptus, sub nomine *Fr. Clementis* S. habitu condonatus fuerit. Novitiatu per strenuum virtutum exercitium emenso, applicatus est studiis, tanto cum fructu, ut in eorum coronide notam Lectoris [4] et Concionatoris adeptus sit. Tum in Novitiatu, tum eo finito saepius exarsit desiderio, salutem animarum, a Fide

---

[1] Canonia haec, vulgo Neustifft dicta Brixinae accumbit.

[2] Quiescit in Dioeces. Patavina prope castrum Montissilicis.

[3] Bassano, oppidum Dioeces. Vicentinae, a fluvio Brenta alluitur.

[4] Actu, qua Lector non docuit.

vera alienarum procurandi, et sanguinem suum pro eadem fundendi: unde acquisita debita licentia contulit se Romam, ut ibi in Collegio S. Petri in Monte Aureo, pro Missionariis Apostolicis deputato, sese ad Missiones pararet [1].

319. S. Congregatio de Propaganda Fide, perspecta prudentia, scientia, virtute et spiritu *P. Clementis*, eum ad Missiones in valle Lucernensi [2], Delphinatui vicina, Waldensium Calvinistico veneno infectorum sede, destinavit, quorsum abs mora an. 1653 uti eius litterae dant, movit. Locum obedientiae, ab Italis, *San Secondo* dictum attingens, se totum fidelibus dicavit, annuntiando iis crebro Verbum Dei, administrando SS. Sacramenta, et filios eorum in necessariis ad salutem instruendo. Ingens tunc temporis contra Catholicos in fata Valle saeviebat persecutio, igne et ferro suum furorem in eosdem exercens, Sereniss. Duci Sabaudiae, suo vero Domino, obedientiam denegans, et in Franciscanos Reformatos, iam antea ad Missionem hanc immissos, implacabili odio aestuans. *P. Clemens* periculis his proximus, nullis consiliis moveri potuit ad mutandum locum Missionis, bonus ovium suarum Pastor, utpote eas in tali necessitate non deserens, et ad animam pro illis ponendam sese unacum *F. Didaco de Valdiero, Laico* Pedemontano, Prov. Pedemontanae S. Thomae Reformatorum Alumno, forti animo disponens. An. 1655 die 14. Maii Fer. 6. post Fest. Ascens. Dom. paulo post auroram colluvies sectariorum in pagum S. Secundi irruit et variis excessibus in eo productis, tantum timorem incolis incussit, ut multi eorum fuga sibi consuluerint. Maximum furorem in Domo Missionis exercuerunt: in qua quidem per fenestras penetrantes, ianua dein aperta, ceteris ingressum panderunt. Deinde res Sacrae, et aliae ablatae, S. Vasa confracta, ianuae disruptae, S. Imagines dilaceratae ac pollutae, inque *P. Clementem, Fr. Didacum* ac parvulum circiter 12 annorum [3] *Iacobum Bima*, saevitum est [4].

320. Diabolici satellites ira spumantes [5] *P. Clementem*, laeva Crucifixi imaginem ferentem ac in genua demissum, ponderosis improperiis ac cavillationibus inundarunt vitae gratia, si habitum et Crucifixum abiiceret ei oblata. Forti pugile Christi utrumque abnuente, eum pugnis gravatum, pedibus e domo Missionis eiecerunt et gladii ictu Crucem eidem, incasso

[1] Petrus Ant. de Venetiis in Legenda Franciscan. die 14. Maii t. 5. p. 168. etc. Schmid in vit. SS. Tyrol. part. 4. p. 66. etc. Kaltprunner in Chron. MS. Prov. Tyrol. Francisc.

[2] Nomen hausit a civitate Lucerna Pedemontana, a civitate Lucerna Helvetiae discernenda.

[3] Iuxta Petrum. Ant. cit.

[4] Petrus Ant. cit. p. 169. etc. Schmid. cit. p. 68. etc. Orb. Serap. t. 2. p. 452. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 369. Hueb. in chron. col. 867. et in Menolog. die 12. Maii. Sannig in chron. dart. 6. p. 230. etc. Kaltprunner cit.

[5] Legend. cit.

tamen labore, extorquere conati sunt. Heros Christi his magis accensus, genubus terrae infixis, oculos et cor ad Deum direxit, orans ut Deus ignoscat persecutoribus et mala maiora a Catholicis avertat. Haeretici per haec in maiorem rabiem acti, sclopetis ac gladiis diversas corporis partes eiusdem perforarunt, *P. Clemente* Crucifixum e manu nullo modo dimittente. Post haec ictus ferri caput eius in medium dissecuit, corpore in terram lapso et anima ad coelestem gloriam, uti pie existimatur elata. Eodem tempore Nebulones isti *F. Didacum* pessime habuerunt, pulverem nitratum [1] ori eius immissum igne admoto in flammas solventes, sicque crudeli violentia partem supremam capitis a corpore avellentes. Sanguisugae etiam fatum adolescentem *P. Clementis* discipulum illum amplexum, ipsiusque habitum fortiter tenentem pluribus vulneribus inflictis peremerunt [2].

321. Scena hac tragica finita impii Palatium, in quod centum circiter Catholici, inter quos etiam adolescentes, a *P. Clemente* instructi sese receperant, invadunt, multis ex utraque parte necatis, occupant, magnam stragem ibi edunt et Franciscanos vulneratis spiritualia servitia praestantes, dorso ad dorsum colligatos secum in montana abducunt; quos tamen ad intercessionem Legati Gallici, Taurini residentis, iterum libertate donarunt: hostibus S. Fidei abeuntibus, Catholici redierunt et corpora duorum Franciscanorum, ac parvuli sanguini innatantia invenientes in compassivas lacrymas soluti sunt. *Alexander Crescentius* Legatus Apostolicus in illis partibus, specialis fautor *P. Clementis,* nuntium huius tragoediae nactus a lacrymis se continere haud valuit. Ex eius imperio corpora *P. Clementis* et *Fr. Didaci* ad residentiam Franciscanorum Bricherasiensem, duobus mill. Italicis semotam, translata et in Ecclesia eiusdem condita sunt; *Puerulo* sepultura in pago S. Secundi, sua patria obvenit. Sepulchrum *P. Clementis* sequenti inscriptione gaudet: *Hic iacet corpus R. P. Clementis Brixinensis, Provinciae Reformatae D. Antonii* [3] *alumni, vallis vero Lucernae Missionarii Apostolici, qui in S. Secundi Missione dicto officio fideliter functus, ob fidem Catholicam ab haereticis die 14. Maii* [4] *crudeliter trucidatus est anno Domini 1655.* Licet viri hi non sint declarati ceu Martyres ab Ecclesia Romano Catholica colendi attamen Processus authenticus de iis iam est formatus et Martyrium eorum in cupro exaratum, publico expositum est. Recensentur quoque varia Beneficia per intercessionem eorum obtenta. Conventus Veronensis Reformatorum habitum, pretioso sanguine *P. Clementis* rigatum, retinet. Cruor Seraphicus hac occasione fusus fidem Catholicam auxit, Acatholicorum numerum di-

---

[1] Petr. Ant. cit.

[2] Petrus Ant. cit. p. 170. etc. Schmid cit. p. 70. etc. Scriptores alii, iam citati.

[3] Non Prov. Tyrol.

[4] Neutiquam 12. Maii.

minuit, et anno 1686 quo Victor Amadaeus II. Dux Sabaudiae Waldenses subiecerat, et fidem Catholicam amplecti nolentes in exilium[1] miserat, ad extrema deduxit[2].

§ 8.

Clarissae Provinciae Tyrolensis, virtute splendentes, intra an. 1625 et 1700 mortuae.

322. *M. Marina Eüspacher*[3], minus recte a quibusdam *Maria Eispach* vocata, carcinomate in collo dire afflicta sectionem admittere statuit. Nocte diem pro hoc actu destinatum praecedente, eidem praesentes sese sisterunt SS. Cosmas et Damianus ac Emplastrum collo admoverunt. Virtute eius die sequente a suo malo exempta ad stuporem omnium apparuit. Vitae Epilogum in Monasterio Brixinensi an. 1628, die in Monum. istius non allegata, fecit. *M. Susanna de Payr*[4], Parthenonis Brixinensis Filia, erga Christum Eucharisticum devotissima, tribulationum maxime avida, istas summa cum patientia excepit, et an. 1632 die 2. Maii ad refrigerium aeternum gradum fecit. Memoratu dignum est, quod evolutis post mortem 28 annis Rosarium eius illaesum et ligamen in primo suo vigore apparuerit, esto putredo cetera omnia usque ad ossa consumpserit. Favor hic, uti pie sentiendum, devotioni qua erga Matrem SS. Rosarii ferebatur, attribuendus. *M. Maria Ursula de Troyer*[5], Tyrol., in Monast. Brixin. professa, an. 1622 ex voluntate Ministri Prov. ad Monast. *Friburgense* Clarissarum deputata, in isto munus Priorissae sustinuit, disciplinam religiosam promovit, speculum vitae religiosae egit, et an. 1635 vitam amittens Friburgi apud Franciscanos quietem invenit.

323. *M. Caecilia Gugler*[6], Clarissa Parthenonis Brixinensis, speciali virtute ornata, 12 annis in S. Religione piissime transactis, an. 1641 die 6. Febr. ad Sponsi coelestis thalamum avocata fuit. Post mortem Celsiss. D. Ioanni VII. Plazgummer Episcopo Brixinensi eius in saeculo Confessario, mortis illius nescio, in solemni Processione corona redimita apparuit. *M. Catha-*

---

[1] Theatrum Europae part. 12. p. 1109. etc.

[2] Petrus Ant. cit. p. 171. etc. Schmid p. 70. etc. Auctores alii iam citati, Cont. Orb. Seraph. t. 2. de Miss. p. 65, 163, 173, 188, Analecta Franc. t. 1. p. 323 et 363.

[3] Hueb. in Menolog. die 8. Nov. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 372. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 228. Monum. Parthen. Brix. Clariss.

[4] Hueb. cit. die 2. Maii. Cont. cit. p. 373. Chron. cit. Monum cit.

[5] Monum. Monast. Brix. et Friburg. Clariss. ac Conv. Friburg. Francisc.

[6] Hueb. cit. die 6. Febr. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 372. Schmid in vit. SS. Tyrol. part. 4. p. 26. Chron. cit. p. 229. Monum. Monast. Brix. Clariss.

rina de Wolkenstein [1], Comitissa, 18 annis interpolatis dignissima Monasterii Brixinensis Abbatissa, paupertate, humilitate et aliis virtutibus micans, an. 1643 die 29. Martii (neutiquam an. 1645 die 23. Martii) Dominica Palmarum sub S. Passione ipsi praelecta et in Ecclesia cantata, piissime exspiravit. *M. Anna Catharina de Kolz* [2], ex nobili Kolziorum familia orta, Brixinensis, Monasterium Brixinense Clarissar. an. 1641 die 27. Maii ingressa, in hoc virtutibus splenduit. In ultimum morbum ab ardenti amore acta, post deliquium, vel uti quidam existimant extasim, ad se rediens, ad sororem eius servitiis addictam dixit, ut sibi reddat corollam, utpote nedum absolutam, et subin hilari ac sereno vultu an. 1643 (neutiquam an. 1642) die 21. Iulii in Domino obdormivit. Post mortem tota amabilis et corona ornata cuidam sorori apparuit, indicans, se a purgatorii flammis exemptam esse. *M. Claudia Weinhart* [3], Oenipontana, Parthenonis Brix. Alumna, an. 1639 die 1. Maii induta, in brevi explevit tempora multa; etsi enim adhuc sub Magistrae disciplina staret; pietate tamen et caritate ita excelluit, ut mundo mortua, soli Christo, in cuius conspectu vivaciter ambulabat, viveret. Mortem oppetiit an. 1643 die 28. Decembris.

324. *M. Constantia Bertholdi* [4], Dennensis, Ananiensis, claris naturae dotibus, praesertim acri intellectu donata, dignissima Iuniorum-Magistra, eas verbo et exemplo erudivit; in paupertate, patientia et obedientia eminuit, in ipso mortis die, quin et agonis hora S. Viatico et extrema Unctione, pro qua gratia Deum saepius convenit, refecta fuit. Vere et digne Constantia dicta, quae perseveravit usque in finem 1645 die 25. Sept. *M. Maria Margaretha Scheibl* [5], Monast. Brix. Clarissa, caritate erga sorores flagrans, gravi aliquando calamitate pressa, post Matutinum in Choro in humum prolapsa, ad SS. Sacramentum supplices affectus misit et haec verba ex imagine Christi passi, in Choro pendula, percepit: *filia! bono sis animo, ego te non deseram.* Paulo post magno solatio affecta est et tandem ad Consolatorem omnium an. 1647 die 16. Decemb. uti asseverant Monum. Brix. Monast. gressus suos direxit. Quarto post obitum die se visendam praebuit D. Canonico Collegii Neocellensis, ipsius cognato, expetens Missas promissas et annuntians se in bono statu esse. *M. Maria Magdalena Gerhardi* [6], de Köstlan, Brixinae nata, an. 1625 die 13. Octob. in Monast. Brixin. professa, istud variis virtutibus, praesertim eximia cari-

---

[1] Hueb. cit. die 23. Martii. Cont. Chron. et Monum. cit.

[2] Hueb. cit. die 21. Julii. Cont. cit. p. 370. Chron. et Monum. cit.

[3] Hueb. cit. die 28. Decemb. Cont. cit. p. 372. Chron. et Monum. cit.

[4] Hueb. in Menolg. die 25. Sept. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 370. Chron. et Monum. citata.

[5] Hueb. cit. die 12. Decemb. Cont. cit. p. 372. Chron. cit. p. 229. etc. Monum. cit.

[6] Monum. cit.

tate, sororibus infirmis impensa, illustrans, an. 1648 die 14. April. ad Sponsum coelestem migravit.

325. *M. Sabina Pfaundler* [1], Filia Monast. Brixin., silentio et mortificationi sui apprime dedita, in Choro assidua, post Matutinum a somno abstinuit, tempus in piis exercitiis usque ad auroram transegit, de omnibus bene iudicavit et laudabiliter discurrit, singulis servivit et benefecit; humilitatis obsequia contentiose quaesivit, erga personas, honore aut amoris obsequio eam excipientes, displicentiam ostendit. Mors ei filum vitae an. 1652 die 28. Maii abrupit. *M. Anna Söll* [2], sponsa Christi, in Parthenio Brix. isti dedicata, erga Passionem eius summe devota, cordata rerum temporalium contemptrix a Deo serio petiit, ut ab omnibus contemptui haberetur. Exaudita in morbum sonticum et alia adversa, summa cum patientia ab ea tolerata, incidit. Ad instantiam sororum coelum convenit, ut iterum a suo redimeretur morbo, hocque mox obtinuit, per decennium ab illo exempta, exin antiquum morbum contraxit et febri maligna correpta, vix non humi iacens, ut etiam in agone terrena calcaret, vitam an. 1652 die 23. Sept. finiit. *M. Agnes Springer* [3], Bulsanensis, Monialis eiusdem Monasterii, eximia virtute praedita, erga S. Ursulam eiusque socias ingenti devotione flagrans, in agone constituta, continuo oculos figebat ad ianuam (quae licet saepius clausa, semper iterum occulta vi dicitur aperta fuisse) et sensim faciem magis formosam praeseferebat. Exin ortum duxit opinio, quod moribundae S. Ursula, eiusque sociae apparuerint, eamque in ultimo agone, 1657 die 22. Ianuarii adiuverint.

326. *M. Eleonora Ursula de Wolkenstein* [4], Comitissa, Brunopolitana, Brixinae an. 1619 die 24. April. professa, in observatione S. Regulae et statutorum fervida, rerum temporalium generosa contemptrix, Christum anhelans et horae mortis quasi praescia an. 1657 die 3. Maii spiritum emisit. *M. Theresia Manicor* [5], Oenipontana, vinculis S. Professionis Brixinae an. 1629 die 1. Iunii ligata, austeram vitam duxit et corpus horrido cilicio, clavulis armato, evolutis aliquot ab obitu annis apud eius ossa invento, afflixit. Tanto ardore ferebatur in Christum Eucharisticum, ut in Choro ante S. Communionem subin in affectus sonoros eruperit et prima ad S. Communionem fuerit admittenda. Post S. Communionem suavem diffundebat odorem et in die eius cibum terrenum gustare non valebat. Saepius in extasi a terra elevata visa est. Tandem meritis abundans, verbis, *Be-*

---

[1] Hueb. in Menolog. die 28. Maii. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 372. etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 230. Monum. cit.

[2] Hueb. cit. die 23. Sept. Cont. cit. p. 370. Chron. et Monum cit.

[3] Hueb. cit. die 24. Jan. cum morte non conveniente. Cont. cit. Chron. Prov. et Monum. cit.

[4] Monum. Monast. Brix. Clariss.

[5] Monum. cit. Hueb. in Menolog. die 1. April. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 373. Chron. cit.

nedicamus Domino, in ultimo agone saepius repetitis an. 1658 die 1. April. ad coelestem thalamum avocata fuit. *M. Catharina Sigmund*[1], Brixinensis, Brixinae an. 1644 die 14. Aug. Vota solemnia emittens, virtute extraordinaria claruit et infirmitates suas, quarum aliquas silentio supprimebat, invicto animo pertulit. In ultima lucta a daemone, vehementer exagitata, sororibus aquam lustralem adhibentibus, ab hoc assultu exempta fuit et moribunda ad illas dixit, *En! iam mihi nullum damnum inferre potest.* Victas manus morti an. 1660 die 8. Ianuarii dedit, vitricibus palmis exin coronata in coelis.

327. *M. Maximiliana de Hildeprand*[2], Brixinensis, in patrio Monasterio Sponso coelesti per S. Vota an. 1639 die 11. Octob. associata, qua Novitia daemonem in persona Magistrae apparentem et res sacras eius per modum probationis expetentem, elusit; qua professa orationi, mortificationi et exercitio aliarum virtutum, iugiter vacavit. Ultimo morbo affecta, sorores ad mortem alacriter subeundam hortabatur, aiens, *gratiam Dei eis non defuturam.* Ante mortem in spiritu *P. Fridericum Gailer,* ante duos ac dimidium annum mortuum perspexit, ad quem qua Confessarium, magnam olim alebat fiduciam. In infirmaria lecto Evangelio de nuptiis in Cana Galilaeae, quaesita, quaenam esset proxima futura sponsa Christi in coelis? ocius reposuit: *Ego sum, parate mihi vestes comptas:* et ecce, post tres horas in Domino exultans exspiravit an. 1660 die 18. Ianuarii. *M. Maria Elisabetha de Spaur*[3], Comitissa, Oeniponti an. 1617 die 23. Nov. nata, Brixinae an. 1637 die 21. Maii professa, ingenti amore sororibus omnibus obviavit et magnum fervorem in Officio Divino fovit. An. 1650 debita licentia obtenta unacum *M. Francisca Carara*, infra tangenda, ad Monasterium *Roboretanum* Clarissarum noviter exstructum, perrexit prima Priorissa eiusdem declarata, in quo charactere Magistra *V. M. Ioannae de Cruce* in Novitiatu degentis, ab eximia sanctitate *celeberrimae* exstitit, an. 1655 cum dicta *M. Francisca* Brixinam rediit ibique an. 1660 die 5. Febr. vivere desiit. Fertur, quod fata *V. M. Ioanna* post mortem animam eius magno splendore cinctam, ad astra migrare viderit. *M. Maria Dorothea de Trapp*[4], Comitissa, in arce Schwamburg nata, Brixinae an. 1637 die 21. Maii S. votis constricta, acuto intellectu et ingenti prudentia praedita, in mansuetudine, humilitate et resignatione in Divinam voluntatem sese

---

[1] Hueb. cit. die 5. Ianuarii, cum morte non concordante. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 371. Chron. et Monum. cit.

[2] Hueb. cit. die 18. Ianuarii. Cont. Orb. Seraph. cit. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 230. etc. Monum. Moiiast. Brix. Clariss.

[3] Hueb. cit. die 5. Feb. Chron. Prov. Tyrol. p. 231. Monum. cit.

[4] Monum. cit.

distinxit, visu orbata, pro viribus labori incubuit, et an. 1661 die 19. Sept. decessit.

328. S. *Agatha Morell*[1], ab aliis minus recte *Morinell* dicta, *Laica* Monast. Brixinensis, miro studio corpus in servitutem spiritus redigendi praedita, pluribus annis esu unius ovi contenta, paucissima loqui solita, dolores suos sine querela perpessa, in morbum ob excessum amoris et sat acrem sui corporis castigationem incidit: isto per triennium permagna cum patientia tolerato, piissime an. 1664 obiit. Monum. Brixin. asserunt, quod Clericus Ord. Min. Capuc. in spiritu animam eius recto tramite ad aeternam gloriam moventem intuitus sit. Super corpus eius an. 1678 incorruptum repertum, sacellum pro defunctis positum est. Continuator « Orbis Seraphici », et Auct. « Chron. Prov. Tyrol. Francisc. » sinistre ab hac Moniali *S. Agatham Werell, Laicam*, uti ex actis et Monum. Monast. Brixin. solide deducitur, distinguunt. Ultimus eam facit Clarissam Monast. Friburg., ast cum in hoc de ea altum silentium, attentionem nullam meretur. *M. Ludovica Manicor*[2], Oenipontana, in Monast. Brixin. in festo S. Ludovici an. 1631 professa, in suis sororibus, S. Patronum earum, in Abbatissa Christum, in Priorissa Mariam suspexit et an. 1670 die 22. Feb. vita excidit. *M. Regina Bianca* (credib. *Blanca) Coloña de Voels*[3], Clusinensis, an. 1623 die 25. Nov. Brixinae professa, istius Parthenii Abbatissa dignissima, vocationem suam eximia aestimatione excipiens, orationi et caritati erga sorores intensa mente incubuit, et an. 1672 die 22. Ianuarii saeculo huic ultimum vale reposuit.

329. *M. Clara Iacoba Schaid,* Oenipontana, in saeculo bis uxor, ultimo viro gratioso D. Ioanne Lindner Cancellario Aulico orbata, 7 Clarissas ex Monasterio Friburgensi profugas, omni caritate exceptas ad tempus sustentavit. Vita earum exemplari, nec non lethali morbo quo correpta fuit excitata, habitum S. Clarae in Monast. Brixin. an. 1640 die 29. Oct. suscepit et an. seq. die 30. Oct. vota solemnia emisit. Ad Monast. *Friburg.* Clariss. an. 1653 a Maioribus Provinciae destinata, istud, praemissa dispensatione Pontificia ob bigamiam ceu Abbatissa direxit, in disciplina regulari promovit et sua virtute illustravit, sub eius regimine Monasterium eversum, extra civitatem plantatum, noviter exstructum et anno, quo obiit, iterum demolitum fuit. Vitae periodum pie an. 1673 (neutiquam an. 1675) die 24. Sept. absolvens in Ecclesia Friburgensi Francisc. in Choro inferiori tumulum obtinuit. In lapide sepulchrali visuntur haec verba: *hoc sub saxo conduntur ossa Reverendae Matris Clarae Iacomae, natae Schaidin Oe-*

---

[1] Hueb. in Menolog. die 18. Maii. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 370. ac 374. Chron. cit. p. 231. et seq. Monum. Monast. Brix. Clariss.

[3] Monum. mox. cit.

[4] Monum. cit.

nipontanae, quae nobili ac opulenta mundi habitatione relicta, et supremi, Aulae Oenipontanae, Seren. Archiducis Leopoldi, Cancellarii Ioannis Lindner, vidua, ordinem S. Clarae in Monasterio Brixinensi ad S. Elisabetham die 29. Oct. an. 1640 ingressa et sequenti anno 1641 professa, aetatis suae 53. ac 13. Friburgum postulata Abbatissa, quo munere diversis vicibus novem annis functa est, e vita discessit aetatis suae 71. dum Monasterium S. Clarae resuscitatum secundo dirutum fuit 21. Sept. an. 1673. Cuius anima Deo vivat in aeternum Amen [1].

330. *M. Maria Elisabetha de Enzenberg* [2], Brixinensis, an. 1663 die 4. April. in Parthenone Brix. in Regulam S. Clarae iurans, eximia patientia morbos suos excepit et cum gaudio ad Sponsum coelestem an. 1675 die 16. Oct. transiit. *M. Francisca Carara* [3], Bassanensis, Brixinae an. 1625 die 13. Oct. vinculis secundae Regulae S. Francisci constricta, a S. Congregatione ad Monast. novum *Roboretanum* an. 1650 amandata. In isto munus Abbatissae primae gessit et ad disciplinam religiosam fundamenta iecit. Ad Monast. suum an. 1655 rediens, hoc virtutibus illustravit, sorores ad amorem Sponsi coelestis succendit, solemnitatem SS. Corporis Christi, festum Caritatis ab ea nuncupatam, devotissime celebravit et an. 1680 die 16. Feb. (non 16. Martii) mundum hunc deseruit. Paulo post eius mortem sorores duae stellam formosam, ex ipsius tumulo ad astra tendentem, perspexere. *S. Lucia Lanzineri* [4], Castroruptensis, *Laica*, an. 1672 die 11. Oct. Brixinae professa, preces suas magno cum fervore fudit. In cella noctu quondam orans, haec verba, praemissis tribus suspiriis percepit: *Ora etiam pro me*, alia vice, vigilia defunctorum pro uno sacerdote ob labores dilata, ad eius recitationem divinitus admonita fuit, quod et abs omni mora praestitit. Cursum vitae suae an. 1681 die 17. Novemb. perfecit.

331. *S. Hortulana Lanzineri* [5], Castroruptensis, *Laica*, in statu saeculari ingenti ardore aestuans Deo in statu Religioso sua servitia dicandi, recursum ad Matrem dolorosam, Castrorupti in Ecclesia S. Michaelis morantem, instituit et 9 diebus eam devotissime invisit. Ultimo die B. Virgo hisce devotam affata est: « *Vade Brixinam, ibique in Parthenone Clarissarum pro S. Ordine supplices exara! nec surge, donec promissum de tua susceptione retuleris* ». Oratricem de admissione futura assecuratura,

---

[1] Hueb. cit. die 24. Sept. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 369. Chron. cit. p. 232. Monum. Monast. Brix. et Friburg. Clariss. nec non Conv. Friburg. Francisc.

[2] Monum. Monast. Brix. Clariss.

[3] Hueb. cit. die 16. Feb. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 372. Chron. cit. p. 231. Monum. cit.

[4] Monum. cit.

[5] Hueb. cit. die 21. Ianuarii, morti non concorde. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 371 etc. Chron. cit. Monum. cit.

caput inclinavit, quod in hoc situ usque ad hodiernum diem permanet. Paulo post suscepta, investita et an. 1671 die 26. Maii per S. Professionem Sponso coelesti iuncta, in Monast. pellucidum speculum virtutum evasit, omnes personas Ecclesiasticas, praesertim Sacerdotes, singulari prosequebatur reverentia et devotione. Iesus in forma Iuvenis habitu violaceo vestitus, quadrimestri ante mortem binis distinctis vicibus eam ad castas nuptias invitavit, quas tamen prima vice, Sponsum non noscens et fidem Christo iam datam opponens, innocenter recusavit. Altera vice eidem praesens factus, caput sponsae pulcherrimo redimivit serto et de nuptiis, proxime celebrandis securam reddidit. Morbo invalescente, eidem biduo ante mortem Iesus se conspiciendum dedit, aiens: « *Se brevi eam secum ducturum, ipsamque in festo Desponsationis B. V. M. post meridiem a vinculis carnis exonerandam fore* ». Imminente morte ad Abbatissam dixit, *nunc ex hac vita migro* et hisce obiit an. 1683 die 23. Ianuarii. *M. Coleta Kieffer* [1], Clarissa Parthenonis Friburgensis, abstinentia insigni, pridie ad festa B. V. Mariae, ad sumptionem SS. Eucharistiae (in qua saepius lacrymis madebat) ac unica saltem die in qualibet hebdomada pane tantum et aqua usque ad decrepitam aetatem vesci consuevit. Erga animas purgantes tenerrime affecta, saepe macerationibus corpus ad earum levamen torquebat et orationi ac nocturnis vigiliis sedulo dedita, post matutinas Laudes, quatuor continuis horis meditationi vacabat. Vitam suam terminavit anno 1684 die 24. Febr.

332. *Maria Agnes de Menz,* Bulsanensis, Tyrolensis, an. 1663 die 5. Oct. lucem hanc primis usurpans oculis, in Monast. Brixinensi Clariss. per S. Professionem an. 1682 die 28. April. Sponso coelesti sese devovit. Mors eius, quae censetur Echo vitae, prodit, quod in paucis annis expleverit tempora multa et in via virtutis giganteos gressus produxerit. In ultimo morbo velut aurum in igne probata, in oratione incaluit et a voluntate Dei ac Abbatissae tota quanta haesit: biduo ante mortem, expletis in Choro nocturnis precibus, aiebat, sibi cum Angelis esse concinendum et adstantes sorores, prae animi teneritudine et cordis exultatione stupentes, ad concentum invitabat. Exin subtiliori, mox altiori et tandem tam alta voce Angelicum Trysagion: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* repetiit, ut aliae sorores post Matutinum ad cellam reduces et somno se committentes (etiam ab infirmaria magis remotae) hoc perceperint, ad istam accurrerint et motus vehementes manuum ac pedum infirmae admiratae sint. Quaesita ab Abbatissa, *qualiter se haberet.* Reposuit, « *se hunc Cantum cum Angelis inchoasse* et *tales delicias gustasse, quas nec oculus vidit, nec auris audivit* ». Postero die a daemone graviter tentata, in haec verba erupit: « *mi Iesu! ergone*

---

[1] Cont. cit. p. 373 etc. Monum. Monast. Friburg. Clariss. Chron. cit. p. 232.

me etiam hisce tentari sines»? Deinde in grabato erecta sedens et utraque manu Crucifixum potenter stringens, copiosum sudorem cum tristi emittebat vultu, et subin devicto hoste faciem ad strati latus intendens, inquit: « *Et alia vice me seducere volebas* ». Post haec hilarem vultum induens, exclamabat: « *Eia! Eia! nunc finis est, decantemus hymnum Ambrosianum, Te Deum laudamus, quem Mater Abbatissa intonet* ». Hoc persoluto, alias preces, praesertim Rosarium Franciscanum intermixtis piissimis affectibus recitavit, se et sorores Deo commendavit et piissime animam an. 1686 die 23. Sept. efflavit. Confessarius et Medicus testati sunt, quod ea agonizante, eximium splendorem in facie observaverint[1].

333. *M. Veronica de Khuen*[2], Comitissa, Eppanensis, Tyrol. an. 1632 die 11. Nov. in Monast. Brix. professa, zelo ingenti pro Divino Officio, paupertate ac vita communi enituit. 12 annis munus Priorissae gessit et an. 1688 die 28. Maii vivere desiit. *M. Claudia Victoria de Wolkenstein*[3], Comitissa, Oenipont., an. 1643 die 12. August. professionem in eodem Monast. emisit, Christum passum ardenti devotione excepit, Officio Divino diu noctuque adstitit et an. 1694 die 26. Aug. ex hac vita migravit. *M. Benigna Atzwanger*[4], qua Candidata ad Monast. Brixin. eoquod aliqualiter clauda et staturae miserae exstiterit, ab initio repulsam passa est; ast recurrens ad imaginem Crucifixi, in turri pendentem, pedes eius solidati sunt, exin voti compos reddita, an. 1639 die 11. Oct. S. Vota nuncupavit, caritate magna erga sorores fulsit, una vice munus Abbatissae, ac 6 annis Priorissae ac Magistrae-Iuvenum et Novitiarum egit, et an. 1700 die 21. Decemb. vitam finiit.

§ 9.

Virtus Personarum Tertii Ord. S. Francisci Provinciae Tyrol. intra an. 1625 et 1700 nitens.

334. *S. Clara Salewirck*, al. *Salewircker*, Ehingana, in Monasterio Warthusiano, ubi se Deo devoverat, 30 annos meritorie transegit et 12 annis munus Vicariae laudabiliter sustinuit. Carcinomatis dolores per 42 heb-

---

[1] Hueb. cit. die 23. Sept. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 370 etc. Schmid. in vita SS. Tyrol. part. 4. p. 185 etc. ex errore: typi aut calami mortem ad diem 23. Oct. referens. Chron. cit. p. 231 etc. Monum. Monast. Brix. Clariss.

[2] Monum. mox cit.

[3] Monum. cit.

[4] Monum. cit.

domadas, in ultimis 12 incessanter lecto affixa, fortiter ad admirationem sororum et exterorum perpessa, duobus diebus ante obitum suum Angelum Custodem, quasi ipsi praesens adstaret, hisce affatus est: « *Venerande, ter dilecte Angele Custos, annuntia Dilecto meo, me hos dolores amplius ferre haud posse, dignetur proin aut hos lenire, aut me ad suum avocare consortium* ». Exin cessarunt dolores et aegrota ad sorores dixit: « *Venerabiles ac dilectissimae sorores, iam in pace quiescam nec amplius opus erit, ut vulneribus meis medelam adhibeatis* ». Cursum vitae consummavit an. 1669 die 23. Nov.[1].

335. *D. Iacobus Müller*, Sacerdos et Eremita, Tertiarius Seraphicus. Germanus, Patriae haud notae, Suecis Augustam occupantibus Catholicos haud leviter affligens, multis haud levem ingessit opinionem, quod ab initio Acatholico toxico infectus fuerit. Exin in Tyrolim se recipiens, mores mutavit et in loco ad *tres Ecclesias* dicto intra limites Parochiae *Villanders* prope pagum Kollman sito, sedem circa an. 1647 fixit et Eremitorium excitavit. Sacerdos et Tertiarius Seraphicus factus 30 annis austeram vitam cum exercitio variarum virtutum egit, aliquando infirmitate correptus, causam huius in aquam coniecit et locum mutare decrevit. Viae se committens, in pulcherrimum Iuvenem (vero similius exstitit Angelus) incidit, eum quaerentem: « *Quo vadis* »? respondit servus Dei: « *Aliam inquiro aquam, cum illa, iuxta quam moror, sanitati meae non congruat* ». *Neutiquam*, repronebat iuvenis, *revertere, prior aqua tibi non nocebit, sed sanitatem tuam conservabit* ». Eventus verba haec stabilivit. Porro Iacobus meritis dives, periodum vitae an. 1677 die 18. Martii absolvit[2].

336. Firmae persuasionis sum, plures personas, tertio Ordini S. Francisci in Monasteriis Prov. Tyrol. aut in saeculo intra an. 1625 et 1700 obiisse, quae eximia virtute condonatae fuerunt: de quibus tamen mihi silendum; cum acta eorum neglecta fuerint. Sane Gonzaga[3] de Monialibus Tertiariis Prov. nostrae agens, ait: « *Egregiam sibi laudem parant, ut mirum sit, quod inter medios haereticos habitantes, rarissime occasionem alicuius scandali praebeant* ». A. R. P. Dominicus a Tarvisio[4] Visitator Commiss. Prov. Tyrol. an. 1653 ad Ven. Definitorium, Monasteria Tertiariarum resignare volens, hoc non admisit, addens: « *Sorores sunt gloria Provinciae vestrae* ».

[1] Monum. Monast. Warthus. Tertiariarum.

[2] Schmid in vita SS. Tyrol. part. 4. p. 178 etc. citat pro se Monum. praenob. familiae Müllerianae a Garth; nec non loci ac viciniae, quam ven. Vir incoluit.

[3] In Prov. Tyrol. p. mihi 537.

[4] Monum. Prov. Tyrol. etc. Convent. Ebing. Franciscan.

§ 10.

Minoritae Reformati Provinciae Tyrolensis virtute nitentes, ab an. 1700 usque ad praesens tempus defuncti.

337. *P. Petrus de Alcantara Leyss,* Caldariensis, Tyrol., an. 1676 Suazii professus, quondam Guardianus et aliquoties Vicarius, Religiosus vix non totum tempus antemeridianum in Missarum auditione et aliis piis exercitiis Deo in Choro consecrans, erga B. V. Mariam devotissimus, ante suam mortem anhelavit, ut omnes Missae, pro se mortuo dicendae, in honorem B. V. Mariae Immaculatae litentur, et morti vectigal an. 1701 die 6. Oct. Caldarii solvit. *P. Kilianus* alias *Chilianus Rasom,* Fasciensis, Tyrolensis, Caldarii an. 1689 die 25. Sept. in Regulam S. Francisci iurans, animarum zelo flagrans, Romam ad Collegium Seraphicum S. Petri in Monte Aureo se contulit. Inde ceu Missionarius Apostolicus ad Custodiam Constantinopolitanam amandatus et Smyrnae, in Asia Minori domicilium figens, optimum odorem vitae virtuosae diffudit. Servitia sua fratribus, peste infectis sedulo impendens, ista corripitur et an. 1703 die 4. Iulii e vivorum calculo eliminatur, magno sui relicto desiderio *P. Laurentius Manns,* Oenipontanus, Tyrolensis, an. 1666 die 21. Sept. Suazii professus ob varia officia laudabiliter peracta venerandus, in conversatione affabilis, in oratione multus, in caritate erga poenitentes et infirmos zelosissimus, in hoc negotio instar candelae ardentis lucens, se ipsum consumpsit, utpote in isto febri maligna an. 1704 die 24. Febr. Oeniponti vita functus[1].

338. *P. Franciscus Solanus Letzelter,* Suazensis, Suazii an. 1676 die 18. Oct. per S. Professionem Provinciae adscriptus, Lector, Novitiorum-Magister, Confessarius Monialium, Guardianus, Definitor ac Custos dignissimus, in S. Tribunali zelosus et indefessus animarum Zelator, dolores capitis et alias infirmitates summa cum patientia sustinuit, nil de consuetis devotionibus, praesertim erga B. V. Mariam intermittens et an. 1704 die 15. Iunii Oeniponti ad plures migravit. Cadaver in peristylio versus portam conditum fuit cum hac inscriptione: *R. P. Francisc. Solan. Letzelter Suazen. Lect. Definit. Custos, Oeniponti Guard. Praeses et Confess. Brixin. Novitio. Magister, pie obiit 15. Iunii 1704. P. Antonius Schmidlin,* Friburgensis, Suazii an. 1656 die 19. Oct. vota solemnia nuncupans officium Lectoris, Guardiani et Definitoris dignissime ferens, subditis pietate, et caritate praefuit, B. V. et alios coelites impense coluit et actus pietatis erga eos in seram saepe noctem protraxit. Decubuit pluribus annis sine usu

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Caldar. nec non Oenipontani Franciscan.

membrorum nulli tamen molestus, sed omnibus ob affabilem conversationem, documenta tum scientifica, tum virtuosa data acceptissimus; aegre a consortio fratrum Friburgi an. 1705 die 18. Aug. dimissus. *Fr. Daniel Grienberger*, Hoedicollensis, Tyrolensis, *Laicus*, an. 1668 die 25. Sept. Suazii professus, religiosa humilitate, ingenti caritate erga pauperes et infirmos ac ardenti devotione erga B. V. Mariam fulsit, in aegritudine sua saepius cum effusione lacrymarum ab omnibus, si quos offendisset, veniam petiit, et ut optaverat, die Sabbati an. 1706 die 28. Decemb. omnibus Sacramentis munitus, SS. Nomina Iesus, Mariae et Francisci invocans, in Conventu Horbensi vivere desiit, altero die sub magno populi concursu tumulatus [1].

339. *Fr. Fidelis Rauch*, Unterinnensis, Tyrol., *Laicus*, an. 1673 die 2. Oct. Suazii Regulam S. Francisci vovens, multa virtute claruit, Christum Eucharisticum ac B. V. Mariam tenerrima devotione excepit, in vigiliis istius in pane et aqua victitavit, feriis quartis a carne abstinuit; monasticam disciplinam et S. Regulam ex asse observavit; pauperibus omni caritate obviavit, in doloribus invicta patientia stetit, et optime resignatus in Divinam voluntatem, Brixinae an. 1709 die 6. Iunii in Octava SS. Corporis Christi animam exhalavit. *P. Simon ab Egitz*, Oenip., Tyrol. Suazii an. 1702 die 14. Sept. professus, Religiosus erga B. V. Mariam et S. P. Franciscum devotissimus; erga Superiores apprime reverantialis et ad nutum eorum paratissimus; erga confratres caritativus, hostis iuratus murmurationum, mortem anhelans piissime in Conventu Waldseensi an. 1710 die 21. Maii obiit. *P. Gratianus Sepp*, Caldariensis, Tyrol., an. 1700 die 10. Aug. Suazii professus, B. V. Mariam precibus in seram etiam noctem productis coluit, corpus suum severioribus mortificationibus afflixit, in se ipsum aspero flagello quasi singulis diebus animadvertit, Regulam et statuta exactissime observare studuit; vitam ab omni otio semotam, humilem, mansuetam et pacificam egit et in Conv. Inticensi an. 1710 die 22. Oct. vitae huic ultimum vale dixit [2].

340. *P. Felix Stocker*, Caldariensis, Tyrol., ad Vexillum Seraph. an. 1677 die 18. Oct. Suazii iurans, cultor B. V. Mariae et aliorum coelitum insignis, Concionator zelosus in suggestu Suazensi et Aulico; eximius paupertatis zelotes, Guardianus saepius dignissimus, bis Definitor et una vice Custos optime meritus, ad vitam feliciorem an. 1711 die 22. Iulii Oeniponti transiit. Quiete sua fruitur in peristylio, his lapidi insculptis verbis: *R. P. Felix Stocker Aul. Conc. Pror. Custos et bis Defin. pie obiit XXII. Iulii an. MDCCXI. aetat. LVIII. Relig. XXXVI. P. Benven-*

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Friburgens. ac Horbensis Franciscanorum.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Monasterioli Brix. et Conv. Waldseens. et Inticensis Franciscanorum.

tus Cattrin, Caldariensis, Fuessae an. 1685 die 23. Oct. Ordini Seraph. per S. Vota nomen dans, in profundissimum et eximium Lectorem, opusculis publicis celebrem, ac ad extra videlicet in celeberrimo Monast. Steingadensi, docentem et subin etiam in Definitorem evasit. B. V. Mariam tenerrimo deperibat affectu. Quotidie tria Rosaria in eius honorem recitans et istis alia pietatis obsequia adiungens. Sane vir vere humilis, subesse prae praeesse desiderans, mansuetus, erga omnes amabilis et caritativus extra mensam, aut orans, aut studens, aut legens exstitit. In infirmitate ultima ad B. V. Mariam ceu Matrem suam, frequenter filiales suos motus misit et ante obitum haec verba protulit: *magnis passibus ad coelum gradior.* Denique optime dispositus et munitus, ultimam luctam cum morte in Conv. Halensi an. 1713 die 7. Febr. misit, ei succumbens Laureolam coelestem Doctoratus, ut pie sentiendum, reportans [1].

341. *P. Hugolinus Teisenser* al. *Deisenser,* a Töll, Dioeces. Curiensis loco oriundus, Ordini Seraphico per S. Professionem Suazii an. 1676 die 18. Oct mancipatus, in eodem munus zelosi Vicarii ac Novitiorum-Magistri explevit et ad magnam virtutem ascendit, strenuam operam vestigia S. Patris Fransisci, praesertim in devotione erga Christum passum sectandi, impendit, pluribus per diem et noctem horis, intentis oculis, et immoto corpore Crucifixum amorose contemplatus. Hoc exercitio per 36 annos continuato, speciale donum lacrymarum et largissimas consolationes coelestes adeptus, Choro diu noctuque, fractis licet viribus adstitit, in adversis Divinae voluntati adhaesit, et in suis actionibus semper coram Deo ambulavit. Speciali voto probe observato sese ad peccata venialia deliberata non committenda, et ad certas virtutes exercendas obstrinxit, solatia humana contemnens, sobrietatem, solitudinem ac silentium cordi habuit. Denique meritis abundans, cum in vigilia Pentecostes, peracta sacra Confessione et oblato S. Missae Sacrificio, ad cellam suam pergeret, apoplexia tactus, ac extrema Unctione confortatus, sui plene compos, in Conventu Bulsanensi an. 1713 die 6. Iunii piissime expiravit. *P. Hippolytus Ippoliti,* a Pergine, Tridentini Principatus oppido oriundus, ab initio Prov. Trid. Alumnus, Prov. Tyrolensi an. 1691 et 1698 adscriptus, semper iterum ad Tridentinam rediens, vir eximia pietate, humilitate, oratione et paupertate ornatus, Leopoldo I. Caesari gratissimus, Tridenti an. 1715 die 2. Ianuarii obiit, de hoc plura dabit Provincia Tridentina [2].

342. *P. Fructuosus Mayr,* Ehinganus, Halae an. 1700 die 12. Aug. professus, Religiosus solidae humilitatis, magnae paupertatis, multae orationis, ardentis amoris erga B. V. Immaculatam, strenui studii in observatione

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. ac Halensis Franciscan. Hilarion Staffler in Script. Prov. Tyrol. Franciscan.

[2] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Sulgav. et Oenipont. Franciscan.

S. Regulae et statutorum, ac intensi amoris erga proximum maxime infirmos, istorum animas instar venatoris in periculosis aegrotorum cavernis in casses suas agere satagens, morti in praedam, febri maligna et diarrhaea correptus, Sulgavii an. 1715 die 18. Februarii cessit. *P. Benedictus Zangerle*, Silzensis, Tyrol., die 30. Iunii an. 1699 vinculis Seraphicis constrictus, eximius Philosophiae et S. Theologiae Lector, ardenti in Deum amore, singulari et constanti devotione erga B. V. M. aliosque coelites, angelica in omnibus suis actionibus maxime divinis modestia, vigili sensuum custodia profunda humilitate, comi affabilitate, summa paupertate, mira mansuetudine et patientia instructus sexennalem infirmitatem phisicam forti et in Deum ex asse resignato animo pertulit, et Oeniponti an. 1716 die 21. Iulii piissime suam vitam terminavit. *P. Fridericus Kaiser*, Halensis, Suazii an. 1676 die 18. Oct. professus, dignissimus Novitiorum-Magister ac Guardianus, SS. Sacramenti Christi Eucharistici ac passi, nec non B. V. Mariae cultor tenerrimus, SS. Missarum a summo mane auditor devotissimus, inter podagricos dolores plurimis annis toleratos, patientissimus Iob, in prosperis et adversis David, in Divinam voluntatem apprime resignatus, placidissime Oeniponti an. 1719 die 16. Iunii obdormivit[1].

343. *P. Bernardinus Bienner*, Oenipontanus, Seraphica Vota an. 1649 die 24. Maii Oeniponti nuncupans, vir simplex et rectus, altissima paupertate, intensa caritate erga pauperes ornatus, Sacerdos Iubilaeus, communiter *Sanctus* audiit, Oeniponti an. 1721 die 8. Martii vitae Epilogum confecit, et in peristylio conditus fuit. Lapidi sepulchrali adhaerent haec verba: *B. M. P. Bernardinus Bienner Oenipont. Lector, Sacerdos Iubil. Senior Provinciae, aetat.* 91; *Religionis* 73; *Sacerdotii* 67, *pie obiit* 8. *Martii* 1721. *P. Florianus Thurner*, a S. Synesio, Dioec. Trident. loco, an. 1671 die 16. Nov. Suazii professus, officio Praedicatoris, Magistri-Novitiorum (quorum successive 100 numerabat) Guardiani ac Definitoris maxima cum laude functus, Prototypon absolutissimum monasticae disciplinae et virtutum exstitit. Erat enim (loquor verbis Necrologii): Pelicanus in amore Dei et proximi, Cygnus in Dei laude, Leo in suggestu, Agnus in confessionali, Aquila in contemplatione, Passer in tecto, zelator Regulae et statutorum exactus. Vitam suam Suazii an. 1723 die 31. Ianuarii pientissime finiit. *P. Aloysius Wieser*, Traminensis, Suazii an. 1688 die 8. Iulii professus, exactissimus Religiosus, nullus in foro, frequens in Choro, conversationem suam in coelis et familiaritatem cum animabus purgantibus alens, maxime caritativus erga poenitentes, sibi semper austerus, etiam inter acutissimos quos per plures annos patientissime sustinuit, calculi, colicae, podagrae, et chiragrae dolores, in altissima paupertate Caldarii an. 1724 die 17. Sept.

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Sulgaviensis, et Oenipont. Francisc.

placidissime animam exhalavit. *P. Cornelius Senftlin,* Ehinganus, Suevus an. 1681 Suazii die 19. Oct. professus, Vicarius et Novitiorum-Magister zelosissimus, S. Regulae et statutorum zelator et observator strenuus, plurium Protestantium ad veram Fidem adductor, optime dispositus Kenzingae an. 1727 die 21. Nov. vitae periodum absolvit [1].

344. *P. Hilarion Wolgemuth,* Caldariensis, Tyrolensis, Suazii die 11. Sept. 1691 vota solemnia emittens, in omni virtute, maxime vero patientia profecit; animarum salutem sitiens Romam perrexit, inde ceu Missionarius Apostolicus in Albaniam an. 1698 amandatus. Stationem suam in Dioecesi Pullatensi nactus Christianis dispersis et a Turcis undique oppressis, SS. Sacramenta administravit, antiquas superstitiones exstirpavit, plures apostatas absolvit, nonnullos infideles ad Fidem Catholicam conversos S. Lavacro abluit, cognatos a suo incestuoso concubitu arcuit ac plurimos peccatores a sua mala vita ad poenitentiam revocavit. Sat numerosas hoc in negotio pertulit calamitates. Aliquando iudex quidam Turcicus (Turcis *Cadi)* cum forti virorum manu versus oppidum Raghiam, a Catholicis inhabitatum, spirituali curae *P. Hilarionis* commissum, movit, hoc direpturus, qui dictum Patrem in via interceptum, 30 ictibus, plantis pedum fuste infixis, afflixit. Tyrannidem hanc excepit ingens imber, progressum agminis Turcis sistens. Alia vice ad infantem baptizandum properans, a canibus, ad custodiendum gregem deputatis, ita dilaniatus fuit, ut intestina prorumperent. Vulneratus intestina retorsit, manu vulnus contexit et a maiori igne caritatis ab intra ardens, iter suum pro impertiendo Baptismo prosecutus est. *Reverendiss. Vincentio Schmaiariho,* Archiepiscopo Antibarensi, Commiss. Apostolico et Visitatore Missionum, in Praefectura Albaniae erectarum, istam sat multiplicatam et etiam in Serviam et Macedoniam protensam, in Praefecturas Albaniae, Macedoniae et Serviae secante, *P Hilarionem* in prima substitit, et licentia redeundi in Prov. an. 1710 ab Eminentissimo Cardinale *Sacripante* obtenta, ad instantiam Archiepiscopi duobus adhuc annis in hac vinea Domini sudavit, exin viribus sat exhaustus et optimis attestatis instructus, an. 1712 die 14. April. ex ea discessit et die 13. Iulii in Prov. Tyrolensi advenit. Locatus in Conventu Caldariensi zelum suum in excipiendis confessionibus, infirmis visitandis, Choro diu noctuque frequentando ac colligendis s. eleemosynis prosecutus est. Ad Missiones denuo vocatus, insalutatis suis iter aggressus est; ast bellum exortum ad reditum eum commovit. Tandem ut lapis iste vere pretiosus coelesti aedificio magis adhuc adaptaretur, salubri scalpro et tunsione plurima diversarum infirmitatum politus fuit; siquidem sex ultimis annis laborans doloroso calculo, affectu insuper apoplectico in sinistro latere tactus fuit. His aliisque malis

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipontani, Suazensis, Caldariensis, et Kenzigani Francisc. Chron. parv. Prov. Tyrol. eorum p. 227.

consumptus, ad coelestem ut pie sperandum Civitatem, Caldarii an. 1728 die 13 Iunii translatus est, magno sui desiderio et non vulgaris sanctitatis opinione relicta [1].

315. *P. Emmanuel de Pretis*, Anauniensis, in Principatu Tridentino, an. 1685 die 23. Oct. Suazii professus, vir ab officio Lectoris, Praedicatoris Novitiorum-Magistri, Guardiani et Definitoris de Provincia optime meritus, daemonibus terribilis, Deo et hominibus amabilis, in vita religiosissimus, Caldarii ad praemium meritis suis debitum, an. 1729 die 15. Ianuarii avocatus fuit. *P. Caietanus Fritz*, Oenip., Tyrol., an. 1696 die 11. Oct. Suazii sacrae Religioni devinctus, dies suos in mira austeritate, Chori diu noctuque frequentatione infirmorum visitatione et humili s. eleemosynae mendicatione transegit, et Füessae in aestimatione specialis virtutis an. 1729 die 2. Maii ultimum diem clausit. *Fr. Franciscus Brunner*, Bulsan., Tyrol., *Laicus*, Suazii an. 1680 die 15 Oct. votis Seraphicis ligatus, sedulus S. P. Francisci imitator humilitate, prompta obedientia, pace et fraterna caritate conspicuus, diu noctuque in oratione assiduus, singularis cultor B. V. Mariae S. Francisci et S. Antonii Patavini in Conv. Halensi an. 1729 die 3. Maii exspiravit *P. Fortunatus Anderlan*, Caldariensis, Suazii an. 1702 die 14. Sept. professus, cultor B. V. M. tenerrimus, sua mira dexteritate, indefessa industria et benevolentia, qua benefactores sibi devinciens, modernam praepulchram Ecclesiam Conv. Ehingani erigi curavit, in doloribus intensis ultimi morbi, velut ovis sub manu tondentis obmutuit, et in Conv. Ehingano an. 1729 die 22. Iulii spiritum emisit. *P. Gabriel Bonaventura de Preiss*, Friburg., Brisgoius, Friburgi an. 1685 die 11. Nov. in vincula Seraphica se coniecit, in eis maxima cum laude officio Lectoris, Concionatoris etiam Aulici, Novitiorum-Magistri, Superioris, Guardiani, Definitoris Custodis, Visitatoris Commissarii ac Ministri Prov. functus. Eminuit in scientia, prudentia, virtute, affabilitate et caritate paterna erga subditos. Ad tempus Theologi munus apud Celsiss. Principem Brixinensem sustinuit et in Conv. Oenipontano an. 1729 die 7. Sept. decessit magno sui desiderio relicto, quiescit in peristylio sub lapide his verbis notato: *A. R. P. Gabriel Bonaventura Preiss a Friburgo, Lector, Concionator Aulae, ter Diffinitor, Custos, huius Conventus bis Guardianus, Provinciae Bavaricae Commissarius Visitator, moritur Minister Provincialis actualis die 7. Sept. aetat. 61. Relig. 47. 1729* [2].

316. *P. Iosephus Maria, Liber Baro de Voglmair*, Oenipont., Suazii 1724 die 3. Maii sub Vexillo S. P. Francisci obligatorie militare incipiens,

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Caldar. Franciscan. nec non relatio ipsius P. Hilarionis Wolgemuth.

[2] Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. cit. nec non. p. 44. et c. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Caldariensis, Füessensis, Halensis, Ehingani, ac Oenipontani Franciscan.

in speculum integerrimum virtutum evasit. Eminuit in profunda humilitate ex cuius dictamine vilissima munia obivit, ad Presbyteratum ascendere ad tempus recusavit et qua Sacerdos labores Clericorum saepe saepius clam perfecit. Qua Clericus varias infestationes daemonum est perpessus; unde et obsessus aut circumsessus putabatur. Per exorcismos vis daemonis fuit restricta et ipse Presbyter nec non Confessarius creatus, humilitati adiuncta erat conversatio simplex ac sincera uti et ingens caritas, praesertim erga aegrotos. Virtutis huius exercitio deditus, febrim malignam a persona ista infecta, contraxit, et an. 1736 die 4. Maii in Conv. Oenipont. ad consortium beatorum, uti pie iudicandum, transiit. *P. Candidus Zangerle*, Silzensis, Tyrol. an. 1668 natus et velut lilium convallium in horto Seraphico an. 1689 die 15. Sept. Suazii per S. Vota plantatus, in eo optimum virtutum odorem sparsit; qua S. Theologiae Lector profundam scientiam cum insigni pietate, qua Guardianus discretissimum zelum, qua Minister Provincialis parem in omnes paternae caritatis affectum, qua Visitator Commissarius ingentem fervorem pro regulari disciplina promovenda et eximiam prudentiam in resolvendis dubiis praesetulit. Subin semi-apoplexia tactus, plures adhuc annos dolorosam pedum exulcerationem et alias miserias mira patientia sustinuit, illud S. August. ingeminans: *hic ure, hic seca*, et piissime an. 1739 die 8. Maii Oeniponti decessit. Lapis sepulchralis, in peristylio positus, haec verba ostendit: *A. R. P. Candidus Zangerle a Silz, SS. Theol. Lector, olim Provincialis, Diff. actualis, Provinciae Bavaricae Commissarius Visitator Generalis, pie obiit 8. Maii 1739 aetat. Physicae 70. Relig. 50* [1].

347. *P. Cassianus Litschgi*, Endinganus, Brisgoius, Kenzingae S. Regulae an. 1701 die 26. Oct. mancipatus, ex humilitate Lectoratum dimisit et in civitate Friburgensi per plurimos annos sedulum collectorem s. eleemosynae et zelosissimum operarium apud aegrotos egit. Chorum cum negotiis spiritualibus ad extra diu noctuque, quantum licuit, componere studiit, tantae erat obedientiae ut etiam laico poenam dictanti, aliquando moram gesserit, iniurias hilari excepit animo, eas in Ecclesiam se conferens, Deo obtulit eique gratias egit. De omnibus etiam inimicis bene locutus est. In infirmorum visitatione specialem operam addixit personis vilioris status aiens, eam personis altioris conditionis aliunde non defuturam. Revera Religiosus solidae virtutis, passim *Sanctus* vocatus, hoc adhuc tempore quo calamum stringo, Friburgi et in vicinia aestimatus. Sancte Friburgi cursum vitae consummavit an. 1740 die 24. Nov. *P. Engelhardus Anfang*, Oenipontanus, Suazii an. 1705 die 30. Iunii iusiurandum dixit, et in Prov. munus profundi Lectoris, exquisitissimi Novitiorum-Magistri ac Vicarii, pe-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Franciscan. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 41. etc.

ritissimi Confessarii Monialium, zelosissimi Guardiani ac dignissimi Definitoris providit. Novitios verbis et exemplis ad Deum traxit, in timore et amore sibi addixit et praeprimis iuxta hominem interiorem solide instruere, studuit. Corpus, variis mortificationibus in et externis etiam acrioribus, in servitutem spiritus redegit, eximiam ascesim possedit, abstemiam vitam duxit, saeculum contempsit, Choro diu noctuque interfuit; pro salute proximi strenuam operam navavit, in oratione, patientia, paupertate, humilitate et aliis virtutibus eminuit et virum perfectum praesetulit, optima consilia dedit et in colloquiis de rebus spiritualibus aut scientificis disseruit. Plenus meritis vitae suae cursum in Conv. Caldariensi an. 1744 die 9. Maii consummavit [1].

348. *P. Carolus Leopoldus Plateoner*, Halensis, Tyrolensis, an. 1694 die 31. Aug. Suazii professus, Lector Philosophiae et Theol. celebris, Minister et Vicarius Provincialis Prov. Tyrol. laudatissimus, zelator disciplinae regularis insignis, osor saeculi, tempus extra refectionem orando, studendo et Confessiones excipiendo consumpsit, et an. 1745 die 18. Febr. in Conv. Oenip. a morte consumptus, hac inscriptione prope domum Capitularem donatus fuit: *A. R. P. Carol Leopoldus Plateoner Hal. Lect. Theol. Prov. Pater Emerit. aet. 69. Relig. 52., pie obiit 18. Febr. 1745. P. Ioannes Chrysostomus Fritz,* Oenip., Tyrol. in Conv. Reuttensi die 11. Sept. an. 1691 iusiurandum dicens, in sacra Religione de virtute in virtutem proficere sategit, virtutis speculum exstitit. Variis mortificationibus (quas subin ex voluntate Superiorum moderatus est) corpus suum vexavit, in lingua parcissimus fuit post refectionem immediate Ecclesiam et dein cellam repetiit, plures energumenos a malis spiritibus redemit, aut istorum plagas repressit, et tandem in aestimatione communi specialis virtutis, de eo latius vigente, in Conventu Reuttensi an. 1746 die 29. April. ad meliorem vitam transiit. *Fr. Gallus Ascher*, Brandenbergensis, Tyrol., *Laicus,* Horbae an. 1727 die 18. Iunii vinculis Seraphicis sese adstrinxit et speculum coquis religiosis sistendum evasit. In sua obedientia erat indefessus, quin aliquid de Choro nocturno neglexerit; in omnibus actionibus et occurrentiis eandem aequalitatem et mansuetudinem praesetulit et ob praeclaras virtutes apud confratres et exteros unanimi calculo quasi *Sanctus* audiit. Febri maligna correptus suavissime, ac pientissime in Conv. Halensi an. 1748 die 30. Martii spiritum exhalavit, Conventu de hac iactura haud leviter dolente [2].

349. *Fr. Ianuarius Brunner,* Brixinensis, Tyrol., *Laicus,* Kenzingae die 5. Aug. an. 1699 professus, in humilitate, integerrima resignatione suae

[1] Chron. cit. p. 227. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Friburg. ac Caldariens. Franciscan. et relationes particulares.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Oenipont. Reüttensis, ac Halensis, Franciscan. Chron. cit. pag. 228. Staffler cit.

voluntatis in Divinam et aliis virtutibus praeclarus, diem laboribus, precibus et aliis piis exercitiis, noctem super nudum tabulatum cubando ac piis suspiriis transigens, cursum vitae in Conv. Oenipontano an. 1748 die 13. April. devotissime emensus est. *P. Adalbertus de Kleinhans,* Latschensis, Tyrol., e praenobili familia ortus, an. 1707 die 30. Aug. Suazii Vota solemnia pro ordine Seraphico deprompsit, exantlatis muneribus Lectoris, Confessarii, Superioris, Guardiani, ac Definitoris ad dignitatem Ministri Prov. iure merito ascendit. Itinera sua sat multa et prolixa ad diversas Curias et Capitulum Generale Romanum regulariter pedester esto aschmate et pedum fissuris laboraverit, perfecit, Provinciam suam strenua opera Monasteriolo Selbacensi fratrum et Parthenio Seraphico Seggingano, spirituali curae eiusdem a Nuntiatura Lucernensi commisso, ampliavit. In obsidione Friburgensi, a Gallis an. 1713 producta, ceu Pater Castrensis, in altera an. 1744 qua Guardianus caritatem suam exercuit: in ultima quasi alter Capistranus pro emolumento spirituali et temporali militis et civis indefessam operam locavit et somno, paucissimis horis, humo, aut sedi fornacis instratus, indulsit. Speciali humilitate et fortitudine in adversis fulsit, inimicis benefacere studuit; plurimos poenitentes in S. Tribunali recensuit, eosque etiam vilissimi status, summo cum amore excepit. SS. Missae Sacrificio Oeniponti an. 1751 die 23. Febr. dicto, qua actualis Minister Prov. iter versus Brixinam in electione novae Abbatissae Praesidem acturus, instituit; ast ultra oppidum Matrei per spatium circiter quadrantis horae perveniens, ab affectu aschmatico correptus, corruit, a suo socio absolvitur et intra brevissimam morulam vita excidit. Cadaver Oenipontum delatum, in peristylio terrae mandatum est, his lapidi incisis verbis: *A. R. P. Adalbertus Kleinhans Latschensis Minister Provincialis actualis aet. 65. Relig. 45. obiit 23. Febr. 1751* [1].

350. *Fr. Onuphrius Falschlunger,* Axamensis, Tyrol., *Laicus,* an. 1708 die 5. Sept. Suazii professus, erga S. Annam devotissimus, in sua obedientia exactissimus, in spiritu quasi cum Deo continuo occupatus, in prosperis et adversis semper idem ac voluntati Dei innixus, in caritate Dei et proximi accensus, erga Superiores summopere reverentialis, erga omnes mansuetissimus, sibi soli rigidissimus, verbo; vivum veri religiosi exemplar, maxima cum patientia intensissimos dolores ulcerosorum pedum suorum per plures annos sustinuit, et in Conv. Halensi an. 1754 die 28. Febr. spirare cessavit. *P. Modestus Faistenauer,* Suazensis, Tyrol., Suazii an. 1705 die 30. Iunii S. Professionem emittens in Custodia Terrae Sanctae. 32 annos ita transegit, ut ab hostibus S. Fidei amaretur et aestimaretur; « Pater pauperum Christianorum, magni consilii vir ac decus Germanicae Nationis

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipontani ac Friburg. Franciscan. Chron. Prov. Tyrol. p. 51. etc.

audiret», vitae periodum in assistentia Reverendissimi Commissarii Terrae S. Ierosolymis an. 1755 die 5. Martii conclusit. *P. Coelestinus Mayrl,* Bulsan., Tyrol., an. 1733 die 9. Iunii Religioni Seraphicae oppignoratus, in ista ob humilitatem, modestiam religiosam, caritatem Dei et proximi, mortificationis studium et alias virtutes magnus audiit: ut autem evaderet coram Deo maior adiit Terram Sanctam, eam per quinquennium devotissime incoluit, per triennium Discretum Nationis Germanicae egit, et qua Guardianus Conv. Nazarethani an. 1756 die 18. Iunii ad terram promissionis aeternae perrexit. *P. Salomon Franck,* Friburgensis, Brisgoius, Kenzingae an. 1733 die 9. Iunii votis Seraphicis ligatus, castitatem a Iuventute illaesam servavit, corpus somno super humum, aut super asseres strato iniectos transacto, nec non cilicio et aliis modis afflixit, loca Terrae Sanctae devotissime invisit; inimicis benefecit, unica tunica usus est, in paupertate, humilitate et aliis virtutibus enituit; infirmisque qua operarius Friburgi omnem caritatem detulit; ab his malignam febrim pro haereditate retulit, ut victima caritatis ibidem an. 1757 die 22. April. cadens[1].

351. *P. Dismas Mayrl,* Bulsanensis, Tyrolensis, per s. Vota Religioni Seraph. Sebati an. 1694 die 5. Oct. oppignoratus, ea exacte Deo reddidit. Munus Lectoris, Novitiorum-Magistri, Guardiani, Definitoris, Custodis bis Ministri Provincialis, ac semel Visitatoris Commissarii in Prov. Austriaca laudabiliter gessit, Matutino etiam qua Exminister usque ad ultimum morbum diligentissme interfuit, miram patientiam et fortitudinem in adversis et resignationem in Divinam voluntatem ostendit et caritatem suam erga proximum in S. Tribunali atque aliis occasionibus prodidit. Tandem meritis et annis abundans Suazii an. 1768 die 7. Oct. pie exspiravit, 90 annis in aetate physica et 75 in S. Religione exhaustis. *P. Angelicus Wolgemuth,* Caldariensis, an. 1701 die 13. Sept. in lucem editus, in saeculo qua studiosus tanta modestia et morum integritate claruit, ut alter Aloysius diceretur. Veste Seraphica Suazii an. 1720 die 9. Iulii tectus, ardori ad virtutum exercitium fraena laxavit. Ex Lectore Philosophiae mox evasit Novitiorum-Magister dignissimus, verbo movens et exemplo trahens. Munus hoc uti et Vicarii plures per annos sustinuit, et in fratribus sibi concreditis amplissimos fructus produxit. Clarissas, quarum conscientias ad tempus moderabatur, Sponso coelesti intimius devinxit. Profecto erat vir castissimus, modestissimus, candidissimus, pauperrimus, humillimus, ad obedientiae nutum paratus, abnegationi sui, mortificationi ac iugi orationi viriliter addictus, nomine et re Angelicus, communiter *Sanctus* aestimatus. Annis pluribus acutissimis interioribus tribulationibus, velut aurum in igne probatus, hoc patienter sustinuit, aliquot ante mortem diebus pristinam quietem nactus.

---

[2] Monum. Prov. Tyrolensis, Conv. Hal. et Friburgensis, nec non Custod. Terrae S. Francisc.

Tandem, exactis Sacerdotii sui annis Iubilaeis, acuta febri correptus, atque omnibus morientium praesidiis munitus, in corona fratrum, moerentium quidem de iactura Patris optimi, ast de felici transitu exultantium, placidissime, id quod in morte Sanctorum assolet fieri, Caldarii an. 1775 die 16. Febr. obiit, 74 annos in aetate physica completos numerans. Relata mihi fuere quaedam extraordinaria, mortem excipientia; at cum fides in forma legali nedum sit firmata, ea in individuo non produco [1].

352. Apponuntur fratres, ex *Caritate* proximo delata, in falcem mortis ab anno 1700 acti: *P. Kilianus Rasom,* Smyrnae an. 1703 mortuus; revide n. 337. *P. Fructuosus Mayr,* in Conv. Sulgaviensi an. 1715 extinctus; pluribus n.. 342 delineatus. *P. Angelicus Fraidt,* Bulsanensis, an. 1675 professus, olim Guardianus, Vicarius et Concionator, moribundis impigra opera assistens, febri maligna angariatus, et in Conv. Caldariensi an. 1715 die 30. Martii mortuus. *P. Hermenegildus Daissenberger,* Füessensis, Algoius, an. 1686 professus et *P. Zacharias Baumgartner,* Eppanensis, Tyrol., an. 1694 professus, Capellani Castrenses, a Commissario Generali ad instantiam Oratoris Veneti deputati, militibus Germanicis fortalitium Corcyram vulgo Corfu, a Turcis an. 1716 acerrima obsidione cinctam, propugnantibus, servitia sua spiritualia, Verbum Divinum praedicando, vulneratos ac infirmos fovendo et consolando. SS. Sacramenta eisdem ministrando et ad piam mortem disponendo sedulo praestiterunt, ex insueta aëris intemperie, solitisque militiae incommodis ibidem consumpti. Prior die 2. Aug. durante obsidione; posterior vero, ea soluta, die 31. Oct. viam universae carnis iniit. *P. Hieronymus Redn,* Brix., Tyrol., an. 1715 professus solidus Philosophiae et Theolog. Lector, dignus Guardianus et Ministri Prov. Secretarius, in S. Tribunali indefessus, erga omnes praesertim aegrotos caritativus, confratres febri maligna Oeniponti afflictos, ex caritate invisens, hoc malum attraxit, et an. 1736 die 17. Maii exspiravit. *P. Humilis Aigentler,* Suazensis, primitus Prov. Tyroleos, dein Transylvaniae Alumnus, Albo-Carolinae (Karlsburg) Transylvaniae civitate contagiosa lue infectis inserviens victima caritatis an. 1738 die 5. Augusti cecidit. *P. Iacobonus Fidelis,* Suazensis, Tyrolensis, an. 1707 professus, vir multae orationis, sincerus et rectus, erga B. Matrem dolorosam devotissimus, ardentis erga infirmos caritatis, in istius exercitio in febrem malignam et exin in falcem mortis Suazii an. 1743 die 15. Maii incidit [2].

353. *P. Salomon Franck,* n. 350 expressus, † Friburg. an. 1757. *P. Silverius Waibl,* Superiori-Günzburgensis, Algojus, an. 1739 vinculis

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Suaz. et Caldar. Franciscan. Chron. parv. Prov. Tyrol. Francisc. p. 46. etc. 49. etc. Staffler cit.

[2] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Caldar. Oenipont. et Suazensis Franciscan. et alia in locis, hoc numero citatis, expressa.

Seraphicis constrictus, zelosus infirmorum Visitator, in hoc actu febrim malignam sibi appropriavit; quae ei stamen vitae Oeniponti an. 1761 die 25. April. abrupit. *P. Bernardinus Kuprian,* Oenipontanus, an. 1722 professus, simili zelo exarsit, similem morbum ibi retulit et an. 1761 die 11. Maii morti victas manus dedit. *P. Adolphus Zeiller,* Reuttensis an. 1726 habitu Seraphico indutus, zelosissimus per plures annos Reuttae Catechista, sedulus Chori frequentator, indefessus Operarius apud infirmos, occasione hac febrim acutam sugens, † Reuttae an. 1762 die 17. Iunii. *P. Bruno Sattler,* Altstettensis, Algoius, Catechista egregius, † Reuttae an. 1772 die 28. Februarii. *P. Canutus Kalchschmid,* Kufsteinensis, Tyrolensis, veste Seraphica an. 1735 amictus, plures per annos Vicarius, zelosus infirmorum Visitator, virtute praeclarus † Sebati an. 1772 die 11. Augusti. *P. Placidus Intrigi,* Caldariensis, Tyrolensis, ad tempus Vicarius, virtute conspicuus † Caldarii an. 1773 die 11. Martii. *P. Philippus Benitius Ienegger,* Meranensis, Tyrolensis, † Oeniponti an. 1776 die 21. Septembris. *P. Carlomannus Brixner,* Rittensis, Tyrolensis, † Herbolzheimii in Brisgoia an. 1777 die 25. Decembris[1].

§ 11.

Clarissae Provinciae Tyrolensis, ab anno 1700 usque ad modernum tempus virtute nitentes.

354. *M. Isabella Eugenia de Fugger,* Comitissa, Augustana, Sueva, in Monasterio Brixinensi an. 1643 die 12. Aug. professa, an. 1653 *ad Monast. Friburgense* amandata, ibi Priorissae munus laudabiliter sustinuit, inde an. 1658 rediens, exemplar virtuosum extitit, bina vice munus Abbatissae et Novitiarum-Magistrae tulit, et an. 1702 die 3. Aprilis morti vectigal solvit. *S. Anna Pelagia de Kolz,* Vidua Domini *de Kalzan,* secundas nuptias, a Cancellario Caesareo Viennensi oblatas, recusans, filium suum Ioannem Franciscum relinquens, Friburgi habitum S. Clarae suscepit. Difficultas magna, quam in legendo latinismo qua Novitia experta est, ansam dedit, ut qua *Laica* Vota solemnia nuncupaverit. Hoc in statu oratione, obedientia, caritate Dei et proximi sese distinxit. Occasione belli Gallici in Brix. Parthenio cum aliis sororibus appulsa, isti ad instantiam consanguineorum inserta fuit et vitae Epilogum an. 1703 die 28. April. confecit. *S. Agatha Larcher,* Brixinae an. 1643 die 20. Ianuarii nata, in Monast. Brixinensi an. 1670 die 24. April. professa, *Laica,* sua virtute Deo ita placuit, ut an. 1691 die 14. Iunii in festo SS. Corporis Christi, quo *P. Ste-*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Friburg. Oenipont. Reüttensis Suazensis Caldariensis ac Kenzingani Franciscan.

phanus Rottler, actualis Clarissarum Confessarius piissime obiit, choraulas coelestes ter *Sanctus* intonantes, percipere meruerit. Edixit neminem posse capere suavitatem huius concentus, et quoties memoriam huius gratiae fecit, in copiosas lacrymas soluta est. *M. Maria Helena de Teitenhofen*, Feldthurnensis, Tyrol., eodem tempore ibi professa, erga animas purgatorii summe devota, morbos diuturnos invicta cum patientia sustinuit et an. 1703 die 28. Nov. vita excessit [1].

355. *M. Anna Maria de Winkelhofen* [2], Toblacensis, an. 1650 professa, Abbatissa dignissima, erga subditas mitis, corpus usque ad annos canos variis mortificationibus in servitutem spiritus redigens, an. 1704 die 16. Aug. viam universae carnis adiit. *M. Maria Anna Rinck* (non *Richin*) *de Reichenstein* [3], ob praeclaras dotes ac virtutes in Abbatissam Monasterii Friburg. cooptata, vices Marthae et Magdalenae solerter obiit, subditas ad Sponsi coelestis sectanda vestigia, verbo et exemplo excitavit. Multas et exquisitas preces quotidie fudit, S. Iosephum de die in diem ardenter coluit et per quadriennium ob infirmitatem usu membrorum destituta strato affixa, haec maxima cum patientia sustinuit, et an. 1707 die 7. April. in Domino obdormivit, aetat. physicae 78, Relig. 51 annos recensens. *M. Anna Catharina Rinck* (non *Rincklin*) *de Baldenstein* [4], spretis mundi illecebris in Monast. Friburg. se Sponso coelesti an. 1654 die 28. Iulii devovens, paupertate, fortitudine, humilitate, caritate et aliis virtutibus claruit et per 30 annos interpolatos eidem ceu Abbatissa praefuit. Sub eius regimine antiquum Monasterium demolitum et novum modernum cum Ecclesia excitatum est. S. Franciscum impense coluit, Filios eius speciali reverentia et caritate excepit. Ultimum morbum sat gravem patientissime tulit et cupiens esse cum Christo an. 1708 die 17. Sept. ad coelestem thalamum avocata fuit.

356. *M. Maria Susanna Fideli* [5], Oenipontana, in Parthenio Friburgensi, an. 1701 die 22. Sept. professa, magna sui contemptrix, Passionis Dominicae frequentissima contemplatrix, an. 1709 die 8. Martii ex hac valle miseriarum movit, loculo eius an. 1733 aperto, incorrupta inventa. *M. Maria Iosepha de Mohrenberg* [6], Sarnensis, Tyrol., in Parthen. Brix. an. 1672 die 8. Sept. professa, Priorissa, Magistra-Novitiarum ac Iuvenum

---

[1] Monum. Monast. Brixin. et Friburg. Clariss. nec non Prov. Tyrol. Franciscan.

[2] Monum. Monast. Brixin. Clariss.

[3] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 374. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 232. Monum. Monast. Friburg. Clariss.

[4] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 373. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 232. etc. Monum. cit.

[5] Monum. Monast. Friburg. Clariss.

[6] Monum. Monast. Brix. Clariss.

exactissima, in ultimo sat gravi morbo eximiam prodidit patientiam, a Deo approbatam: enim vero ante eius mortem splendor intensus, a sororibus astantibus visus, infirmariam affecit; vitae huic ultimum vale an. 1700 die 26. Febr. dixit. *M. Maria Iosepha de Preiss* [1], Neoburgi ad Rhenum, ex praenobili familia oriunda, an. 1665 die 11. Iunii in Parthen. Friburg. professa, in isto munus Priorissae ac Magistrae-Novitiarum laudabilissime gessit, omnibus virtutibus, praesertim humilitate, paupertate, taciturnitate et oratione internae nituit, diu noctuque Chorum diligentissime frequentavit et ultimo die suae vitae Matutino nocturno interfuit, aegra in eo facta et in cellam deportata, animam suam hilari affectu an. 1711 die 6. April. exhalavit. *M. Maria Antonia Sigmund* [2], Brixinensis, in Monast. Brix. an. 1656 die 18. April. professa, Magistra-Iuvenum ac Novitiarum, Priorissa ac Abbatissa dignissima, S. Clarae in virtutibus aemula, an. 1712 die 28. Decemb. vivere desiit. Haec dum in saeculo qua puella, corolla redimita, processioni corporis Christi interesset, Iesulum in Sanctissimo oculis corporeis conspexit: hic se tribus septimanis ante mortem eidem se visendum praebuit et clepsidram ostendit, aiens: *En! horologium effluxit.*

357. *M. Anna Catharina Perckhofer*, Brixinensis, an. 1644 die 16. Febr. nata, in Monast. Brix. an. 1663 die 24. April. Sponso coelesti per S. Professionem iuncta, exquisita Iuvenum ac Novitiarum-Magistra, exemplar virtutum exstitit, daemone in ultimo morbo eidem visibiliter se sistente, devicto, os suum in *Te Deum Laudamus* et alios Psalmos solvit. Fer. 3. ante diem obitus eidem sub Missa Responsorii S. Antonius de Padua, Iesulum ferens, apparuit, illo Coenobium benedixit, eumque illi ad tempus concredidit. In festo Praesentationis B. V. M. Choro, *Veni de Libano, veni coronaberis,* cantante, hoc ipsum cecinit, esto, quod canentes naturaliter audire non potuerit et vix spirare valuerit. Hora quarta pomeridiana subito exclamavit: *videte! videte! foedissimus Bison iam iterum adest: ast timorem mihi nullum incutit, credo, protestor, qui in Deum sperat, non confundetur.* Victoria hac reportata suavissime in Domino eodem adhuc die an. 1714 die 21. Nov. obdormivit. *M. Maria Margaretha Walter,* Sterzingensis, Tyrol., in Parthenio Brix. an. 1708 die 23. Oct. professa, varietate virtutum fulgens, in ultimo morbo quietam et hilarem mentem fovit, daemonem, eam in forma visibili infestantem, in turpem fugam egit, et an. 1715 die 17. Martii piissime dies suos explevit. *M. Anna Caecilia Völl,* Füessensis, Algoia, in Coenobio Friburg. an. 1661 die 7. Sept. professa, hoc, qua Abbatissa quatuor vicibus optime direxit et virtute eximia illustravit. Specialem devotionem erga statum infantilem

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 374. Chron. cit. p. 233. Monum. Monast. Friburg. Clariss.

[2] Monum. Monast. Brix. Clariss.

SS. Salvatoris nutrivit, in omnibus emergentiis Divinae voluntati resignantissima fuit, in ultimo morbo (stabat in acerbis carcinomatis doloribus) miram patientiam exercuit, et an. 1718 die 26. Iunii decessit [1].

358. *M. Maria Dominica Zallinger,* Bulsan., Tyrol., an. 1665 die 19. Sept. nata, Brixinae an. 1682 die 28. Aprilis professa, ter ibi dignissima Abbatissa, Priorissa, Novitiarum ac Iuvenum-Magistra, acri intellectu et forti animo munita, speculum solidum omnium virtutum egit et plurima pro bono Coenobii praestitit. Corona Iustitiae, meritis eius reposita, eidem an. 1724 die 18. April. imposita fuit. *M. Maria Elisabetha Redn,* Brix., Tyrol., an. 1683 die 17. Maii nata, in Parthenio Brixin. an. 1705 die 2. Iulii Christo desponsata, virtute speciali emicuit; in doloribus ultimi morbi Deum continuo benedixit, miram hilaritatem praesetulit; sorores crebro convenit, ut sibi cantilenas de Amore Dei et Passione Dominica praecinant, et Dilectum suum ardenter desiderans vincula carnis an. 1725 die 13. Febr. disrupit. *M. Anna Catharina Waldreich,* Tobłacensis, Tyrol., Vestalis Parthenonis Friburg. an. 1710 die 9. Iunii professa, dono profundae orationis praedita, coram Deo ambulare studuit, corpus variis modis castigavit, actibus humilitatis, obedientiae et caritatis sororiae strenue incubuit, et an. 1728 die 27. Iulii occubuit. *M. Maria Rosa de Enzenberg,* Brixinensis, an. 1650 nata, in Monast. Brix. an. 1670 die 12. Iulii professa, ad *Monasterium Halense* noviter structum an. 1720 translata; soror Fundatoris eiusdem, ardenti zelo honorem Dei et regularem disciplinam promovit, paupertatem et temperantiam exacte coluit, aliquando Christum, magno fulgore sibi apparentem in cella, conspicere merita est, et vitam an. 1728 die 21. Iulii finiit [2].

359. *M. Maria Magdalena Baumgartner, de S. Cruce,* Buls., Tirol., an. 1661 die 14. Sept. nata, an. 1687 die 25. Maii Brixinae professa, ita orationi in- ac externae, nec non silentio dedita, fuit, ut in Choro et diebus S. Communionis vix aliquid loqueretur. Cursum vitae an. 1728 die 12. Decemb. consummavit. *M. Maria Zimmermann,* Friburgensis, in Monast. Friburg. an. 1686 die 9. Sept. professa, bis eiusdem Abbatissa perdigna, in observantia S. Regulae regularisque disciplinae ac exercitio omnis virtutis exactissima, in adversis fortissima, morti campum an. 1729 die 25. April. cessit. *M. Maria Isabella Hell,* Algoia, an. 1714 die 1. Maii professa, Vestalis Parthenonis Friburg. contemplatione eminens, pluribus extasibus et visionibus a coelo condonata, pro honore Dei apprime zelosa, corpus variis mortificationibus extenuans, in actionibus suis specialem mansuetudinem et humilitatem exprimens, in infirmitatibus insignem patientiam

---

[1] Monum. Monast. Brix. et Friburg. Clariss.

[2] Monum. Monast. Brixin. Friburgens. et Halens. Clariss.

exercens, an. 1729 die 26. April. ad coelestem Sponsum gradum ex hac vita fecit. *M. Maria Secunda Eisenschmid, de Incarnatione Christi*, Halensis, an. 1648 die 21. April. in lucem edita, an. 1668 die 4. April. in Monast. Brix. professa, sermones de rebus terrenis sedulo cavens, paupertatem Apostolorum, ex fame spicas segetum commedentium speciali commiseratione excepit, et an. 1729 die 10. Aug. obiit. Post mortem eius in loco sepulchri iuxta crucem series segetum prodiit, esto, quod nec ante nec post tales in loco visae fuerint, Deo, uti prudenter opinari licet, suum beneplacitum de devotione servae Dei hac via prodente. *M. Maria Ioanna Neumayr, de Voluntate Divina*, Söllensis, Tirol., cum signis 5 Vulnerum Christi an. 1674 die 15. Oct. nata, an. 1691 die 25. Iulii in Monast. Brix. professa, in oratione et observantia S. Regulae eminens, ad mortem alacri se disposuit animo: enim vero 5 diebus, eam praecedentibus, corollam capiti imposuit, aiens, *se nunc esse veram Sponsam*, os in cantilenam solvit, ac sororibus ad nuptias futuras invitatis, Epilogum vitae an. 1729 die 2. Nov. confecit [1].

360. *M. Maria Maximiliana Wolf*, Oenipontana, in Coenobio Friburg. an. 1712 die 27. Ianuarii professa, in omni virtute, praesertim caritate era proximum, silentio et contemptu sui ac paupertate enituit, Chorum, etsi cum gravi incommodo gressus faceret, diu noctuque adiit et an. 1732 die 27. Ian. spirare cessavit. *M. Maria Solomea Geiger*, Friburg., Brisgoia, ibidem an. 1706 die 21. Oct. professa, bis Abbatissa dignissima, zelosa observatrix S. Regulae ac promotrix claustralis disciplinae, in meditanda Passione Dominica quasi assidua, sibi austera, erga subditas vero praesertim infirmas magna caritate affecta, in adversis Dei voluntati ex asse innixa, an. 1722 die 21. Martii ad plures migravit. *S. Maria Ludovica Egger*, Ober-Rasensis, Tyrol., an. 1660 die 9. Martii nata, an. 1684 die 2. Maii in Monast. Brixin. professa *Laica*, in suis gravibus infirmitatibus eximiam patientiam et resignationem in Divinam voluntatem exercuit; mira humilitate ac caritate sororia fulsit, de erroribus alienis sermones non fecit, et an. 1741 die 2. Maii ad thorum Sponsi coelestis translata fuit. *M. Maria de Dinssl*, Inticensis, Tyrolensis, an. 1665 die 13. Decemb. nata, an. 1686 die 21. Nov. Brixinae professa, corpus talibus mortificationibus afflixit et animam tam eximiis virtutibus exornavit, ut communi sororum calculo ante et post mortem *Sancta* reputata fuerit. Falci mortis an. 1734 die 10. Maii succubuit. Facies eius post mortem tam formosa apparuit ac si adhuc viveret. Accesserunt et alia mira, quibus Deus virtuti eius parentavit. *M. Maria Rosa Grafinger*, Oenipontana, Friburgi an. 1700 die 15 Iunii professa, coram Christo Eucharistico plures diei

---

[1] Monum. Monast. Brix. et Friburg. Clariss.

horas in piis actibus consumpsit. Orationi mentali maxime dedita, variis mortificationibus et austeritatibus corpus cruciavit, 14 annis ab omni carne abstinuit, norma religiosae vitae exstitit et cupiens dissolvi an. 1735 die 1. Sept. a compedibus carnis huius exempta fuit[1].

361. *M. Maria Francisca de Sarnthein*, Comitissa, Oeniponti an. 1662 die 5. Aug. mundo et an. 1686 die 13. Aug. per S. Vota Parthenoni Brixin. data, terrena magnanime contempsit, orationi internae, solitudini ac paupertati sedulam operam navavit, et horam mortis anhelans, an. 1736 die 7. Sept. vitam posuit. *M. Anna Caecilia Kofler*, Sterzingensis, Tyrol., an. 1691 die 15. Aug. nata, in Monast. Brixin. an. 1710 die 28. Oct. professa, in moribus quieta, hilaris et amabilis, in intellectu profunda, varias infirmitates eximia cum patientia pertulit, et paucis ante mortem septimanis imaginem devotissimam Crucifixi in loco insolito Chori perspexit, intensis affectibus ex ea perfusa, quaerens, quis eam attulerit ac ibi posuerit, nihil elicere potuit, et sic edocta de favore sibi soli impenso, an. 1737 die 23. Martii piissime obiit. *S. Veneranda Innerhofer*, Brix., Tyrol., *Laica*, an. 1672 die 29. Ian. nata, Brixinae an. 1695 die 18. April. professa, *Halam* an. 1720 abducta, et inde an. 1725 reducta, munus Marthae et Magdalenae exacte coniunxit. Die mortem eius antevolante, incognita avicula albi coloris supra eius oratorium a Confessario et sororibus visa et ad cereos pro infirma accensos volans apparuit, ista mortua iuxta crates communicantium exanimis inventa. Demum an. 1737 die 4. Maii optime disposita mortem oppetiit. *M. Maria Eleonora de Peisser*, Brix., Tyrol., an. 1715 die 18. Febr. nata, Vestalis Monasterii Brix. an. 1734 die 17. Aug. professa, speciali pietate, devotione et ardore praedita, aequalis semper mentis, paucorum verborum, in infirmitate sua magna patientia fulsit et an. 1737 die 24. Decembr. periodum vitae absolvit[2].

362. *M. Iusta Hauser*, Neocellensis, Tyrol., an. 1677 die 30. April. nata, in Monast. Brixin. an. 1697 die 1. Maii professa, an. 1720 ad *Halense* amandata, pluries in S. Communione et aliis piis exercitiis exstatica, vera aliquorum futurorum vates, an. 1738 die 11. Iunii vitae huic valedixit. *M. Maria Margarita, aliis Margaretha Geiger*, Friburgensis, Brisgoia, an. 1715 die 9. Sept. professa, Monasterii Friburg. digna Priorissa et Novitiarum-Magistra, multas tentationes gravis ponderis invicta patientia et humilitate devicit, in oratione in-et externa eminuit, frequenter post Matutinum usque ad Primam in ea perstitit, severis mortificationibus corpus extenuavit, pluribus annis super nudum asserem quietem selegit, silentium exacte tenuit et in gratiam eius pluries lapillum ori immisit. Tenerrimae devotioni, qua erga Christum passum afficiebatur adscribitur,

---

[1] Monum. Monast. Friburg. et Brix. Clariss.

[2] Monum. Monast. Brixin. Clariss.

quod an. 1738 die 4. April. in die Parasceves hora tertia pomeridiana prolatis verbis: *Consummatum est,* spiritum devotissime exhalarit. *M. Coleta Albrecht*, Halensis, Tyrol., Vestalis Monast. Halensis, an. 1706 die 24. Iunii nata, an. 1730 die 21. April. professa, oratione, silentio, observantia S. Regulae, reverentia erga Superiores, patientia et aliis virtutibus fulgens, an. 1742 die 7. April. obiit. *M. Maria Catharina Zuveith*, Bulsan., Tyrol., an. 1699 die 16. Aug. progenita, in Monast. Brix. an. 1721. die 23. Ian. professa, exacta conformitate cum voluntate Dei et Superiorum, profunda humilitate, ardenti caritate, vigili Chori accessu, ferventi oratione ac magna patientia in continuis capitis doloribus clarens, an. 1742 die 4. Maii ad meliorem vitam iter instituit [1].

363. *M. Anna Clara Witting*, Zirlensis, Tyrol., an. 1696 die 31. Martii nata, Brixinae an. 1715 die 4. Oct. professa, *Halam* an. 1720 promota, heic Abbatissae munus laudabiliter gessit, zelo regularis disciplinae, silentio, devotione et aliis virtutibus micans, et an. 1743 die 4. Sept. vitam finiens. *M. Ioanna Baptista de Wenzl*, Halensis, an. 1654 die 18. Aug. nata, in Coenobio Brixin. an. 1676 die 21. Iunii professa, quinque vicibus eius dignissima Abbatissa, virtutum religiosarum speculum, istud permagna prudentia ac caritate moderata, morti an. 1745 die 5. Martii palmam cessit. *M. Maria Emerentiana de Mohr,* Brix., Tyrol., an. 1671 die 22. Oct. nata, Brixinae an. 1691 die 20. Iunii professa, ob specialem virtutem et dona extraordinaria passim aestimata, an. 1747 die 11. Maii in Festo Ascensionis Dominicae gradum ad coelos fecit. *M. Maria Caecilia Magginger,* Ienbacensis, Tyrol., an. 1709 die 8. Febr. nata, an. 1727 die 15. Oct. in Monast. Halensi professa, in zelo pro honore Dei et caritate proximi, studio silentii, patientia in suis infirmitatibus, devotione erga B. V. Mariam excelluit et an. 1749 die 26. Ianuarii vitam amisit, de morte sua per *Requiem* in Choro alta voce a choraulis ignotis cantatum, aliqualiter monita. Sorores quaedam asseruerunt, se in morte eius et sub pulsu salutationis Angelicae, amoenissimam campanulam ante non auditam, audivisse. *M. Clara Sebastiana Francini,* Eppanensis, Tyrol., an. 1729 die 28. Iulii nata, in Monast. Halensi an. 1748 die 29. Iunii professa, vitam innocentissimam in saeculo et religione duxit. Qua Candidata edixit, si modo per unam horam in Ordine S. Clarae vivere licuisset, se libenter exin mori velle. In statu Religioso humilitate et fervore clarens, et corpus, licet tenerrimae esset complexionis, variis mortificationibus vexans ad Sponsum coelestem an. 1749 die 16. Martii avocata fuit [2].

364. *M. Ioanna Evangelista Pachler*, Wiltinensis, Tyrolensis, Friburgi apud Clar. an. 1706 die 2. Oct. professa, Monast. perdigna Novitiarum

---

[1] Monum. Monast. Halens. Friburg. et Brixinens. Clariss.

[2] Monum. Monast. Halens. et Brixinens. Clariss.

ac Iuvenum-Magistra, Priorissa ac Abbatissa, tenerrimae conscientiae, simplex ac recta corde, in oratione frequens ac fervens, humilitati ac aliis virtutibus maxime dedita, an. 1754 die 2. Maii piissime obiit. *M. Maria Iosepha Schölling,* Telfsensis, Tyrol., an. 1697 die 20. Martii in lucem edita, an. 1723 die 4. Iunii in Monast. Halensi professa, istius Abbatissa dignissima specialibus gratiis et virtutibus exornata, vivere desiit an. 1765 die 20. April. *M. Maria Susanna Ioachima Zeiller,* Reuttensis, Tyrol., an. 1710 die 13. Sept. nata, in Parthenone Halensi ad recommendatitias *Ven. M. Crescentiae Hoess,* Monialis Kaufburanae tertii Ordinis S. Francisci, sanctitate celeberrimae, suscepta et an. 1735 die 8. Sept. professa, in corpus variis austeritatibus saeviit, nulli petito alicuius sororis utut gravi, repulsam dedit, ardentissimam devotionem erga Christum Eucharisticum, eiusque Immaculatam Matrem fovit, omni alia virtute splenduit, mortem suam et alterius sororis praedixit, ante eam pulchra veste, allegans adventum Sponsi sui, amiciri petiit et an. 1756 die 20. Ianuarii piissime exspiravit. *M. Michelina Iosepha Francisca Wenser,* Oenipontana, an. 1697 die 1. Aug. nata, ex thoro coniugali *Francini,* mater *S. Sebastianae Francini,* prius tactae et aliarum 12 prolium, qua vidua Monasterium Halense ingressa, in hoc an. 1740 die 4. Maii professa est. Pauperes eam, in saeculo morantem ceu misericordissimam matrem, Franciscani vero ceu eximiam benefactricem suspiciebant. Sacerdos, cui qua saecularis aliquando eleemosynam dederat, ante oculos istius evanescens, ei opinionem instillavit, quod S. Ioannes Nepomuc. quem specialiter coluit, exstiterit, per formam statuae eius correspondentem, in opinione firmata. In statu Religioso radios eximios humilitatis, paupertatis, obedientiae, reverentiae erga Superiores et caritatis sororiae sparsit. SS. Franciscum et Antonium Pad. maximopere coluit, ipsos ante mortem conspicere meruit et an. 1757 die 2. Martii obiit. Sacerdos quidam saecularis edixit, quod in die mortis suavissimam Musicam perceperit et Clarissam magno splendore circumfusam, instar fulguris ad coelum elatam, conspexerit[1].

365. *M. Helena Hildeprand,* Brixin., Tyrol., an. 1684 die 27. Aug. nata, in Monast. Brixin. an 1706 die 3. Maii professa, de melioribus cibis, quasi nihil gustans, varias austeritates adhibuit, magna patientia claruit et an. 1757 die 29. Maii ex hac lacrymarum valle discessit. *M. Agatha Reinisch,* Schönberg., Tyrol., an. 1712 die 11. Aug. nata, in statu saeculari noctu vigilans, Monialem griseo habitu indutam, una manu candelam, altera Crucem tenentem et quaedam verba de tribulationibus facientem, intuita est. Elapso aliquo tempore figuram Clarissae obtinens, ocius recordabatur, talem sibi in somno ostensam esse. Candidata pro hoc Ordine

---

[1] Monum. Monast. Friburg. et Halens. Clariss.

facta, voti sui compos in Monast. Brixin. evadit, professionem an. 1739 die 5. Febr. emittit, ibi graves morbos invicta patientia suffert, varia praedicit et optime resignata an. 1757 die 1. Iulii exspirat. Facies eius in agone et post mortem magis ac unquam ante amabilis, et formosa apparuit. *M. Anna Ignatia Dorfner*, Salurnensis, Tyrol., an. 1715 die 6. Sept. nata, insidias mundi elisura, fugam capessens, per intercessionem S. Sebastiani Clarissa Coenobii Halensis an. 1732 die 6. Decemb. professa evasit, istud per suam ditissimam dotem ad meliorem statum extulit, Seraph. paupertate, exacta obedientia, vigili silentii custodia, promptissima Chori frequentatione et aliis virtutibus illustravit et radios suos mundo an. 1759 die 25. Ianuarii subduxit [1].

§ 12.

Personae Tertii Ordinis S. P. Francisci, virtute insignes ab an. 1700 obeuntes.

366. *Maria Hueber*, Brixinae in Tyroli an. 1653 die 22. Maii in lucem edita, in infantia a morte per specialem Dei protectionem praeservata, ob triplicem victoriam, in aetate puellari obtentam, statuam B. V. Mariae, quasi vivam et fulgore cinctam, et Iesulum ab ea sustentatum, capitis inclinatione, suum affectum prodentem, conspicere promerita est. Scrobem ex iussu Sacerdotis effodiens, imaginem Marianam papyraceam, 15 Mysteria SS. Rosarii exhibentem, illaesam invenit, actu in Tabernaculo asservatam. Brixinae, Bulsani, Oeniponti et Salisburgi in servitiis occupata, ob optimos mores cum elegantia corporis connexos, a potiori aestimata et amata et subinde afflicta, Dei ope a malo exempta fuit. Brixinam regressa maiori ardore viam trivit virtutum; in caritate Theologica mire exarsit, et tertio Ordini S. Francisci inscripta fuit. Periculoso exorto incendio, precibus suis effecit ut Iesulus civitati benedixerit e ignis exstinctus fuerit. Tentationes graves aliquarum personarum agnovit, istasque ab illis redemit. Paulino Episcopo Brixinensi adhuc sano veridice mortem, et plura alia aliis praedixit. Notam sagae, sibi affictam, coram Consistorio suis solidis responsis diluit. Per Deum ariditate spiritus, morbis ac doloribus Christi passi, per daemones tentationibus ac terrificis visionibus, per homines dicteriis exagitata, immota stetit. Exstases plures, subin etiam raptus, sustinuit et a Christo ipso aliquando S. Synaxi refecta fuit. Salvator, B. V. Maria ac alii coelites isti famulae Dei aliquoties sese visendos praebuerunt. Ad con-

[1] Monum. Monast. Brixinensis et Halensis Clarissarum.

silium, a *P. Isidoro Kirnigl* Franciscano suo an. 1700 Confessario[1], suggestum, *Maria* et *Regina Pfurnerin* puellas in doctrina Christiana et laboribus honestis instruere coeperunt et an. 1751 die 28. Ianuarii in eadem domo Capucinis appropinquante locatae, hoc opus continuarunt, assistentia Episcopali contra hostes munitae. *Maria* nostra pauperibus iuxta vires succurrit, a S. Anna ei saepius apparente, plura altioris Ordinis hausit et aliquando flagrantissima corolla florum redimita fuit. Animam quandam purgatorii peregrinatione *Trensium*[2] instituta, et alias crebro ei sê sistentes alia via, a piacularibus flammis vindicavit. Luce supernaturali imbuta, statum pulcherrimum animae in gratia constitutae ac teterrimum animae peccato gravi obnoxiae; statum personarum ex hac vita sublatarum ac Ecclesiae aliosque eventus agnovit. SS. Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta suscipiens maduit lacrymis; paupertatem pro lapide fundamentali Domus suae Regularis statuit, ad festa Natalitia animam suam strictis ieiuniis ac mortificationibus, nec non fervidis aliarum virtutum exercitiis excoluit, et S. Spiritum in specie columbae albae circa caput suum circumvolantem, observavit. Ultimo vitae anno intensa spiritus ariditate cruciata, crebro ignivoma suspiria pro dissolutione sui corporis ad coelum misit et ultimo morbo correpta SS. morientium Sacramenta devotissime suscepit. In ultimo assultu sat gravi et prolixo daemonem generose devicit, et nomina: *Iesus* et *Maria* pronuntians hilari vultu an. 1705 die 31. Iulii die Veneris hora 9. spiritum suum Creatori reddidit. Corpus post mortem maiorem pulchritudinem praeseferens, amoenum spargens odorem ac a copiosis utriusque status personis visitatum, magna cum pompa in parvo Coemeterio Clarissarum supra Capellam P. Ioannis Nasi tumulo illatum est[3].

367. Nobilis D. *Michael Dinssl*, Inticensis, pater pauperum, specialis Maecenas Franciscanorum, Conventus *Inticensis* Fundator, Tertiarius Seraphicus piissimus, vir integerrimae vitae, sedulus Verbi Dei auditor, devotissimus cultor SS. Sacramenti Altaris, gravissimos dolores in ultimo morbo maxima patientia sustinuit et desiderii sui, ut fiat miserrima creatura, compos evasit, utpote quasi in omnibus afflictus membris, nec cupiens sanus fieri. Bis per annum spiritualia exercitia per octiduum peregit; in festo SS. Trinitatis morientium Sacramenta, profusis ex dolore, amore et aliis actibus virtuosis copiosis lacrymis suscepit, ante susceptionem ad uxorem dicens: *vade et miraculosam B. V. Mariam in Aufkirchen*[4] *roga, ut*

---

[1] Ante istum hoc in munere usa est Paulino, Canonico et Parocho Brixinensi, et hoc Cathedram Episcopalem ascendente, P. Ruffino Laxner, Franciscano aliquoties hoc L. tacto.

[2] Pagus hic inter Sterzingam et Malusium assurgit.

[3] Monum. Domus Regul. Brixin. Tertiariarum, a me in synopsi expressa; Beda Weber, in Tyrol und die Reformation: Art. Mar. Hueb.; Calend. ad Camp. S. Franc. an. 1885.

[4] Pagus hic, peregrinatione Mariana clarus, prope Toblacum in valle Pustrensi ac Dioec. Brixin. considet.

digne Sacramenta valeam suscipere. Novo et magno aestu in festo SS. Corporis Christi ad SS. Sacramentum Eucharisticum ardebat, at hoc ei a Sacerdote porrectum non fuit, quia sumere non potuisset, postea tamen ad Confessarium suum dixit, *se illud iam sumpsisse:* forte Angelica manu invisibiliter refectus. Tandem factis pinguissimis piis legatis, placide Brunopili an. 1706 die 4. Iunii, assistente P. Caesario Gumpp eius Confessario, Franciscano, in Domino obdormivit. Corpus eius Inticam translatum, in Conventu Franciscanorum, cuius erat munificus fundator, iuxta ianuam Sacristiae conditum fuit, annexa hac inscriptione linguae teutonicae [1]:

SICHE

Hie ligt Michael Dinssl von Angerburg, ein sonderbarer Verehrer des Höchsten Guth, grosser Liebhaber des H. Francisci und Leopoldi, welchen zum Schwesterlichen Angedencken Susanna und Ursula danckbarlich disen Grabstein aufrichten lassen.

Gott gnade der Seelen, so den Leib verlassen anno 1706 den 4. Iunii.

368. Venerab. D. *Ioannes* [2] *Schmid*, Obermahrnensis [3], Tyrolensis, an. 1689 die 23. Nov. lucem hanc aspiciens, usum rationis assecutus, in omni se exercuit virtute. Vatiniano odio exarsit in peccatum, praesertim luxuriae, in casu obscoeni discursus, quando eum impedire non potuit, ocius fugam, ne hoc venenoso inficeretur halitu, capessens. Ex nutu parentum haesit, suam recreationem in variis piis exercitiis reposuit et ad ludum a pueris invitatus, istis recitationem Rosarii obtulit. Domus patris sui, pii agricolae, in cineres redacta, iuvenem a studio, ad quod exarsit, arcuit et mors illius nova domo structa contingens eum adegit, ut pro sustentatione matris, manum aratro admoveret. Nova flamma casam vastans, ipsi viam ad studia aperuit, quae cum matre secum ducta Oeniponti inchoavit et eximio cum fructu brevissime absolvit. Cum doctrina insignem coniunxit virtutem; tanta in eo elucescebat castitas, ut oculos a feminarum aspectu cohiberet, audito mulieris nomine faciem mutaret, et studiosi ipso praesente abscoena verba effutire haud auderent. Igni artificiosissimo, in honorem Regis Daniae Oeniponti exhibito, clausis oculis ex amore B. V. Mariae adstitit. Diebus a studio vacuis, varias peregrinationes ad loca sacra

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Inticensis Franciscan.

[2] Greiderer hic loci habet *Adamus;* sed infra in Epitaphio exhibet nomen *Ioannes;* cum mihi alia documenta non sint ad manus hanc differentiam per notam adiungo.

[3] Est pagulus vallis Oenanae superioris sub *Parochia Zamsensi* et *Curatia Caplensi* constrictus.

propinquiora instituit; diebus Dominicis ac Festis, praemissa dolorosa Confessione, S. Synaxi se refecit et multum temporis orationi ac piae lectioni addixit [1].

369. Intuitu matris sustentatione indigentis, animum statum Religiosum amplectendi mutavit et Sacerdotali charactere insignitus Primissarius exin Curatus Ecclesiae *Caplensis* creatus est. In hoc statu munus exactissimi Pastoris adimplevit, oves suas catechesibus frequentissimis instruendo, ardentissimis concionibus et exortationibus excitando, suavi virtutum odore ad Deum trahendo, aegris ac moribundis diu noctuque assistendo, Confessionale diligentissime frequentando, plures devotiones publicas diebus Dominicis ac Festivis habendo, vitia in Cathedra et domibus privatis persequendo et alia zelosum Pastorem attinentia agendo. Per regulas optimas, domui suae praescriptas, istam Monasteriolo similem reddidit; ordinem diurnum exactissime observavit, multum temporis orationi in-et externae, in qua mire cor eius concaluit et in ignivomos affectus prorupit, dicavit; sex ad minimum vicibus per diem SS. Sacramentum Altaris invisit, una alterave hora subin in unica tali visitatione consumpta, imperfectiones suas et minima peccata, lacrymis inundatus in foro Sacramentali exposuit, tali imbre etiam saepe in SS. Missae Sacrificio irrigatus. B. V. Mariam ceu Matrem tenerrimo amore excipiens, ad imagines eius gratiis celebres plures peregrinationes instituit, subin speciali favore a Deo exceptas; enim vero eo anno 1724 cum 210 personis ad Matrem Einsidlensem [2] peregrinante et 6 navibus Lacum traiiciente, una istarum ex culpa Navarchi malum perdidit; at hoc non obstante, ista locum, a Schmidio Altdorf [3] dictum, attigit. Nova enim anxietas peregrinos affecit, utpote quibus altum ac petrosum montis iugum, sole clarissime lucente et oculos fallente, ascendendum erat: at vix ascensui initium fecere, apparuit parva nubecula, solis radios ita arcens, ut abs difficultate ad apicem iugi pervenerint, hoc facto ocius disparens [4].

370. Inter ceteros SS. Patronos, quos impensius coluit, in computum veniunt S. Franciscus Seraphicus, cuius ob susceptum tertium Ordinem exstitit dignissimus filius, nec non S. Franciscus Xaverius, cui specialem aram attribuit, et per eius intercessionem plura beneficia retulit. Vitam egit maxime austeram, lumbos, ambo brachia, crura et pedes acribus ciliciis cum carne concretis et cum ipso sepultis, cinxit. Ex dorso suo copiosis flagellorum ictibus largum sanguinem elicuit. Corpus suum veste poenitentiali

---

[1] Schmid in vit. SS. Tyrol. part. 4. p. 220. et pluribus seq.

[2] Peregrinatio haec in Germania celeberrima, in oppido Einsideln sub cantone Helvetico Suitio coarctato, moram habet.

[3] Verosimiliter pro hoc loco substituendus est locus Altenburg, lacui Tigurino adiacens.

[4] Schmid. cit. p. 227. et pluribus seq.

e setis equinis compacta vexavit, istamque extra tempus usus cistae bene clausae concredidit, aiens, hic thesaurum suum esse repositum. Ista sanguine cruentata, post mortem inventa et auditoribus in concione funebri ostensa, plurimas evocavit lacrymas. Diebus Lunae et Mercurii non tantum a carne abstinuit, sed et ieiunavit modico pane, lacte, caseo aut butyro contentus. Processionem pro pluvia instituturus, tribus aut quatuor diebus praecedentibus ieiunio se maceravit, illa instituta ocius exauditus. Caro suis diebus ab eo manducata erat regulariter fumigata, panis ex siligine aut fabis, et mensa cum domesticis, pro potu ordinario eidem inserviebat aqua aut parum lactis, in ultimis annis vitae suae, ad repetitum amicorum consilium utebatur vino larga aqua commixto, in conviviis dexterrime mortificationi campum dedit, cibis sub variis praetextibus recusatis. Dormitum concessit, recitato prius cum domesticis toto Psalterio Mariano, severo examine conscientiae praemisso ac variis devotionibus absolutis, somno per brevissimum tempus, supra saccum stramineum et incultum ligni truncum indulsit[1].

371. Anno 1729 suum cursum volvente, servus Dei saepius edixit eum esse ultimum vitae suae. Die 3. Maii in festo inventionis S. Crucis cum suis oviculis ad gratiosam Matrem Marianam in *Galthür*[2] processionaliter pergens, ibi multas lacrymas profudit, et ad Pastorem spiritualem loci dixit: *gratiosa imago B. V. Mariae a me nunquàm in tam amabili forma ac hodie, visa est.* Reversus immediate ad unum alterumve infirmum ivit, itinere horae ac dimidiae facto ibi unicum haustum aquae frigidae sumpsit, et primum illucescente altero die rediit, esto sat male se habuerit. Morbo vix ingravescente domui suae optime disposuit, et bina Exomologesi generali deposita, ultima morientium Sacramenta devotissime suscepit, et die ultima vitae instanter petiit, ut de novo Cibo reficeretur Eucharistico. Isto appropinquante aegrotus (pro hoc instans) manibus, brachio eius suppositis, ad ianuam suae domus deportatus ac ibi sub diu flexo poplite devotissime hoc Cibo fortium refectus est, praesentibus in plurimas lacrymas et singultus solutis. Elapso aliquo intervallo in Ecclesiam portari petiit, ut in ea ultimam exhortationem ad oves producere posset; petito hoc ob vires nimium fractas defraudatus, illud iis catervatim accurrentibus in cubili praestitit. Primissario iniunxit, ut in Ecclesia nomine suo veniam a populo de suis erroribus, nec non preces pro fausto agone exoraret, et suam intercessionem apud Deum pro ovibus suis oppignoravit addens: *Eat secure ad officium Divinum* (erat dies Dominica) *habendum, ante occasum solis haud obibo,* at vix sol die eodem (8. Maii) radios suos

---

[1] Schmid cit. p. 223. et pluribus seq.

[2] Distat 4 horis a loco Caplea.

subduxit, servus Dei ad Primissarium dixit: *Attollite me, iam tempus instat.* Exin Crucifixi imaginem, candelam accensam, iteratam absolutionem et consuetas pro moribundo preces expetiit, parva Crucifixi imagine se et praesentes saepius benedixit, et suavissime in Domino obdormivit, oviculis in copiosissimas lacrymas effusis. In statu ultimi morbi edixit, corpus suum post mortem proiiciendum esse in vallem, ut ibi sub aperto coelo putrescat aut animalibus pro cibo inserviat, cum nobilius sepulchrum eidem non competat; si tamen illi, quibus dispositio de suo cadavere convenit, vellent iuxta morem vigentem hoc in Ecclesia tumulare, ad pedem arae S. Xaverii condi facerent. Conformiter ad hunc affectum corpus Ven. Servi Dei in Ecclesia nova per eius operam et momentosum subsidium excitata, iuxta aram S. Xaverii terrae illatum fuit. Ex floribus et herbis sepulchro instratis et devote applicatis, duae personae visu laborantes, plenum usum oculorum, et infans pauper paralysi afflictus, usum membrorum obtinuerunt. Iam sisto Epicedion tumulo eius affixum [1]:

STA VIATOR

Et non tam lege, quam mirare
Qui alias piissimus. in se sancte crudelis
Flagris, inedia, quin et septem perpetuo gestis e ferro
Ciliciis, nullam sibi unquam, nec noctu quidem
Nisi nudo in assere indulsit requiem.

VIVUS PENE MARTYR

In hoc denique, quod restauravit, templo
Requiescit, meritis, quam annis gravior
R. D. Ioannes Schmid
E primo huiate Primissario, Curatus zelosissimus
In ara, Sodalitateque
Quas magno Xaverio fundavit, primus.
Etiam post fata superstes
Tam raro ergo Condiscipulo suo
Quin et Sacerdotum Cymelio
Lapidem hunc poni curavit.

---

[1] Schmid cit. pag. 237. et pluribus seq.

§ 13.

Adiunguntur Missionarii Apostolici, Capellani campestres, et labores pro convertendis Acatholicis et Catholicis ad salutem aeternam promovendis suscepti.

372. Inter Missionarios Apostolicos, a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentes, adsunt: *P. Simon Hennet,* Delmontanus seu Delsbergensis, Alsata, an. 1647 professus, vir in S. Scriptura bene versatus, linguae Gallicae et Italicae gnarus, an. 1669 ad Missiones vallis Lucernae perrexit, ibi Germano Militi et aliis operam suam spiritualem in foro poenitentiae, Cathedra et aliis modis impendit, an. 1677 a Ministro Provinciali, ut Militi Gallico Friburgi in praesidio stanti inserviat revocatus, rediit et an. 1691 die 5. Iulii Friburgi obiit [1]. *P. Apollinaris Auer,* Oenipontanus, an. 1663 professus, an. 1675 ad Missionem vallis Lucernae Roma amandatus, ibi ad tempus substituit, subin alteri Provinciae aggregatus, in ea anno et loco in nostris Monum. non allegatis, decessit. *P. Ernestus Dalhover,* Monacensis, an. 1636 professus, Romam, Ierosolymas et Hungariam petiit, in suis peregrinationibus et missionibus religiosam vitam duxit, in Conventu Erseck-Vivariensi [2], Provinciae Hungariae S. Mariae munus Vicarii et Concionatoris laudabiliter per 12 annos gesssit. Exin in Provinciam rediens, munus Guardiani sustinuit, Confessionale sedulo frequentavit, et qua Sacerdos Iubilaeus et Senior Provinciae Ehingae an. 1695 die 30. Sept. vitae periodum clausit. Licet vir hic credibilius a Congregatione de Propaganda Fide non dependerit; attamen in effectu se Missionarium Apostolicum gessit. *P. Kilianus Rasom,* Romam Missionum gratia missus, inde primo Constantinopolim, dein Smyrnam venit, et hic an. 1703 obiit; revid. n. 337. *P. Hubertus Roth,* Azensis, Tyrolensis, Romam Missionum Apostolicarum gratia profectus et a Congregatione de Fide Propaganda in Insulam Corsicam verosimilius pro Militibus destinatus, ibi ad tempus perstitit, an. 1723 in Provinciam rediit, et † Oeniponti 1726 die 17. Iunii. *P. Hilarion Wolgemuth,* n. 344 pluribus descriptus, intra an. 1698 et 1712 Missionarius Apostol. in Albania, † Caldarii 1728. *P. Ioannes Capistranus Landold,* Marisburgensis, Acronianus, Missionarius Apostolicus in Imperio Turcico, an. 1724 regressus, † Waldseae an. 1729. *P. Eugenius Guerra,* Fasciensis, Tyrolensis, an. 1722 votis Seraphicis ligatus, Collegium Romanum Missio-

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franc. Orbis Ser. tom. II. de Miss. pag. 174.

[2] Locus huius Conv. ab Hungaris Erseck-Vivar, et a Germanis Neuheusl dictus in Hungaria superiori ad fluvium Nitieam considet.

nariorum sua virtute aedificavit, et in Macedonicam Missionem in tali officio deputatus fuit, stationem suam attingens, in ea per tres septimanas magno cum zelo haesit, et dein optime dispositus Podanae piissime an. 1736 die 11. Iulii vitae cursum consummavit [1].

373. *P. Pancratius Fehr*, Überlinganus, Acronianus, an. 1709 professus, 12 annis Missionariuus Apostolicus in Macedonia, Albania et Servia, in Provinciam regressus pro salute animarum praesertim apud infirmos sudavit, et Oeniponti an. 1745 die 16. Maii vivere desiit. *P. Euthymius Müller*, Wolmendingensis, Acronianus, an. 1743 professus, Concionator Parochialis Kenzingae ac Suazii, Aulicus Oeniponti an. 1764 a S. Congregatione de Propaganda Fide in Moscoviam missus, Saratoffii ad fluvium Wolgam et eius vicinia saluti animarum invigilans, et munus Vice-Praefecti an. 1765 obtinens, evolutis aliquot annis Petropolim seu Petroburgum translatus, ad suam Provinciam an. 1778 rediit, et Kenzingae die 17. Martii 1789 finem vitae oppetiit. *P. Melchior Trencker*, Bulsanensis, Tyrolensis an. 1764 in Moscoviam profectus in vicinia Saratoffiensi vineam Domini excoluit, officium Vice-Praefecti an. 1773 acquisivit, et an. 1778 ex Missione reditum suum inchoavit, Brixinae die 22. Maii an. 1807 ad meliora movens. *P. Quirinus Guggenaster*, Bulsanensis, Tyrolensis, an. 1764 in Aegyptum superiorem amandatus, magno cum zelo ibi operam suam navavit; acerba pertulit et an. 1779 die 16. Iunii Girgi obiit. *P. Isidorus Abmayr*, Bulsanensis, Tyrolensis, ad tempus Philosophiae Lector, in Moscoviam an. 1767 pergens, Neoburgi ad Vistulam, Prussiae civitate, in Conv. Franciscan. die 1. Iunii decessit. *P. Cornelius de Leyss*, Toblacensis, Tyrolensis, an. 1767 in Moscoviam missus, in vicinia Saratoffiensi munus suum exercuit; reversus Brixinae morte sublatus est die 1. Iulii an. 1789. *P. Marquardus Stanger*, Trensensis, Tyrolensis, Organeda, in Moscoviam an. 1766 missus Petropoli et alibi sua servitia praestitit, an. 1775 suam Prov. repetiit, et Bulsani die 8. Martii 1797 obiit. *P. Thomas Aquinas Oberhauser*, Brixinensis ad tempus Repetitor S. Theologiae, an. 1768 iter in Terram S. aggressus, aliquot annis in servitiis eius exhaustis, ad Missiones Aegypti superioris translatus, ignito cum zelo in iis laborabat, et Tarzuti die 1. Aprilis an. 1799 sancta morte decessit. *P. Rogerius Kolhund*, Füessensis, Algoius, ad Praefecturam Constantinopolitanam an. 1760 destinatus, S. eleemosyna pro structura Ecclesiae alicuius collata, eam circa an. 1772 intravit; 1779 iterum in sua Prov. Matrice habitare coepit, et Kenzingae die 2. April. an. 1783 ad aeterna abiit. *P. Christophorus Rabanser*, Layensis, Tyrolensis, ad Custodiam Terrae S. circa an. 1773 profectus, in Insula Cypro servitia Parochialia in lingua Graeca praestabat; in Prov. reversus dies vitae

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. Ehing. Oenipont. Caldar. ac Waldseensis Francisc.

Bulsani die 17. Decembr. an. 1807 clausit. *P. Adrianus Cælus*, Alshusianus, Suevus, in Macedoniae Praefecturam an. 1776 ablegatus, in ea labores suos prosequebatur; ab infidelibus occisus die 27. Maii an. 1783 aeternam mercedem promeruit. *P. Paschalis Tschugg,* Oenipontanus, in Moscoviam an. 1775 pergens, an. 1777 ad suam Provinciam rediit, loco pro se vacante non invento, Suazii die 11. Febr. an. 1800. defunctus. Adiunguntur duo, per mortem a laboribus Apostolicis amoti: *P. Aloysius Kössing*, Constantiensis, Acronianus, siti animarum accensus, Romam concessit, triplex examen cum plena satisfactione sustinuit, et cum actu non daretur locus vacans ad suam Prov. interea reditum instituit; at in Conv. Narniensi S. Hieronymi febri maligna correptus et 9 diebus defatigatus, piissime an. 1681 die 3. Oct. exspiravit. *P. Guilielmus de Ingram,* Layensis, Tyrolensis, zelo animarum aestuans Romam movit; at Bononiam perveniens in Conventu S. Pauli in monte Observantium febri acuta corripitur per 4 septimanas dolorose affligitur, et datis invictae patientiae et aliarum virtutum exemplis ex vivorum calculo eliminatur an. 1707 die 15 Septembris[1].

374. Subintrant Missionarii, seu PP. Castrenses, salutem Militum procurantes: *P. Baltasar Buri,* Suevus, ex Provincia Argent. ad Tyrol. an. 1580 translatus, Concionator, in bello an. 1599 decessit. *P. Germanus Eggenstein,* Thaurensis, egregius in principalioribus Provinciae Cathedris Concionator, titulo Concionatoris Generalis a Maioribus Ordinis decoratus, ardore servitia sua Militi Christiano contra Turcam pugnanti deferendi accensus, in Hungariam abiit, et ab Illustriss. Barone Beck Sereniss. Electoris Bavarici militari Duce benignissime receptus, suas operas spirituales militibus locavit, administrando Sacramenta, praedicando Verbum Dei, animando ad fortia certamina, inserviendo aegrotis et vulneratis. In his actibus contagiosa dissenteriae lue infectus, ad Conv. Comaromiensem[2], Prov. Hung. S. Mariae transvectus est, ubi SS. Ecclesiae Sacramentis rite munitus pie an. 1686 die 19. Aug. animam exhalavit. *P. Capistranus Landold,* Capellanus Castrensis copiarum Germanicarum in Italia subsistentium, an. 1714 assumptus, exin Missionarius in Imperio Turcico, n. 372 tactus. *P. Hermenegildus Daissenberger,* Capellanus Castrensis Mirandulae an. 1715 selectus, an. 1716 Corcyrae sua servitia praestitit, et uti n. 352 insinuatum obiit. *P. Zacharias Baumgartner,* Militis Germanici Corcyram contra Turcas propugnantis, Campestris Capellanus, an. 1716, ex dictis num. eodem defunctus. *P. Hubertus Roth,* pluribus annis Missionarius in Insula Corsica Militis ut opinor Germanici, n. 372 insinuatus. *P. Adrianus Twinger,* Bulsan., Tyrol., Legionis Danicae sub Excellent. D. Comite de

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Franc. et relationes particulares.

[2] Comaronium. Germ. Comorn. aut Comora, Hungar. Comarom, fortalitium insigne Hungariae, nunquam expugnatum a Turcis, in Insula Schütt quiescit.

Reventlau tribus annis zelosus Capellanus, an. 1704 in Provinciam rediens Bulsani an. 1738 ad castra summi Regis profectus est. *P. Otto Melanser,* Bulsan., Tyrol., Legionis Caraffianae cataphractorum intra an. 1722 et 26 Capellanus Campestris, Bulsani an. 1758 mercedem suorum laborum recepit. *P. Elias Oberrauch,* Bulsan., Tyrol., Militis Helvetici Pisauri locati Sacellanus Campestris an. 1723 amandatus, subin Provinciam repetiit, et Bulsani an. 1759 exspiravit. *P. Hubertus Reinisch,* Schönbergensis, Tyrol., Pater Castrensis Legionis Caroli Palfi, subin Legionis Marchionis Baruthensis seu Culmbacensis, intra an. 1743 et 1750, Bulsani an. 1785 die 4. Oct. vita functi. *P. Fructuosus Volz,* Ehinganus, Suevus, Concionator zelosus, quatuor circiter millium Acatholicorum Conversor, Missionarius Campestris insignis Legioni Damnizianae subin Iunioris Coloredanae intra an. 1743 et 1762 sua servitia praestitit, et exin in suam Prov. rediit, Sulgavii an. 1780 vita functus, aet. an. 80. *P. Ioann. Nep. Hörwarter,* Meranensis Tyrol., in hoc munere ad Militem Germanicum in Fortalitio Pizigethone positum an. 1747 missus, subin rediit et an. 1756 die 27. Nov. Oeniponti obiit. *P. Albanus Wenter,* Unterrinnensis, Tyrol., Capellanus Campestris Legionis Migazianae, an. 1764 selectus, an. 1791 die 26. Martii Inticae e vivis sublati. *P. Gervasius Schmidler,* Waldseensis, Suevus, eidem in hoc officio an. 1767 suffectus, an. 1775 ab eo liberatus[1], et Ehingae an. 1798 die 4. Oct. ad aeterna praemia vocatus.

375. Conventus Friburgensis servitia sua spiritualia Militi praesidiario in arce superiori et inferiori plurimis annis, uti in Conv. Friburg. insinuatum per duos Patres in arce residentes detulit, et exin aliquot annis praestitit. Pater nostrae Provinciae Concionator, Brisaco Gallis parente ad petitionem PP. Recollectorum Missionariorum Campestrium, heic intra an. 1690 et 97 constitutus fuit. In propugnacolo quoque Tyroleos Kofel, Dominio Veneto vicino, unus alterve Pater nostrae Provinciae intra an. 1742 et 1755 Militi in spiritualibus inserviit. Miles etiam in fortalitio Ehrenberg prope Reuttam positus, regulariter a Conv. Reuttensi in spiritualis provideri solet[2].

376. In conversione Personarum, a Fide vera aberrantium eximiam operam adhibuerunt: *P. Ioan. Nasus,* plurium millium Acatholicorum Conversor. Sane in aliqua Epistola lego, quod is, quando alii viri zelosi eidem coaevi, duos aut tres ad S. Fidem perduxerunt, centum in ovile Christi reduxerit. *P. Theobaldus Schwab,* per 28 annos Concionator Aulae, plurimorum Acatholicorum Illustrator. *P. Fructuosus Volz,* per 19 annos zelosus P. Castrensis, quatuor circiter millia animarum luce verae Fidei orbatarum, ista opitulante Deo condonavit. Iam vero non computatis Personis a

[1] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenip. Waldseens. ac Bulsan. Francisc.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Friburg. et Reutt. Franciscan.

P. Ioanne Naso et *P. Theobaldo Schwab* conversis, in computo totius Provinciae 6100 circiter Personae ad Fidem Catholicam promotae occurrunt. Interim hic numerus a parte rei non est adaequatus; nam in Conventibus antiquioribus plurimis annis ex negligentia illorum, quibus hoc incubuisset, Personae conversae notatae non fuere. Nec miretur benevolus Lector, numerum hunc excedi a numero aliquarum Provinciarum Seraphicarum in Germania sitarum: enim vero nostra Provincia unice sex Conventus cum una Residentia limitibus Protestantium circumseptos numerat; unde tam amplus campus messem hac in re colligendi isti non suffragatur ut illis [1].

377. Provincia Tyrolensis honorem Dei Sanctorumque ac salutem animarum promovit ac promovet: 1. Per diversas Archiconfraternitates et Confraternitates in eius Domiciliis erectas, in istorum descriptione allatas. 2. Per Concionatores capitulariter scriptos in descript. Domiciliorum insinuatos, et aliis in Ecclesiis propriis et alienis Verbum Dei exponentibus. 3. Per tertium Ord. S. Francisci in Personis ante an. 1777 eum amplexis. 4. Per Viam Crucis in locis Provinciae subiectis et aliis plurimis plantatam. 5. Per Indulgentias Ecclesiis eius annexas. 6. Per obsequia spiritualia Monialibus praestita. 7. Per S. Tribunal Sacramentale sedulo administratum, caritatem infirmis et moribundis impensam, et alia caritatis opera externis praestita [2].

CAPUT VIII.

DIGNITAS PROVINCIAE TYROLENSIS FF. MINORUM REFORM. EX TITULIS A VIRTUTE DISTINCTIS

§ 1.

Personae Istius Provinciae honorificis Officiis decoratae.

378. Initium facio ab Episcopali Dignitate, in qua mihi occurrit Reverendiss. *P. Ioannes Nasus*, a Gregorio XIII. P. Episcopus Bellinensis an. 1580 decretus, Suffraganeus Brixinensis, Oeniponti an. 1590 vita functus. Vir hic a Reverendiss. P. Christophoro de Capite fontium, totius Ordinis Primicerio, an. 1572 Commissarius Generalis Nationalis supra Prov. Argentinensem, Austriacam et Bohemicam constitutus est. Favore plenum effectum non assecuto, Gregorius XIII. P. an. 1578 ipsum Commissarium super Monasteria Seraphica intra Dominium Archiducis Ferdinandi Magnanimi

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Monasteriorum, eidem assertorum.

[2] Monum citata.

conclusa deputavit. Hueber eum etiam Commissarium Ecclesiae Brixin. Cathedralis promulgans deficit; enim vero nulla Monum. adsunt. Acta huius viri data sunt cap. praeced. n. 284 etc. *P. Henricus Sedulius*, primus Prov. Tyrol. Minister Provincialis, Commissarius Apostolicus pro erectione Prov. istius ac unione Monasteriorum eidem adiungendorum, an. 1580 destinatus; vide n. 294. *P. Carolus Leopoldus Plateoner*, Commissarius Apostolicus ab Eminentiss. Cardinale Spinola ad Parthenium Viennense S. Nicolai Clarissarum an. 1720 iuxta Monum. nostrae Prov. amandatus. — Definitorum Generalium [1] munere claruerunt: *P. Henricus Sedulius*, Salmanticae an. 1618 electus. *P. Henricus Seyfrid*, in Cap. Generali Toletano an. 1633 *P. Fridericus Gailer* seu *Fridericus a Monachio*, in Chronolog. Ord. [2] sinistre inter Alumnos Provinciae Bavaricae relatus, ibidem an. 1645. *P. Adrianus Hueppher* seu *Huepfer*, Toleti an. 1682 assumptus. — Ad officium Procuratoris Generalis FF. Min. Reformat. [3] an. 1628 in Congregatione Generali Romana promotus fuit *P. Zacharias a Leuco*, Prov. Tyrol. Custos ac Guardianus Conv. Bulsanensis, in eo ab Urbano VIII. P. an. 1631 confirmatus.

379. Pergo ad Theologos ac Confessarios Personarum, Sanguine aut Officio eminentium, in quorum calculo veniunt: *P. Amandus Allmayr* [4], an. 1592 professus, Sereniss. *Annae Catharinae* Archiduc. Ferdinandi Tyrolensis Viduae ad tempus Confessarius; hic *Illi. Mariae* eiusdem *Filiae* ac toti *Gynaeceo* Archiducali in Parthenio Sonnenburgensi Ord. S. Benedicti, valli Pustriae adscripto, an. 1611 subsistentibus, in spiritualibus inserviit, ac an. 1612 die 16. Febr. Oeniponti vita excidit. *P. Michael Landmann* [5], Minister Prov. Tyrolensis, ab Emo Cardinale *Andrea*, Austriae Duce, Ferdinandi Tyrolensis ac Philippinae Filio, epistola propria manu an. 1590 die 23. Aprilis exarata et maiori sigillo firmata, ex Conv. Friburgensi, in quo agebat Guardianum ad Conv. Constantiensem Conventualium evocatus fuit, ut ibi Moderatorem suae conscientiae ageret. Post Congregationem intermediam an. 1594 celebratam, de licentia Ministri Generalis in Prov. Austriacam se contulit, in hac vitam poenitentiae fructibus ac speciali humilitate ornatam duxit, et Graecii an. 1617 die 16. Maii, uti

---

[1] Chronolog. Ord. t. 1. p. 550 et 687; t. 2. p. 46 ac 172; t. 3. part. 1. p. 51 et 215. Orb. Seraph. t. 3. p. 617; t. 4. p. 17, 114 et 254. Iustin. Kaltprunner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Franciscan. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 376. Monum. Prov. Tyrol. Franciscan.

[2] In Catalogo Provinciarum.

[3] Chronol. Ord. t. 1. p. 680. Orb. Seraph. t. 1. p. 437; t. 4. p. 2.

[4] Hueb. in Chron. col. 821 et in Menol. die 16. Febr. Sannig in Chron. part. 6. p. 95. Monum. cit. Kaltprun. cit. Wad. Cont. t. 25. an. 1612. n. 51.

[5] Hueb. in Chron. col. 657 et in Menol. die 23. Aprilis. Herzog p. 121 et 296. Fac. Prov. Austr. p. 348. Chron. Prov. Tyrol. Franc. p. 12. etc. Monum. cit.

ex Monum. Prov. Austr. ac Conv. Graecensis constat, pie clausit. Scriptores cum Oeniponti tumulantes aut mortem eius ad an. 1699 diem 23. Aprilis revocantes a veritatis tramite declinarunt. *P. Otto Zingrein,* Tyrol.[1], ex Prov. Argent. ad Tyrol. an. 1580 quo Oeniponti erat Diaconus translatus, aliquando Confessarius Sereniss. *Sybillae,* natae Ducissae Iuliacensis, Cliviensis et Montensis, primitus Uxoris Philippi Marchionis Badensis, dein Caroli Marchionis Burgoviensis. Mutatio illius ad Conv. Friburg. isti ansam dedit, ut apud Ministrum Generalem et Commissarium Nationalem Germaniae pro eius reditu, uti ex litteris ex castro Ambras et Perdisaviae an 1603 et 1601 datis constat, institerit. De cetero vir hic officiis et integritate morum clarus, in Convent. Bulsan. an. 1623 die 1. Sept. dies suos explevit. *P. Bernardus Rast,* Confessarius ac Theologus *Maximiliani* Archiducis, Equitum Teutonicorum Magistri, † 1621; plura de eo n. 295 suggessi. *P. Christophorus,* aliis *Ioannes Christophorus Pembler* aliis *Bembler*[2], e Prov. Argent. an. 1601 ad Tyrol. evocatus et Tyrolensi in Comitiis Provincialibus Suazensibus an. 1606 insertus, Confessarius praedictae Sereniss. *Sybillae,* a Sereniss. Carolo eius Marito litteris in palatio Turneggensi an. 1606 die 19. Iunii exaratis, petitus. Vir hic in Prov. munus Vicarii, Guardiani, Definitoris, ac 10 annis Confessarii Clarissarum Brixinensium laudabiliter tulit et pro istis magna beneficia obtinuit. Reformationem amplecti nolens, aliorsum vero similiter ad Provinciam Matricem abiit, an. 1631 uti dat Necrologium Clarissarum Brixinensium vitae periodum absolvens. Ex his authenticis Monumentis innixis deducitur, Scriptores, ipsius mortem ad an. 1604 aut 1606 revocantes aut eum Oeniponti tumulantes a veritatis centro longe aberrasse.

380. *P. Henricus Seyfrid,* Sereniss. Archiducissae *Annae* Ferdinandi Tyrol. Uxoris, et *Annae Catharinae Filiae* ante nuptias cum Mathia Rege Hung. et Bohemiae subin Caesare celebratas, Confessarius; *Maximiliani* ac *Leopoldi* Archiducum in rebus spiritualibus Consiliarius, † 1636; revide n. 300. *P. Ioannes Wolf*[3], Auerensis, Tyrolensis, etiam *Ioannes ab Auer* dictus, vir pietate et doctrina insignis, pluribus annis Novitiorum-Magister, Confessarius Celsiss. *Guilielmi de Welsberg,* Episc. Brixinensis, an. 1640 assumptus, † Oeniponti an. 1645 die 12. Nov. *P. Casimirus Schick,* Sacellanus ac Confessarius extraordinarius Sereniss. Archiducis *Caroli Ferdinandi* ac *Annae Mediceae* eius Coniugis, Illi in ultima lucta assistens, † Oeniponti an. 1663; plura de eo n. 304 edixi. *P. Pirminius Ziegler,*

---

[1] Hueb. in Chron. col. 826 et in Menol. die 5. Nov. Kaltprunner cit. Sannig in Chron. part. 6. p. 175. Monum. citata. Monum. cit.

[2] Hueb. in Chron. col. 816. ac in Menol. die 29. Martii. Monum. cit. Cont. cit. p. 368. Chron. Prov. Tyrol. cit. p. 224. Auctor Chron. Prov. Arg. mihi § 6. n. 76.

[3] Hueb. in Chron. col. 778. Kaltprun. cit. Monum. citata.

Sereniss. *Annae Mediceae*[1] Theologus, † Bulsani an. 1677; repete n. 306. *P. Ruffinus Laxner,* Reverendiss. ac Celsiss. *Paulini* Episc. Brixin. Confessarius, † Brixinae an. 1687; revide n. 309. *P. Onuphrius Reisacher*[2], Sacellanus ac Confessarius extraordinarius Sereniss. Archiduc. *Ferdinandi Caroli* ac *Annae* eius Coniugis gratissimus, negotiis momentosis ab iisdem applicatus, † Suazii an. 1687 quiescit in·domo Capitulari, his lapidi illatis verbis: M. V. *Onuphrius Reisacher, Definitor habitualis* et *bis Guardianus Suazensis, pie obiit* 5. *April. an.* 1687. *P. Matthias Schmidlin*[3] Sereniss. *Annae* supra allegatae Theologus, et in secundo itinere Viennensi comes, † Oeniponti an. 1687: plura de hoc obtuli n. 310. *P. Lucas Gotterding,* Sereniss. *Annae Mediceae* Archiduc. Ferdinandi Viduae ac eius Filiae *Claudiae Felicitatis* Confessarius, † Oeniponti an. 1695; revide n. 316. *P. Gabriel Bonaventura de Preiss,* ad tempus Confessarius et Theologus Reverendiss. et Celsiss. DD. *Caspari Ignatii* de Künigle, Ep. Brixinensis, † Oenip. an. 1729; vid, n. 345. *P. Anacletus Weiller,* iuxta Protocoll. Prov. Theologus Celsiss. *Episc. Tridentini* ac Examinator Pro-synodalis, an. 1746 selectus. — Reverendiss. ac Illustriss. Principissa *Buchariensis*[4] quasi ab exordio Conventus Sulgaviensis, Franciscano istius Conv. in officio constituto, in foro Conscientiae uti consuevit. Silentio premo Confessarios ac Theologos Comitum, Baronum et aliarum Personarum Status altioris.

381. Sistuntur Viri, a Personis eminentibus ad negotia gravia adhibiti: *P. Henricus Sedulius,* a Ferdinando Archiduce cognomento Magnanimo, ad Summum Pontificem an. 1580 pro erectione Prov. Tyrol. deputatus, et a Gregorio XIII. P. pro Executore huius negotii assumptus. *P. Henricus Seyfrid,* in nomine Archid. Maximiliani, Equitum Teutonicorum Magistri ac Leopoldi an. 1615, in nomine istius an. 1625 Romae cum Summis Pontificibus, nec non Augustae 1627 negotia quaedam tractavit, et peregrinationem ad Mariam Einsidlensem pro hoc ipso Archiduce an. 1618 perfecit. *P. Wolfgangus Grindel* a Reverendiss. *P. Ildephonso Salizanes* Ministro Generali in Bavariam an. 1668 missus, sua dexteritate effecit, ut Sereniss. Elector Bavariae Ferdinandus Maria *P. Ioannem de Molina* pro Commissario Nationali Germaniae Superioris recognoverit. *P. Onuphrius Reisacher,* a Sereniss. Ferdinando Carolo aliquoties ad momentosa negotia adhibitus est. *P. Mathias Schmidlin* ab August. Imperatore Leopoldo I. an. 1674 selectus, litem inter *Archiducalem Domum Regularem Oenipontanam* et *PP. Servitas* diu agitatam, terminavit. *P. Hippolitus Ippoliti* seu *a Pergine,* ad tempus Prov. Tyrol. Filius, Discretus Ordinis, Consiliarius

---

[1] P. Iustinus Kaltprunner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Franc.

[2] Cit. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Suaz. Franciscan.

[3] P. Kaltprunner citatus. Monum. citata.

[4] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Sulgav. Francisc.

intimus Leopoldi I. Caesaris, pro ipso negotia quaedam Romae et Oeniponti absolvit [1].

382. Sequuntur Visitatores Commissarii Provinciarum ex Tyrolensis Prov. Alumnis a Maioribus Generalibus Ordinis usque ad annum 1700 selecti: *P. Bernardus Rast*, Visitator Commissarius Prov. Tyrol. an. 1603 et 1614, in litteris an. 1619 etiam Vice-Commissarius Generalis per *Germaniam Superiorem* vocatus. *P. Wolgangus Grindel*, seu *a Monachio*, Visitat. Commiss. Prov. *Poloniae: Minoris* ac *Maioris* Reformatorum an. 1640; Provinciae *Bavaricae* 1647; Prov. *Hungariae S. Mariae* 1662; Provinciae *Bavaricae* 1668. *P. Fridericus Gailer*, seu *a Monachio*, Visit. Commiss. Prov. *Hungariae SS. Salvatoris* 1653. *P. Pirminins Ziegler*, seu *a Zirla*, V. C. Prov. *Poloniae Maioris* Reformatorum 1664 nec non Prov. *Hungariae S. Mariae* 1671. *P. Ludovicus Praun*, seu *a Suazio*. V. Commiss. Prov. *Hungariae S. Mariae* 1665. *P. Mathias Schmidlin*, seu *a Rhenofelda*, V. Commissarius Prov. *Austriae* 1666 ac 1675. *P. Isidorus Kern*, seu ab *Aiblinga*, V. C. Prov. *Bavaricae* 1671. *P. Adrianus Hueppher*, V. C. Prov. *Austriae* 1681, nec non Prov. *Bohem.* 1681. *P. Paulinus Zechenter*, V. C. Prov. *Bohem.* 1681. *P. Ferdinandus a Kolz*, V. C. Prov. *Hungariae S. Mariae* 1684, nec non Prov. *Bohemiae* 1695, sed in hac electioni non praesedit. *P. Eustachius Kracker*, V. C. Prov. *Austriae* 1690, et Prov. *Hungariae SS. Salvatoris* 1695; dixi Visitatores Commissarii Provinciarum; etenim de Commissariis Apostolicis ac Nationali iam in exordio huius § egi. — Suppetunt quoque quidam Commissarii ad actus particulares a Maioribus Ordinis deputati, uti: *P. Bernardinus de Zenonis*, Guardianus Conv. Oenip., Praeses in Capitulo Provinciali *Oeniponti* 1592. *P. Georgius Ecker*, Minister Prov. Tyrol., Praeses in Capitulo Provinciali *Bulsanensi* 1695. *P. Clemens de Nola*, Guardianus Conv. Oenipont., in Prov. *Austriae* ratione alicuius controversiae 1601 missus. *P. Bernardus Rast*, Praeses in Capit. Prov. *Oenipont.* 1610 [2].

383. Adiunguntur Visitatores Commissarii Provinciarum ab an. 1700 deputati: *P. Ioannes Evangelista Aichperger*, Visitator Commissarius Prov. *Austriae* an. 1702. *P. Christianus Gaerber*, V. C. Prov. *Austriae* 1705, nec non Prov. *Croato-Carnioliae* 1708. *P. Eustachius Kracker*, V. C. Prov. *Hungariae S. Mariae* 1709. *P. Benno de Wenzl*, V. C. Prov. *Croato-Carnioliae* 1714 ac 1720. *P. Candidus Zangerle*, V. C. Prov. *Bavaricae* 1723. *P. Gabriel Bonaventura de Preiss*, V. C. Prov. *Bavaricae* 1726. *P. Dismas Mayrl*, V. C. Prov. *Austriae* 1735. *P. Anacletus Weiller*, V. C. Prov. *Austriae* 1744. *P. Guilielmus de Altstetter*, V. C. Prov. *Bohe-*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Francisc. et Scriptores in actis istorum virorum iam assignati.

[2] Monum. cit. Kaltprunner cit. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 75 etc. quod tamen hoc in puncto plenam non suggerit notitiam.

miae 1747 nec non Provinciae *Bavaricae* 1756. *P. Arbogastus Krasnigg*, V. C. Prov. *Austriae* 1753 ac Prov. *Bavaricae* 1758. *P. Epiphanius Magginger*, V. C. Prov. *Bavaricae* 1762. *P. Iacobus de Marchia de Praun*, V. C. Prov. *Bavaricae*, 1765. *P. Protasius Fischer*, V. C. Prov. *Bohemiae* 1765. *P. Caesarius Prandstetter*, V. C. Prov. *Austriae* an. 1768. *P. Albuinus Wahl*, V. C. Prov. *Bavaricae* an. 1768; uti et Prov. *Croato-Carnioliae* an. 1772. *P. Cyprianus Frings*, V. C. Prov. *Austriae* 1780 [1].

384. In Conventu Oenipontano S. Crucis ceu Concionatores Aulici in lingua Germanica Verbum Dei sequentes Patres exposuerunt: *P. Ioannes Nasus* et *P. Andreas Admontanus* intra an. 1552 et 1580. Ex Monumentis nostrae Provinciae [2] quidem habeo, quod *P. Ioannes Muscay* Prov. Argent. Alumnus 1594 Concionator Germanicus ad instantiam Archiducis Ferdinandi constitutus fuerit; ast credibilius fuit unice conventualis. *R. D. Antonio Cleselio* Sacerdote saeculari per plures annos Cathedram hanc providente mortuo, ad eam destinati fuerunt: *P. Matthaeus Polixius*, ex Provincia Argentina ad nostram translatus, an. 1605 [3] assumptus, *P. Iosephus Zinck* Prov. Argentinae Alumnus, eidem ob senium minus habili anno eodem suffectus, paulo post in Provinciam suam regressus, *P. Martinus Trostberger* 1606. *P. Theobaldus Schwab* 1607. *P. Felix Reineck* (seu *a Brandeburgo*) 1637. *P. Guilielmus Keser*, (seu *a Monachio*) 1661. *P. Udalricus Planck*, (seu *a Wanga*) 1664. *P. Guilielmus Keser*, supra tactus, 1665. *P. Romanus Eggenstein*, (seu *a Thaur*) 1666. *P. Ludovicus Praun*, (seu *a Suazio*) 1669. *P. Conradus Kastner*, (seu *ab Hala*) 1672. *P. Ferdinandus a Kolz*, (seu *a Brixina*) 1678. *P. Paulinus Zechenter*, (seu *a Telfsio*) 1686. *P. Vigilius Salvotti* 1689. *P. Clemens Tausch* 1692. *P. Valentinus Baumgartner* 1695. *P. Felix Stocker* 1701. *P. Iosephus Maria de Preis* 1704. *P. Gabriel Bonaventura de Preiss* 1707. *P. Ladislaus Prugger* 1715. *P. Donatus Grass* 1717. *P. Accursius Schiechl* 1722. *P. Franciscus Solanus Menz* 1725. *P. Accursius Schiechl* 1728. *P. Franciscus Isaac de Ienner* 1731. *P. Athanasius Holer* 1735. *P. Tobias Asam* 1738. *P. Adiutus Lanser* 1740. *P. Iuniperus Wopfner* 1742. *P. Iacobus de Marchia de Praun* 1745. *P. Cornelius Egger* 1748. *P. Iacobus de Marchia de Praun* 1751. *P. Albuinus Wahl* 1756. *P. Geroldus Hagenmayr* 1759. *P. Euthymius Müller* 1762. *P. Albuinus Wahl* 1764. *P. Benno Gwercher* 1766. *P. Oswaldus Sigismundus Kranicher* 1769. *P. Ildephonsus Finckenzeller* 1772. *P. Philippus Iacobus Wagner* 1778. Praeterea Concionatores Aulicos festivales, post an. 1772 constitutos [4].

---

[1] Monum. cit. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 77.

[2] Protocoll. nostrae Prov. vol. I. p. 62.

[3] Protocoll. cit. p. 110.

[4] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Franciscan. Kaltprunner cit. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 378 qui tamen multos Concionatores Aulicos omittit, et inter eos male Bernardinum Lackner ponit.

385. Provincia Tyrol. ultra hos Concionatores Aulicos alios recensuit, inter quos numerantur: *P. Cherubinus Italus*, Definitor Provinciae nostrae, Concionator Sereniss. Archiducissae *Annae Catharinae*, natae Ducissae Mantuanae, Archiduc. Ferdinandi Magnanimi secundae Uxoris, an. 1582 Eidem desponsatae; Oeniponti an. 1586 defunctus. *P. Ioannes Hueber*, Dillingam, petente Reverendiss. et Celsiss. Episc. Augustano *Marquardo II.* de Berg, an. 1587 hoc in munere destinatus. *P. Henricus Seyfrid*, Sereniss. *Annae Iulianae*, *Archiducalis Domus Regularis* Fundatricis Concionator, in actis Capitularibus an. 1618 hoc nomine insignitus. *P. Reineccius*[1] eum etiam vocans Concionatorem *Annae* istius Filiae, priusquam nuberet Mathiae Caesari; vero similius inter Matrem et Filiam non bene distinxit. *P. Ladislaus Prugger*, Neoburgum ad Sereniss. Electorem Palatinum *Carolum Philippum* sub charactere Concionatoris Aulici extraordinarii ac Theologi, an. 1717 missus. — Subintrant Professores Universitatum: *P. Herculanus Oberrauch* in Universitate Oenipontana Professor Theologiae Moralis seu Morum, an. 1767 constitutus. *P. Cyprianus Frings*, in Universitate Friburgensi eiusdem facultatis intra an. 1768 et 1776 Professor *P. Hilarion Staffler*, in Universitate Oenipontana linguae Hebraicae et Graecae Professor, an. 1773 constitutus[2].

386. Subintrant Minoritae Observantes, aliarum Provinciarum Filii, ante erectionem Provinciae Tyrolensis vita functi, qui in Conventibus modo Provinciae Tyrol. substratis morati sunt *Officiis honorificis* excepti: *P. Dionysius a Rain*, Provinciae Austriae Filius, Concionator Apostolicus ac Regius, nec non SS. Theolog. Doctor Parisiis; t. I. p. 287. n. 49; p. 449. n. 310; p. 512. n. 438; p. 513. n. 40. expressus; Suazii die 3. Iulii, an. 1549 mortuus[3]. *P. Ioannes Textor, aliis Textoris* Guardianus Conventus Friburgensis in Brisgoia, eo tempore Prov. Argentinensi de Observantia subiecti, in ista pluribus sistendus, a Ferdinando I. Caesare petitus, ut suum agat Ecclesiasten. *P. Amandus de Stoffen*[4], Minorita Observans Prov. Austriae, olim Guardianus Suazensis, ad tempus Sereniss. Archiducissae Magdalenae ante Iesuitas Confessarius. *P. Iustinus Kaltprunner* male existimat, eum coincidere cum *P. Amando Allmayr* supra tacto, ratio: hic primum an. 1592 S. Vota nuncupavit, fata Magdalena vero iam an. 1590 ad coelestem Thalamum avocata est. Protocoll. Conv. Suazensis non suggerit Guardianos, ante an. 1580 Suazium deputatos, exceptis paucissimis unde plura ex eo de hoc viro afferre non queo. — Adnectuntur Minoritae Refor-

---

[1] In Thalete Lat. p. 338.

[2] Monum. cit. Kaltprun. cit.

[3] Facies Prov. Austr. p. 356; (Cosmograph. Prov. Austr.) Analec. Franc. t. I. p. 68, 99.

[4] Monum. Prov. Tyrol. Franc. Reinec. in Thalete Lat. p. 490.

mali[1] *Officiis honorificis* decorati, Oeniponti ad tempus stationem suam habentes Provinciae tamen Tyrolensi non asserti: *P. Carolus a Galbiato* Reformatus Prov. Mediolanensis, vita religiosa inclytus, Concionator Italicus Sereniss. Archiducissae Claudiae, eiusque Filiae Clarae Isabellae Mantuae Ducissae Confessarius. *P. Didacus Tafuri* seu *de Lequile,* Prov. S. Nicolai FF. Min. Reform. Alumnus, in Aula Archiducali Oeniponti Concionator Italicus, Theologus, Capellanus ac Historicus; a Ferdinando III. Caesare an. 1687 Episcop. Almisiensis in Dalmatia[2] praesentatus consecrationis tamen gratia destitutus. *P. Nicolaus a Mediolano,* Prov. Mediolan. Reform. Alumnus, in Aula Oenipontana Concionator Italicus, an. 1660. *P. Ioannes Iacobus de Alzana* al. *Alzano,* Prov. Brixinens. FF. Min. Reform. Filius, Prov. *Bohem.* ac *Tyrol.* Visitator Commiss. Archiducis Ferdinandi Caroli, ac Annae eius Coniugis Ecclesiastes Italicus. *P. Angelicus a Mediolano,* Provinciae Reform. Mediolanensis Assecla, Ecclesiastes in idiomate Italico Sereniss. Archiducissae Annae ac Claudiae Felicitatis eius Filiae, Visitator Commiss. Prov. *Tyrol.* an. 1674. *P. Salvator ab Horto,* Prov. Reform. Mediolanensis Alumnus, in Aula Oenipont. Concionator Italicus. De cetero Concionatores hi Aulici regulariter in *Capella Argentea,* uti attestatur *P. Iustinus Kaltprunner,* e rostro dixerunt. *P. Flavianus Ricci* seu *a Cimbria,* Prov. Tridentinae Filius, Professor SS. Theologiae Moralis in Universitate Oenipontana an 1761 deputatus.

387. Gradum facio ad Minoritas Conventuales, ante aut post ortum Provinciae Tyrolensis de Observantia primum regulari dein strictiori, Dignitate Episcopali insignitos et in Dioecesi Brixinensi suos actus legales exercentes. *P. Ioannes*[3], Episcopus Thinensis et Michinensis, Vicarius Generalis Bertholdi II. Episc. Brixinensis, an. 1425 die 23. Aprilis duas aras Ecclesiae Brixinensis Clarissarum inauguravit. Evincunt hoc duae Schedae, an. 1684 repertae, quarum prima ita sonat: *Millesimo IIIIXXV. die XXIII. Mensis Aprilis Nos Frat. Iohs Ordinis Minorum, Dei et Aplicae Sedis gratia Thinarum et Michinarum Ecclesiarum Episcopus, Reverendi in Christo Patris et Domini Domini Bertholdi eadem gratia Episc. Brixinen. in Pontificalibus Vicarius Generalis consecravimus istud altare in honorem Sanctae Mariae Virginis.* Altera haec habet verba: *Anno Domini Millesimo IIIIXXV. die XXIII. Mensis Aprilis Nos Frat. Ioannes Ord. Min. Dei, et Apostolicae Sedis gratia Thinarum et Michinarum Ecclesiarum Episcopus, et Reverendi in Christo Patris et Domini*

---

[1] Monum. cit. ac Conv. Oenipont. Franc. Kaltprun. cit. Didacus de Lequile ab Hueb. in Chron. tangitur col. 998. Petr. Ant. Venet. in Horto Seraph. t. I. p. 560, 612 et 626.

[2] Neutiquam in Hungaria, nisi eum late sumere velis. Almisium civitas Episcopalis Dalmatii mari Ariatico adiacet.

[3] Monum. Parth. Brixin. Clariss.

Domini Bertholdi eadem gratia Episcopi Brixinen. in Pontificalibus Vicarius Generalis consecravimus istud altare in honorem Sanctorum Confessorum Francisci, Antonii, Ludovici et Sanctae Clarae Virginis. Vir hic ex Dioecesi Brixinensi ad Tridentinam perveniens, in Prov. Tridentina adhuc tangetur. *P. Georgius Benignus de Dogonis* al. *Georgius de Dogono,* aut *Doleano,* Bellunensis [1], S. Theol. Magister, Provinciae S. Antonii ab an. 1582 usque ad an. 1584 Commissarius, ac Visitator Apostolicus Provinciarum Germaniae [2] et Poloniae, Praefecturam Generalem sibi a Papa et Capitulo Generali Conventualium oblatam recusavit, et an. 1594 VIII. Idus Iunii Ep. Bellinensis [3] et Suffraganeus *Andreae* Ducis Austriae Ep. Brixin. et Cardinalis ordinatus et exin Praepositus in Insula *Werth* creatus est. Epilogum vitae an. 1597 in Ianuario absolvit; in Ecclesia Cathedrali Brixinensi penes tumulum Udalrici Ep. Brixinensis ad angulum superiorem Capellae omnium Sanctorum reconditus. Petrus Anton. de Venet. ad an. 1594 istum hisce corrupte sistit: *P. Gregorio Benigni, Vesc. Bellinense, in partibus.* Firmae opinionis sum, quod *Georgius Doglion.* Suffrag. Brix. et Ep. Bellinensis, a Wad. et Petro Ant. de Venet. factus et ad an. 1399 reductus, cum isto *Georgio* coincidat; sicque circa acta eius hi Scripores ultra ducentibus annis a veritatis scopo amoti fuerint. Sane Monum. Dioec. Brix. ac Prov. Venet. S. Antonii Conventualium nihil in fine saeculi XIV. de hoc Suffraganeo sciunt. Adiungendus venit *P. Michael de Vienna,* Minorita Conventualis Prov. Austriae, Sacellanus Aulicus *Eleonorae,* a Sigismundo Austriae Duce et Tyroleos Principe ad Thorum assumptae, Guardianus Conventus Bulsanensis, hoc l. n. 77 insinuatus.

§ 2.

Doctrina Provinciae Tyrolensis Fratrum Min. Reformatorum.

388. Inter Alumnos istius Provinciae, calamum stringentes, primum locum sibi vendicat Reverendiss. *P. Ioannes Nasus,* Episc. Bellinensis, cap. praec. § 4 pluribus delineatus, Oeniponti an. 1590 defunctus, qui variis opusculis Acatholicos exagitavit et mundum illustravit. Quoad tamen eius Scripta, quae magno ingenii acumine composuit omnes de eo tractantes Scriptores valde dissentiunt; alii plura alii pauciora notantes. Etiam Auctor

---

[1] Cl. Resch in Monum. sepulchral. Eccles. Brixin. p. 63. et 64. P. Chrysostomus de Avolanoc. Prov. Trident. Reformatus ex Monum. Conv. Bellun. et Serie Ministrorum Prov. S. Ant. Conventual. Wad. t. 9. an. 1399, n. 7. Petr. Ant. Venet. in Horto Seraph. t. 1. p. 518 et 552.

[2] Inter Prov. istas haud venit Austriaca; nam eius Commissarius hoc tempore erat Ioannes de Guardianis. Saecul. V. Conventual. Vien. p. 97.

[3] Nentiquam Bellunensis, uti ex Catalogis Ep. Bellun. constat.

huius Greiderer, quem sequitur Compilator « Chronicae Provinciae Superioris Alemanniae » non perfectum Scriptorum *Nasi* Catalogum prodit; alias *P. Ioannes Bapt. Schoepf,* alias *P. Hilarion Staffler,* alias *varii* a me inspecti *Librariorum Catalogi* circa hanc rem agunt. Supposito tamen hoc loco Greiderer et auxiliantibus citatis Schoepf et Staffler, Elenchus a *Naso* publici iuris factorum librorum probabiliter est sequens:

1. *Catechismus Catholicus:* Ingolstadii, latine an. 1567 et 1598 impressus; apud Schoepf n. 19; apud Staffler *a.*

2. *Centuria mendaciorum insignium, ab haereticis se Evangelicos vocantibus, scriptorum,* seu *Prodromus Centuriarum,* in 8. Ingolstadii 1569; nec apud Schoepf nec apud Staffler allegatum.

3. *Centuria prima Chiliadis veritatum Evangelicarum;* i. e. *Das Antipapistisch eins* und *hundert. Ausserlessner, gewisser Evangelischer Warhait, bey wölchen* (als bey den früchten der Baum) *die reyn lehr soll und muss erkannt werden:* Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Schoepf 1; apud Staffler *g.*

4. *Centuria secunda earum contra Heshusium, (Secunda Centuria), das ist, Das andere Hundert, der Evangelischen warheit, an welchen, als bey den Früchten der Baum, unserer widersacher irrige lehr, betrug und thorhait menigklich entdecket wird;* Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Sch. 2[1].

5. *Centuria tertia earum; das ist Das dritte Hundert der gedoppelten Evangelosen warhait betreffendt:* Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Sch. 3.

6. *Centuria quarta earum contra Ioannem Fridericum Scelestum:* Ingolstadii 1570; *Das ist, Das vierdt hundert der vierfach Evangelischen warheit, in welchen das elendt Lutterthumb, dermassen geanatomiert ist* etc.; Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Sch. 4.

7. *Centuria quinta, Lutheri acta complexa*[2] *contra Cyriacum Spangenbergium: Das ist, Das Fünfft Hundert der Evangelischen warheit, darinn mit Fleiss beschriben wird, der gantz handel, anfang, lebens und todts des thewren Manns, D. Martin Luthers* etc.; Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Sch. 5.

8. *Prodromus Centuriae sextae contra Lucam Hosen, Das ist, Ein Vortrab und Morgengab, dess sechsten hunderts Evangeloser warhait in hundert puncten, Dem Hoschiander Lucas Dediciert:* Ingolstadii, in 8. an. 1568, 1569 et 1570; ap. Sch. 6.

9. *Centuriae sex* de: *Matrimonio; Vita monastica; Vitiis utriusque vitae; Oratione Dominica; Discrimine veteris et novae fidei* ac *Praecipuis*

---

[1] Annum hunc in ipso libro, Bibliothecae Conv. Oenip. illato, invenio. Hueb. allegans an. 1586 fors de secunda impressione explicari poterit.

[2] Deduco ex libro, a me inspecto; unde non attendo Scriptores, hoc ad Centuriam quartam revocantes.

capitibus fidei Christianae; Ingolstadii, in 8. an. 1570: nec a Schoepf nec a Staffler citatum.

10. *G. Asinus Nasi Battimont.Anus, seu instructio de Nasi asino, eiusque vero titulo, nempe litteris G. N. B. contra Georgium Nigrinum Battimont et Mathiam Ritter*; i. e. Γ. Ασινος Νασου Βαττολογονος; *Das ist, ain Bericht Von Fratris Ioannis Nasen Esel* etc.; Ingolstadii, in 8. an. 1571; ap. Sch. 7; ap. St. *k*.

11. *Practica Practicarum contra Haereticos, Astrologiae Iudiciariae addictos: Das ist, Ein gewise Vorsagung, auff vil zukünfftiger Jar*; Ingolstadii, in 8. an. 1572; ap. Sch. 8; ap. St. *n*.

12. *Antigratulatio contra Iacobi Andreae gratulationem: Concionatores Ducatus Bavarici factos esse Lutheranos, mendaciter asserentis* i. e. *Antigratulation wider die Gratulation Iacobi Andreae, dass die Prediger und Lehrer im Herzogthumb Beyern sollen lutherisch worden sein*; Ingolstadii, in 8. an. 1568; ap. Sch. 11; ap. St. *p*.

13. *Tractatus brevis de Coena Domini, in quo unico sermone 50 adversariorum obiectiones refutantur*: das ist, *Ein Predig von dem heiligen Hochwürdigsten Sacrament des Altars, wie es Christus selbst in beiderlay gestalt hat eingesetzt*: Ingolstadii, in 8. an. 1576; ap. Sch. 20; ap. St. *q*; latine editus a P. Ioan. Dom. Hess an. 1577.

14. *Refutatio libri a Iosue Opitio editi*; i. e. *Widerlegung Dess Falschen Scheingründischen Buchs, Durch Iosuam Opitium* etc.; Ingolstadii, in 8. an. 1577; ap. Sch. 27; ap. St. *r*.

15. *Examen Chartaceae Lutheranorum concordiae contra Iacobum Andre*; i. e. *Aussmusterung und Widerlegung des Nagelnew geschmidten Concordi Buchs* etc.; Ingolstadii, in 4. an. 1581; ap. Sch. 28; ap. St. *w*.

16. *Concordia controversiarum novarum*, i. e. *Concordia Alter und newer, guter auch böser Glaubensstrittiger Lehren* etc.; Monachii, in 4. an. 1583; ap. Sch. 29; ap. St. *x*.

17. *Praeludium Novellarum, seu in Centurias hominum, sola fide perditorum: Das ist, Newer Zeittung Vorgang und langerwarter Enderung, von der grossen Gloggen zu Erfurdt* etc.; Ingolstadii, in 4. an. 1588; ap. Sch. 31; ap. St. *aa*.

18. *Angelus Paraneticus contra solam fidem delegatus: Das ist (der) Warnungs Engel wider den Solen Glauben aussgesandt, welcher herrlich erklärt warumb auss vil Berufften, wenig selig werden* etc.; Ingolstadii, in 4. an. 1588; ap. Sch. 30; ap. St. *z*.

19. *Levita Catholicus*, seu *Concio defensoria* (contra Exodum Pseudo evangelicam) oder, *Ein Schutz Predig von aller Heiligen Fest und Feyrtag, wider der Secten falsche Intzicht und verlogne läster Klag* etc.; Ingolstadii, in 4. an. 1589; ap. Sch. 33; ap. St. *bb*.

20. *Manuale parvi Christianismi*, i. e. *Handbüchlein Des Klein Christianismi: vom rechten Glauben, thun und lassen* etc.; Ingolstadii, in 8. an. 1570; ap. Sch. 18; ap. St. *h*[1].

21. *Abconterfeyhung und Ausslegung etlicher seltzamer Figuren so zu Strassburg in Münster vor etlich hundert Iaren in Stein gehawen worden, den letzten grossen Abfall von dem wahren Gottesdienst auch der Secten und Rotten Viehischen Standt und Irreligion darmit abzubilden*; Ingolstadii, in fol. an. 1588; apud Schoepf n. 32 tantum.

22. *Neuer Zeitvorgang*; Ingolstadii, in 4. an. 1580 (?) Apud Staffler *t.* cum nota « *repertum in Iulio an. 1782* ».

23. «*Ananeosis* » i. e. *Histori wunderbarlicher Religionshaendel, beschrieben von Ioan. Nass*: Ingolstadii, in 4. an. 1584; alias 1588. Solummodo apud Staffler *y.*, iuxta Catalogum Bibliothecae Conventus Carmelitarum Leontii.

24. « *Gemähel nostrae Ecclesiae militantis* »: citatur apud Schoepf 39; ap. Staffler *cc.*

389. Sequuntur Postillae et Conciones ab eo contra Protestantes congestae et impressae:

1. *Postilla minor a Paschate usque ad Adventum (Postilla Minorum) Das ist, Die Kleiner Postill unnd Kürtzeste Ausslegung der Hailigen Evangelien, so auff die Suntäg und fürnemsten Fest von Ostern bis auffs Advent Catholisch gepredigt werden*: Ingolstadii, an. 1561 et Moguntiae 1567 impressa, et si quibusdam fidendum an. 1571 reimpressa (Schoepf allegat an. 1571) in 8; ap. Sch. 9; ap. St. *o.*

2. *Postilla minor (Minorum) ab Adventu usque ad Pascha; Das ist... vom Advent biss auf Ostern... Für die armen Priester und Haussväter gestelt*; Ingolstadii, in 8. an. 1572; ap. Sch. 10; ap. St. *o.*

3. *Quinque Conciones orthodoxae* nempe: De *morte temporali* et *aeterna.* — De *animae* et *corporis morbis.* — De *divinis* et *humanis remediis.* — De *duplici modo sepeliendi funera.* — De *oratione.* i. e. *Orthodoxischer, fünff Catholischer* unnd *Christlicher Sermon*: 1. Vom *zeitlichen* und *ewigen Tod.* 2. Von *geistlicher* und *weltlicher Kranckheit.* 3. Von *göttlicher* und *menschlicher Artzney.* 4. Auch von *underschidlicher der Gestorbenen Begrebnuss.* 5. Und was *fürnemlich Gott zu bitten, auf dass der Gesund erhalten, der Krank genäss* und *das Himmelreich erfüllet werde*; Ingolstadii, in 8. an. 1565; ap. Sch. 12; ap. St. *b.*

---

[1] Wad. in t. Scriptorum p. 146. et sub nomine anonymi Germ. p. 215 etc. Hueb. in Chron. col. 675 etc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 374 etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 80. etc. Monum. eiusdem ac Prov. Bav. Varia opuscula Nasi a me inspecta. Kaltprunner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Francisc. Willot in Athenis Sodalitii Francisc. p. 231 etc. nec non p. 160 ubi Germanum ex cognomine non notum vocat. Hilarion Staffler in Script. Prov. Tyrol. Francisc. et Schoepf cit.

4. *Conciones tres de coniugio*, i. e. *Drey dergleichen (Sermon) von dem Ehe* und *Religiosen Stand*, Ingolstadii, in 8. an. 1566; ap. St. *c*.

5. *Conciones tres de triplici vitae genere*, videlicet: De *Veste nuptiali* ac *Coniugio*. — De *Statu Religioso* et — De *Zizaniis in statu saeculari* et *religioso*, i. e. *Drey Geschrifftfester, heiliger, katholischer predigen. Die Erst. Von dem hochzeytlichen Klayd, und vil anderer lobwürdiger zyer und eigenschafft, des fromm Christlichen Ehevolks. Die Ander. Von der Ehrwürdigen art, natur und heiligen stand, des Geistlichen und rechtgeschaffnen Klosterlebens* etc. *Die Dritt. Von dem verfluchten unkraut und saurteyg, mit welchem beyds der Weltlich und Geistlich stand verwüsst wirdt*. Ingolstadii, in 8. an. 1566; ap. Sch. 13; ap. St. *dd*.

6. *Conciones duae: De veteri et nova fide* ac *De praecipuis Capitibus veteris Christianismi*, i. e. *Zwo wolgegründeter Predig: I. Von des Glaubens underschydlicher Frucht und aigenschafft. II. Von den artickeln des Christenthumbs*, Ingolstadii, in 8. an. 1567 (aliis 1565); ap. Sch. 14; ap. St. *d*.

7. *Concio de usu Orationis Dominicae: schöne christliche newe iars Predigt, darinn der recht Gebrauch des hl. Vatterunsers erklärt wird*, Ingolstadii, in 8. an. 1567, alia editio Moguntiae an. 1572; ap. Sch. 17; ap. St. *e*.

8. *Conciones familiares* seu *domesticae sex*, i. e. *Sechs wolgegründter, nützlicher hausspredig. Die erste lobt den christlichen Ehestandt. Die ander preisst die recht Klösterlichen Geistligkait. Die dritt strafft baiderlay Ständt unartigkait. Die vierdt erklärt das Vatter unser zum newen Iar. Die fünfft sagt von des alten unnd newen Glaubens underschyd. Die sechst begreifft in einer Summ, die fürnembsten glaubensartickel im gantzen Christenthumb*. Ingolstadii, in 8. an. 1571 (Greiderer allegat Moguntiae); tres primae iam prius publicatae, vide n. 5; quarta an. 1567 prodiit, vide n. 7; quinta et sexta impressa Ingolstadii an. 1565 et 1567; cfr. n. 6; ap. Sch. 21; ap. St. *i*.

9. *Concio de victoria maritima a Christianis de Turcis an. 1571 reportata*, seu *tempestate a Christo sedata*, i. e. *Eine schöne Tröstliche Kriegs und Sigspredig. Vber das Evangelium wie Christus im Schifflein schlaffend erweckt, und das ungestümb Meer gestillt wird. Mit erzelung der victori wider den Türken anno 1571 d. 7. Oct.*, Ingolstadii, in 8. an. 1572; ap. Sch. 23; ap. St. *l*.

10. *Conciones septemdecim*, quarum *12 de SS. Sacramento* et 5 de *Morte temporali* et *aeterna: Morbi remediis: Duplici sepultura*: et *Oratione* pertractant: *Siebenzehen Predigten: Zwölff Wolgegründter Predig, von der Christling Kirchen heiligstem Sacrament des Altars, in wölchen die Zänck, u. bayde gestalt, Ehr u. Anbettung betreffende entschlicht sein*. Ingolstadii, in 8. an. 1568 al. 1569; ap. Sch. 16; ap. St. *m*: die *Fünff*

andern; vide n. 3. Omnes septemdecim Conciones in uno tomo in lucem editae sunt Moguntiae an. 1571 (ita Greiderer et Goedeke) et Ingolstadii an. 1572; cfr. Schoepf n. 34.

11. *Concio de SS. Sacramento* et *alia de animabus; Zwo wolgegründte Predig, Von den Heiligen Gottes im Himmel,* und *Christglaubigen Seelen im Evangelischen Kerker. Die erst an aller Heiligen Tag, Die ander an aller Glaubigen Seelen Gedechtnuss, zu Augspurg bey Sant Vlrich Catholisch verricht,* Ingolstadii, in 8. an. 1579; ap. Sch. 24.

12. *Conciones quinque autumnales Tramini habitae; Fünff Herbst Predig. Im Trientischen Bistum an der Etsch umb Trawim im Wimmet gehalten.* Ingolstadii, in 8. an. 1580; ap. Sch. 25; ap. St. *u.*

13. *Conciones de temperantia* et *aeterna morte; Predigten von der Maessigkeit und dem ewigen Tode;* citantur solummodo a Greiderer, cfr. Schoepf n. 36; sine loco et anno.

14. *Conciones tres de veste nuptiali;* coincidunt forsan cum illis supra n. 5 allegatis.

15. *Conciones Catholicae sexaginta quinque;* citantur apud Greiderer, sed sine loco et anno; vide Schoepf n. 35.

16. *Admonitio ad omnes Christianos,* i. e. *Widereinwarnung, An alle frommen Teutschen, Ein Vermanung, Auff dass sie sich vor denen unlängst wider auffgerichten Abgöttereyen und Missbraüchen hüten.* Ingolstadii, in 8. an. 1577; ap. Sch. 26; ap. St. *s.*

17. *Concio de Coena Domini,* Ingolstadii, in 8. an. 1577; apud Greiderer tantum.

18. *Ein schöne Tröstliche Newejarspredig Uber das Evangelium, wie Christus im Schifflein schlaffend von seinen Iüngern erweckt und das ungestüm meer gestilt wird. Darinn auch die bottschafft der gewaltigen sighafften newen zeytung wider d. Türcken 1571 den 7. Octob.* Ingolstadii, in 8. an. 1572; opus nec a Greiderer nec a Schoepf citatum; ap. Staffler *s.* breviter: Neujahrs predigt über Matth. 8.

19. *Ein merkliche Predig von der Hauptsumm und Ursach darvontwegen es ietzt allenthalben so ubel leyder stehet. Am 12. Sonntag nach Pfingsten 1578.* Ingolstadii, in 8. an. 1579; apud Schoepf 22; Catal. n. XXXVII, pag. 151 L. Rosenthal n. 3136 et 3135; ap. St. *ff;* a Greiderer non cit.

20. *Sieben Predigten vom heiligsten Sacrament des Altars,* Ingolstadii, in 8. an. 1565; apud Schoepf ex Goedeke n. 15.

21. *Chronologia evangelica* etc. *Mit einer Vorred F. Iohann Nass:* ap. Schoepf n. 37. Scriptores quidem adiungunt: *Conciones triginta quatuor,* et *Postillam de Tempore* et *Sanctis;* ast dubito an priores non coincidant cum Concionibus a me iam allegatis, et posterior cum Postillis adductis. Profunda doctrina huius viri intra tam breve tempus obtenta,

potius speciali Dei favori, quam eius labori adscribenda venit, viam ad eam Naso aperuit B. V. Maria, quam ceu alter Ioannes Duns Scotus quotidie[1] his verbis convenit; *Gaude Maria Virgo! cunctas haereses sola interemisti, dignare me, laudare te Virgo! o Maria, da mihi virtutem contra hostes tuos! Ave Maria gratia plena* etc. Maximam suam fiduciam in B. V. M. in suis operibus saepius prodidit, eiusque honorem contra Sectarios fortiter propugnavit. In Prov. nostra ex eius M. S. exstant: 1. *Declaratio fidei Catholicae:* 2. *Adnotationes in Dialecticas considerationes P. Francisci Titelmanni;* 3. *Institutiones artis Rhetoricae sacrae;* 4. *Adnotationes in Enchiridione locorum communium,* ab *Eckio elaboratum;* 5. *eius* qua Ep. Bellin. *Manuale,* 6. et *alia.* De cetero opera sua in *lingua teutonica* edidit: multa tamen eorum *P. Ioannes Dominicus Hessius* ad *idioma latinum* transtulit, Ingolstadii 1577 vulgata. Controversistae non tantum *veteres,* sed et *moderni* variis Encomiis opera Nasi efferunt. Clarissimus *Eisengrein* in *Catalogo Testium Veritatis* et *Fidei Catholicae* an. 1565 edito, de eo iam tunc florenti ait: *Ioannes Nasus Ord. Min. Conventus Ingolstadiensis vir doctissimus, atque in Monastica disciplina exercitatus, Orator facundus, nec ulli Theologorum secundus, Catechismum Catholicum tum pium, tum doctum posteritati consecravit*[2].

390. *P. Georgius Ecker* al. *Egger,* e Prov. Argent. in Tyrol. assumptus, in ea Praedicator, Definitor et subin Minister Prov. Tyrol. Franciscan. an. 1592 electus, officio hoc laudabiliter exacto, Guardiani munus Convent. Friburg. sustinuit et Rottenburgi apud Moniales suo Ordini subiectas, quorsum sanitatis ergo perexerat, an. 1598 falci mortis succubuit ac in Ecclesia collegiata S. Mauritii reconditus fuit. Qua Concionator Convent. Friburg. quaedam contra Osiandrum, Lutheri doctrinae sectatorem, in lingua germanica divulgavit, nempe: 1. *Responsum pro defensione Ioannis Pistorii Nidani,* Coloniae 1590 impressum sub hoc titulo: *Auf des gottlosen, untüchtigen Schandmauls, und Ehrschänders D. Lucas Osianders ferner verlogene Beweisung, damit er abermals, den ehrenvesten, hochgelehrten Herrn D. Ioan. Pistorium Nidanum* etc. *zu schänden begert, wahrhafte beständige Antwort.* 2. *Coronam Alkoranicam ex urticis,* 1591 in Friburg. sub titulo: *Schöner alkoranischer Nesselkranz wider den Lucas Osiander.* 3. *Responsum ad clamorem Asininum Osiandri,* i. e. *Antwortschreiben auf des Osiander Eselgeschrei,* Freiburg, in 4. 1591. *P. Tobias Hendschelius,* pluribus n. 293 delineatus, an. 1620 vita functus, ad linguam germanicam transtulit: 1. *Vetus* et *Novum Testamentum Sixtinorum*

---

[1] Ipse Nasus hoc Centur. 6. p. 250 indicat, ubi in margine dicitur: Precatio Fr. Nasi quotidiana.

[2] Eisengrein cit. p. 210. Wad. et Hueb. citati. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 375. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 81 etc. Kalprun. et Willot. cit. Staffler cit. Opuscula a me inspecta.

Bibliorum, Ingolstadii 1602 ac Coloniae 1611, in folio. 2. *Opus de quatuor novissimis*, ibidem an. 1606, 1611 ac 1619 impressum, a Gabriele Inchino, (apud Staffler *Iarsini*), Canonico Lateranensi in lingua italica compositum. 3. *Conversionem Regni Voxensis*, per *P. Ludovicum Sotelum* Franciscanum Discalceatum procuratam, a Scipione Amato Romano italice descriptam, Ingolstadii, an. 1617. Operi huic in lingua germanica libellum: *De dignitate religionis Seraphicae ex variis titulis* adiecit. 4. *Librum*, a *P. Ioanne de Carthagena*, iussu Pauli V. P. *in Canticum B. V. Mariae compositum*, Ingolstadii. an. 1617 in 4. Auctor autem exstitit » Libelli de Indulgentiis et Privilegiis confraternitatis Matris Dolorosae, Suazii apud PP. Franciscanos vigentis », Friburgi, in 8. an. 1613 impressi. *P. Henricus Sedulius*. Cliviensis, Minorita Observans, primitus Prov. German. inferioris dein Tyrolensis Filius, istius primus Minister Provincialis, subin Provinciam suam petiit et Antverpiae an. 1621 obiit. Inter eius opera recensentur: 1. *Speculum disciplinae S. Bonaventurae Cardinalis. ad vetera exemplaria correctum*, Antverpiae usque ad an. 1650 iam trina vice. 2. *Vita S. Ludovici Episc. Tolosani, Minoritae*, Antverpiae 1602. 3. *Elogia in imagines Sanctorum, ex triplici Ordine S. Francisci inter divos relatorum*. 4. *Proscriptiones adversus haereses*, Antverpiae 1606 uti vult Sanderus; iuxta Wad. 1604. 4. *Apologeticus adversus Alcoranum Franciscanum pro libro Conformitatum*, Antverpiae 1607. 5. *B. Virgo Mosae-Traiectensis*, Antverpiae 1609. In hac de S. Imaginum antiquitate. usu et fructu, de processionibus Ecclesiasticis nonnullis aliis ritibus, Imaginibus Marianis miraculosis superioris aetatis, ac Miraculis coaevis B. V. M. Mosae-Traiectensis agit. 7. *Historia Seraphica S. P. Francisci et aliorum Sanctorum ex Ord. Seraphico, nec non Martyrum Prov. Germ. inferioris et aliorum*, Antverpiae 1613. 8. *Chronicon German. infer.* seu ut *Sanderus* vocat, *Chronicon M. S. Wertense*. Leonardus Van Maren retulit, quod etiam *in Evangelia* scripserit: at de hoc opusculo alii silent; plura de hoc viro dixi n. 294 [1].

391. *P. Bernardinus Lackner*. an. 1627 mortuus, conscripsit: 1. *Summarium omnium Bullarum. Brevium Apostolicorum, aliarumque litterarum singularium de Conventu Friburgensi Franciscanorum*. typis non vulgatum in Archivo Provinciae exstans, an. 1616. 2. *Libellum Confraternitatis septem dolorum B. V. M. Suazii vigentis*, impr. Oeniponti 1624, in lingua germanica. In Libello hoc in pagina tituli et fine dedicationis P. Henricus Seyfrid Minister Provincialis, non ut auctor, sed ut dedicans et promotor expressus est; unde Scriptores, libellum hunc eidem attribuentes,

[1] Staffler cit. Hueb. in Chron. col. 774 ac 784. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 374 etc. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 82 etc. Wad. in t. Scriptorum p. 167. Sanderus t. 3. in Chorographia sacra Conv. Bruxell. Kaltprun. cit. ac opera a me inspecta. Willot cit. p. 180. Cont. Waddingi an. 1620, t. 25. pag. 414; 289, 416, 446.

lapsum fecerunt. *P. Theobaldus Schwab*, an. 1635 vivere desinens, in lingua teutonica ad typum promovit: *Memoriale divini amoris, in SS. Missae Sacrificio relucens*, Oeniponti 1631, in 4. *P. Henricus Seyfrid*, an. 1636 obiens, publici iuris fecit: 1. *Vitam et Regulam Fratrum et Sororum tertii Ordinis S. Francisci*, seu *Statuta pro Coenobiis dicti Ordinis Prov. Tyrol. subiectis*, Oenip. in 4. 1621. 2. *Cor sanctum flagrans amore Seraphico*, de Confraternitate S. P. Francisci, tractans, Oenipont. in 12, 1631 et 1668. 3. *Tractatum de sanctissimis Christi Vulneribus, quiete secura animae*, 1616, in 12 Oenipont. *P. Ioannes Wolf*, in lingua germanica: *Scholam orationis*, an. 1632 ac 1648, in 8. Oenip. impressam elaboravit. *P. Ferdinandus de Troyer*, Giesbacensis, nec non *a S. Georgio* dictus, Tyrolensis, publici iuris fecit: *Exercitia spiritualia per Quadragesimam*, Oenipont. an. 1615. Conscripsit quoque *Chronica* seu *Collectanea Bulsanensia*, typis quidem non commissa, attamen a Brandisio et aliis saepius citata et ingenti industria congesta. Accedit liber M. S. de *Stemmate Troyeriano* in folio. Obiit Füessae die 17, Mart. an. 1652. De quatuor prioribus Scriptoribus pluribus n. 297, 299, 300 et 389 egi [1].

392. *P. Felix Reinecius*, fusiori stylo n. 303 delineatus, an. 1660 Oenip. defunctus, variis opusculis mundum illustravit. Ex his veniunt: 1. *Archiconfraternitas chordae S. Francisci*. 2. *Patrocinium S. Antonii de Padua pro morientibus*, Oenip. 1644 et 1652. 3. *Descriptio Prov. Tyrol. cum supplemento*, 1647. 4. *Septem Sapientes in tot partes distributi*, Oeniponti *in lingua latina* et *germanica* editi. Inter eos occurrit: a. *Solon Franciscanus* in duos libellos subsecatus, quorum prior an. 1649 germanice impressus ostendit: *in Religione S. Francisci non esse diffidentiae locum*: posterior an. seq. vulgatus: *Acta Ordinis in Indiis sistit*. b. *Bias Franciscanus*: de *Summis Pontificibus Ord.* agens, 1650 germanice. c. *Thales Franciscanus*, germ. an. 1650 latine 1654 impressus: de *Imperatorum Actis ad Franciscanam Religionem reflexis* tractans. d. *Cleobolus Franciscanus* an. 1651 germanice editus: de *Actis Regis Hispaniae* ac *Galliae in Religione Seraphica* discurrens. e. *Pittacus Franciscanus*: de *Actibus quorumcunque in Religione Seraphica sapienter editis mentionem* faciens, an. 1652 germanice editus. f. *Chilo Franciscanus*, de *Conformitate Religionis S. Francisci* cum *Ecclesia* disserens, an. 1653 latine impressus. *Libellus* hic etiam in lingua germanica editus alicubi *Censura* ob aut subreptitie obtenta notatus fuit. Aegre hoc tulit Archidux *Carolus Ferdinandus*, cuius Concionator Aulicus Vir hic exstitit, et pro honore Auctoris litteras exaravit, et Auctor ipsemet Apologiam pro *Chilone* confecit, quae

---

[1] Hueb. in Chron. col. 764, 772, 774, 777, 778, 783. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 375 et seq. Chron. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 83 etc. 86 etc. Monum. eiusdem ac libri a me visi. Kaltprun. cit. Staffler cit.

tamen caritatis causa lucem publicam non adiit. Roma *Censuram* hanc non attendit utpote librum *Catalogo librorum prohibitorum* non inserens. g. *Periander Franciscanus:* de *Cardinalibus Ord. S. Franc.* tractans, an. 1656 germanice, 1659 latine editus. Succedunt libris istis: 5. *Biblia pauperum*, ex S. Bonaventura in *tres partes* divisa, quarum *prima* an. 1658, *secunda* 1659, *tertia* 1659 Oenip. impressa fuit. 6. *Pars IV. Chronic. Ord.*, germ. Oenip. in 4. an. 1658; *Partem quintam* intercepit mors. 7. *Centuria Personarum Sanguine clararum Ordini Seraph. insertarum*, Oenipont in 8. et lingua germ. an. 1660. 8. *Novenna devotissima S. Ant. de Padua*, Oenip. an. 1660 [1].

393. *P. Ioannes de Curte nova*, Bergomensis, ad tempus huius Provinciae Alumnus, Lector Generalis, subin Minister Prov. Brixiensis Reform. variis officiis functus: *Methodum Theoro-practicam mentaliter orandi* latine conscripsit, Oenip. 1629 in 16. impressam, a *quodam extero ad linguam german.* traductam, Monachii 1632 in 12. vulgatam. *P. Ingenuinus Molitor*, germanismo attento *Müller*, Habbacensis, Bavarus, eximius Musicus, Bulsani 1669 defunctus: *Fasciculum musicalem*, Oeniponti 1668 impressum, composuit. *P. Michael Graber*, pluribus n. 307 expressus, Halae an. 1679 exstinctus, edidit: 1. *Enchiridion chorale* seu *processionale*, 1660. Conscripsit insuper 2. *Elenchum Sanctorum ac Beatorum Tyrolensium*. 3. *Elenchum nobilium Tyrolensium. Elenchi isti* credibilius *unico calamo* exarati fuere cum *nullum* hucusque *exemplar* typis mandatum in nostra Provincia *invenerim*. *P. Iustinus Kaltprunner*, varia docte congessit in Archivo Prov. reposita, videlicet: *Chronicon Prov. Tyrol.*, *Itinerarium Reverendiss. P. Marini Sormanni Ministri Generalis in Germaniam Superiorem et Hungariam*, nec non *quaedam alia*, † uti n. 311 dictum an. 1691. *P. Herculanus Stocker*, Nauderensis, Tyrolensis: 1. *Isagogem Petri Pennequin S. I. ad linguam german.* transtulit, typis non *mandatam*. 2. *Gemitus compeditorum theoro-practice* concinnavit, et 3. *quaedam carmina non vulgata* efformavit, † 1652 die 29. Sept. Caldarii. *P. Romedius Nicoletti*, ob patriam *de Venodo* dictus, ex lingua italica ad german. traduxit: *Vitam V. Ioannae Mariae Bonomi, Benedictinae*, impr. Salisburgi 1679 in 8., † Füessae 1687 die 6. Iunii [2].

394. *P. Ferdinandus a Kolz*, Brixinensis, Concionator Aulicus Defin. ac Custos dignissimus, an. 1701 Oeniponti defunctus: *Librum Vitae Christianae* in lingua germ. composuit, impr. Herbipoli in 4. 1701. *P. Dismas Mayrl*, Bulsanensis, pluribus n. 351 expressus, congessit: 1. *Exhortationem spiri-*

---

[1] Hueb. in Chron. col. 771. etc. 858. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 375. etc. Kaltprun. cit. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 84. etc. Staffler cit. Monum. Prov. Tyrol. uti et libri a me inspecti.

[2] Hueb. in Chron. col. 776. 778. ac 781. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 376. Monum. Prov. Tyrol. Francisc. Kaltprun. cit. Staffler cit. et opuscula a me inspecta.

tualem ad Fossores Suazenses in Hungariam pergentes, an. 1701 in 12. Oeniponti, germanice. 2. *Exercitia spiritualia pro Monialibus Suazens. Ord. S. Augustini*, ed. Bulsani 1733 in 8. germanice, † Suazii 1768. *P. Benvenutus Cattrin*, n. 340 pluribus tactus, an. 1713 exstinctus: *Quaestiones Philosophicas selectiores ad mentem Doctoris subtilis*, an. 1695 Oeniponti; nec non opusculum theologicum edidit, de *Distinctione in divinis ac scientia Dei*, an. 1698 Oeniponti in 4. impressum. Congessit *P. Ludovicus a Bemblberg*, Erolzheimensis, Suevus: *Libellum de Confraternitate S. Sebastiani*, Friburgi edens, † 1721 Füessae. *P. Bernardinus Bienner*: *Salutationem Angelicam exposuit*, de *Dignitate Sacerdotum libellum* congessit, ac an. 1721 decessit; revid. n. 343. *P. Anselmus de Trueffer*, insignis Lector, an. 1721 Oeniponti mortuus, opusculum parvum: *De simplici Dei multiplicitate* composuit, Oeniponti 1692 in 12. impressum, et *Theologiam mysticam Bonifacii May (Maess) ad linguam germanicam* transtulit, Oenip. 1701 in 12. *P. Augustinus Drassl*, Bulsanensis, vir perdoctus, Bulsani an. 1724 obiens: *Ineffabilem Genesin Filii Divini a Patre a l mentem Doct. Subt.*, Oeniponti an. 1713 exposuit. *P. Iustus Redn*, Brixinensis, vir maximae scientiae: *Discursus panegyricos pro Investitionibus ac Professionibus religiosarum personarum*, annexis *quibusdam Concionibus*, Coloniae an. 1700 impressos in 4., nec non opus: *Canonico-polemicum de electione et electionis Praeside in tres tomos* distinctum, in fol. an. 1720 Augustae Vindel. impressum, ad lucem publicam promovit, † Bulsani 1728 die 5. Augusti. *P. Ioannes Casparus Romen*, Caldariensis, SS. Theologiae Lector, Friburg. an. 1717 libellum Thesium: *de Ecclesia Romana fundata supra firmam petram*, in 12. publici iuris fecit, † Inticae 1731. *P. Ernestus Tanner*, Kirchbergensis, Suevus, insignis Theologiae Lector libellum Thesium sub titulo: *Rosetum Pontificiis gratiis consitum*, Friburgi an. 1722 prelo commissum conscripsit, † Reuttae an. 1747. *P. Hippolytus Ippoliti* in Prov. Tridentina qua Scriptor exhibendus. *P. Ladislaus Prugger*, Oenipontanus, Tyrolensis, Concionator Aulicus celebris et SS. Thelogiae Lector edidit: 1. *Ruth spicilegiantem dominicalem*, in tres partes sectam seu *Conciones pro unaquavis Dominica*, Aug. Vindel. in fol. 1726. 2. *Ruth spicilegiantem festivalem* seu *Conciones de Sanctis*, ibi in fol. 1728. 3. *Additamentum panegyricum Ruth spicilegiantis*, ibi in fol. an. cit. 4. *Vitam S. Margarithae de Cortona*, Oenip. 1728 in 8. impressam. 5. *Passionale* in fol. an. 1735 Augustae Vindelicorum, † 1732 Caldarii [1].

395. *P. Iuniperus Wopfner*, Halensis, Tyrolensis, Concionator Aulae aestimatissimus hymnum devotissimum Marianum: *Omni die dic Mariae*, versibus *germanicis et latinis*, Oenip. 1748 impressis illustrans, † 1746

---

[1] Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 375. etc. Chron. Prov. Tyrol. pag. 85. et 86. Monum. Prov. Tyrol. Franc. et opuscula hic allegata. Staffler cit.

Oeniponti. *P. Alphonsus Pappus*: *Libellum* in 8. *pro cultu S. Iosephi*, an. 1732 Augustae impressum, vulgans, † 1745 Caldarii. *P. Ioannes Chrysost. Fritz*, pluribus n. 348 tactus: *Tubam sonoram* P. Vincentii Negri ex *lingua italica* ad *latin.* traduxit; Friburg. an. 1699 in 16. et ad *linguam germ.* ibidem 1708 in 12. impressam. Marte proprio elaboravit: 1. *Scholam Seraph.*, germ. Campidonae 1710. 2. *Sanctam creaturarum desertionem ad Deum inveniendum*. Coloniae 1722 germ. 3. *Benedictionale novissimum lat.*, an. 1737 in 8. Campidonae prima vice impr. *P. Christophorus Antonius Frölich*, Oenipontanus, SS. Theologiae Lector: *Scotum systemizatum* seu *Compendium Theologiae Scotisticae*, Friburgi an. 1745 in 4, † Halae an. 1760. *P. Petrus Felix Eberschlager*, Bulsanensis, Concionator, Vicarius et Guardianus, Confessarius germanicus in Ducatu Mediolanensi, ibi elaboravit libellum cum titulo: *Mundus cum vitiis*, impr. Mediolani an. 1743 in 8. *P. Franciscus Isaac de Ienner*, Brixinensis, Tyrolensis, Concionator Aulicus, Confessarius Monialium, Guardianus et Definitor Provinciae, vir religiosissimus, nomine suo non addito, ad lucem publicam promovit: 1. *Vitam B. Benedicti a Philadelpho*, Oeniponti 1744, germanice. 2. *Vitam S. Petri Regalati*, Oeniponti ac Campidonae 1747, conscripsit etiam quaedam typis non vulgata, nempe: *Vitam B. Hyacinthae de Mariscotis* et *S. Leonardi a Portu Mauritio*, † Oeniponti 1772. *P. Protasius Fischer*, Silzensis, Tyrolensis, Lector, Vicarius Guardianus et Visitator Commissarius Provinciae Bohemiae concinnavit: *Libellum Thesium de modo causandi gratiae sanctificantis*, et in eo textibus S. Augustini *Gratiam* illustravit, Oeniponti 1748, † Halae an. 1765. *P. Vigilius Greiderer*, Kufsteinensis, Tyrolensis, SS. Theolog. Lector, Guardianus, Def. et Custos: *Tres Chartas geographicas*, Provincias quasdam Ord. S. Francis. *exhibentes*, delineavit et Augustae Vindel. aeri incidi fecit. Inter eas venit: 1. *Germania Seraphico-Observans* 1751. 2. *Hungaria Seraphico-Observans* 1752. 3. *Polonia Seraphico-Observans* 1754. Istis accessit *Opus Historicum* sub titulo: *Germania Franciscana*, novis Chartis geographicis instructum et in plures tomos in folio distributum: de quo exiit *tomus primus* Oeniponti an. 1777, *secundus* Augustae Vindel. an. 1781. *P. Uriel Hauser*, Waldseensis, Suevus: *Instructionem fundamentalem Cantus Choralis* cum *Cantore Seraphico* elaboravit, Augustae Vindel. 1775. in 8. *P. Iacobus de Marchia Praun*, Friburgensis, Brisgoius, Lector, Concionator Aulicus, Guardianus, Definitor, Custos et Minister Provinciae bis emeritus, iuris publici in lingua germ. fecit quosdam libellos, videlicet: 1. *De Confraternitate Antoniana*, an. 1752 Oeniponti. 2. *De Archiconfraternitate S. P. Francisci*, ibid. 1759. 3. *Via Crucis pro via purgativa, illuminativa et unitiva*, ibid. an. 1763. Praeterea *Conciones particulares* prelo *commissas*, † Halae an. 1779 die 26. Martii [1].

[1] Monum. cit. Staffler cit. et varia opera a me visa.

396. *P. Primus Enslin*, Sigmaringanus, Suevus, Lector, Concionator, Vicarius et Guardianus, vulgavit: 1. *Chronicon parvum Prov. Tyrol. Francisc.*, Campidonae an. 1753 in 12., latine. 2. *Modum SS. Missae Sacrificium devote audiendi*, 1769 germ. 3. *Instructionem pro singulis horis diei virtuose transigendis*. Augustae Vind. 1779. *P. Anacletus Weiller*, Inticensis, Tyrolensis, Lector, Guardianus, Definitor, Custos et bis Minister Provincialis, publico communicavit: 1. *Instructionem sese in virtutibus theologicis exercendi*, Brixinae an. 1751, germanice. 2. *Libellum de SS. Missae Sacrificio* a S. Leonardo a Portu Mauritio *confectum*, ex *lingua italica ad germ.* traductum, Bulsani 1751 et 1756 in 12. 3. *Instructionem practicam moralem pro Confessariis*, Brixinae in 4. an. 1755. Vir hic † Bulsani 1767. *P. Bonaventura de Leyss*, Matraiensis, Tyrolensis, Concionator, Guardianus ac ultimato Chronologus quaedam in lingua germ. vulgavit: 1. *Vitam S. P. Franc.*, Tegernseae 1761; Oeniponti 1774, in 8. 2. *Vitam S. Ant. Patavini*. an. 1763; Tegernseae, in 8. 3. *Compendium operum eximiorum*, seu *Exercitiorum piorum*, in 8., 1766 Augustae Vind. 4. *Vitam S. Clarae Assis.*, in 8., Oeniponti an. 1777. Conscripsit etiam *Vitam S. Elisabethae Thuringianae* non editam, † Suazii an. 1779. *P. Chrysanthus Plattner*, Trensensis, Tyrolensis, eximio ingenio praeditus Philosophiae, exin Theologiae, S. Scripturae ac Linguarum Orientalium Lector, in Lingua Hebraica et Graeca versatus, imprimi curavit: 1. *Tractatum de linguae hebraicae utilitate*, Augustae an. 1763. 2. *Corollam Marianam B. V. M. Ehinganae*, Constantiae 1762. 3. *Introductionem in S. Scripturam*, Oenip. 1761. 4. *Polyomymiam divinam* seu *Dissertationem de nominibus Dei hebraicis*, Augustae 1764. 5. *Clavem verborum Domini, S. illius Scripturam quadrupliciter aperientem*, hoc est, *Grammaticam S., Rhetoricam S., Logicam S.* ac *Arithmeticam S.*, Viennae 1766. Vir hic, Socius Academiae Roboretanae, Professor SS. Theologiae Moralis pro Universitate Oenipontana an. 1763 definitus, Viennae anno isto vitae periodum confecit. *P. Rudolphus Schranzhofer*, Sextensis, Tyrol., SS. Theol. Lector, Definitor etc.: *Verbum theologicum abbreviatum*, seu *Theoremata ex universa Theologia* composuit, Bulsani impr. 1769 in 4. *P. Simon Widmann*, Brixinensis, Tyrol., Def. et Minister Provincialis, qua SS. Theol. Lector: *Dissertationem de Genealogia Christi* perfecit, Oeniponti in 4. an. 1769. *P. Iacobonus Rueff*, Oberhofensis, Tyrolensis, pluribus in Cathedris Parochialibus Ecclesiastes, *Conciones suas* Augustae Vindel. in lingua germ. et 4. publico transcripsit. *Dominicale primum* prodiit 1771, *secundum* 1772, *tertium* 1773. Accesserunt: 1. *Conciones honorificae, Quadragesimales, pro Defunctis* ac *diebus Rogationum*, seu *Precum*, 1774. 2. *Mariale* 1776. 3. *Conciones de diversis Sanctis* 1778. *P. Herculanus Oberrauch*, Sarenthinus, Tyrolensis, in Universitate Oenipontana Professor SS. Theolog. Moralis aestimatissimus; Prov. aliquando

Definitor, Lector S. Canonum: *Institutiones iustitiae Christianae* seu *Theologiae Moralis* in 4 partes divisas elaboravit, Oeniponti in 8. impressas. Pars *prima* lucem hanc vidit 1774, *secunda* cum Apologia contra Recensentem Friburgensem 1775, *tertia* et *quarta* an. eodem. Accessit *Tractatus de Lege Dei aeterna ad mentem S. Augustini,* 1776 in 8. Oeniponti. Taceo eius MS., alia ad prelum parata, quae in continuatione sistentur. *P. Aemilianus Binder,* Horbensis, Suevus, SS. Theol. Lector, Guardianus et Definitor: *Dissertationem de vera Religione revelata* combinavit, Oeniponti in 4. an. 1772, et *aliam contra Christianos, sectis novis addictos,* Friburgi 1773, in 4., † Ehingae 1777. *P. Lucas Specker,* Suazensis, Tyrolensis in variis Provinciae Cathedris Concionator: *Viam Crucis duplici methodo versibus german.* aperuit, Bulsani, in 8. 1775. *P. Mauritius Schmid,* Riedensis, Tyrolensis, Lector, Guardianus et Definitor, qua Lector prelo subiecit: *Dissertationem de divina traditione,* per *arcanam primorum saeculorum disciplinam firmata,* 1775 in 4. Oeniponti. *P. Carolus Larcher,* Navissensis, Tyrolensis, SS. Theologiae Lector, conscripsit: *Analysin Theologicam ad mentem divinam ex Creationis, Conservationis et Preparationis ordine manifestatam,* Oeniponti in 4. an. 1778 vulgatam. Praetereo quosdam alios, a *P. Hilarione Staffler* tactos et praenobili D. de Luca insinuatos, fors in istius opere *De Austria docta* afferendos.[1].

397. Succedunt Scriptores non quidem Provinciae nostrae inserti, attamen in ea ad tempus morati: *P. Didacus Tafuri, de Lequile,* n. 386 tactus, plura ad lucem publicam promovit. Inter ea recensentur: 1. *Vita S. Ant. Patav.,* an. 1648 in 4. Lycii vulgo Lecce, in lingua italica. 2. *Ferdinandus Carolus* seu *panegyrici poetici italici,* in honorem Ferdinandi Caroli Tyroleos Principis, in fol., Antverp. an. 1653, iuxta Staffler Oeniponti intra an. 1651-1656. 3. *Gentilitium primum Pietatis Austriacae,* agens: *De Origine Domus Austriacae,* Oenip. 1654 et 1655. 4. *Gentilitium secundum eiusdem,* tractans: *De Matrimoniis Austriacis* 1656. 5. Pars *tertia: De Felicitate Matrimoniorum Habsburg.* 6. Pars *IV.* et 7. Pars *V.: De Matrimoniis Austriacarum Mulierum.* 8. *Festivus Adventus ac Professio Fidei a Christina Regina Sueciae in Ecclesia Oenipont. Franciscanorum deposita,* Oenip. an. 1655. 9. *Relatio Comitatus Tyrolis,* in 8. ital. Oenip. 1655. 10. *Tractatus de Manna S. Nicolai Epis.,* Oenip. 1654 in 8. 11. *S. Franciscus Legislator Evangelicus,* in duos tomos *secatus,* an. 1667 Romae in fol. *P. Bonaventura Baro,* Clomoliensis, Hibernus, Prov. Hiberniae Filius, Romae ad S. Isidorum et Lugduni ad S. Bonaventuram Professor emeritus, Conventus Suazensis ad tempus Incola, publici iuris fecit: 1. *Orationes panegyricas sacro-profanas,* 2. *Centuriam epistolarum selectarum,* 3. *Expugnationem arcis Duncanon in Hibernia,* opus grave

[1] Monum. cit. Staffler cit. et opera a me inspecta.

Philosophicum ac Theologicum. Inter opera eius oculis meis obiecta veniunt: 4. *Scoti Philosophia defensa*, per tres tomos, in folio Coloniae 1664. 5. *Scoti Theologia circa Deum trinum propugnata, et Monumentis posthumis. Ioan. Duns Scoti illustrata,* Lugduni 1668 in folio. Opuscula varia in tomo tertio, Lugduni an. 1672 impresso, contenta, videlicet: 6. *Gratiae miracula.* 7. *Boethius absolutus.* 8. *Prolusiones Academicae.* 9. *Libri IV Carminum.* 10. *Vitae aliquarum personarum veneratione dignarum.* 11. *Eulogia illustrium Heroum.* 12. *Epistolae quaedam.* 13. *Notae in Breviarium ac Missale Romanum, ac Hymnodia Seraphica. P. Bonaventura de Conoro* al. a *S. Patritio*, Hibernus, Prov. Hiberniae Alumnus, Lector Generalis, in Conv. Bulsanensi ad tempus disciplinas Theologicas tradidit. Inter opera eius recensentur: 1. *Pentekadekasis Mariana de Immaculata Conceptione*, Tridenti in 8. an. 1658. 2. *Elenchus Encomiorum Ioannis Duns Scoti*, Bulsani in 8. an. 1660. 3. *Lumen orthodoxum duodecim radios S. Fidei spargens*, ex *quaestione secunda prologi Sentent. Ioannis Duns Scoti*, Bulsani in 8. an. 1661. 4. *Theses Theologicae de Deo* etc. Carmine Heroico, titulo *Helicon Thelogicus*. in 8. Bulsani 1658. 5. *Pentateuchus Sacramentorum*, in 4. Passavii 1667. — Ex Bibliotheca Conv. Suazensis traho, quod *Morisonus*, qua Lector Theologiae Bulsani libellum in lingua latina elaboraverit sub titulo: *Threnodia Hiberno-Catholico, sive Planctus universalis totius Cleri et populi Regni Hiberniae*, Oeniponti in 8., an. 1659 impressum. In Monum. nostrae Prov. mihi pro hoc tempore non occurrit alius Lector extraneus, ac *P. Bonaventura Conorus*; unde hic erit Auctor istius opusculi, sub hac nomine vulgati. *P. Flavianus Ricci*, Prov. Tridentinae Filius, in ea exprimendus[1].

§ 3.

Personae Sanguine, aut Officio clarae Ordinem Seraphicum in Provincia Tyrolensi aut eius Monasteriis amplexae.

398. *P. Bernardinus Lackner*, Consiliarius et Arcanus Secretarius in Aula Bavarica; pluribus n. 297 expressus, † Suazii 1627. *P. Elzearius Wolkenstein a Trostburg*, Comes, † Bulsani 1658; plura de eo n. 303 habentur *P. Alphonsus ab Arsio*[2], Comes Ananiensis, Suazii 1672 professus, vir humilitate clarus, † Oeniponti 1698, quiescit in peristylio his lapidi incisis verbis: *V. P. Alphonsus ab Arsio, pie obiit die 6. Septembris anno 1698.*

---

[1] Wad. in t. Script. p. 81. Hueb. in Chron. col. 768. ac 770. Chron. Prov. Tyrol. Francisc. p. 82. etc. Monum eiusdem ac libri allegati, a me inspecti. Staffler cit. Monum. Conv. Suaz. Francis.

[2] Vulgo Arz, seu Arsio; Comites hi non sunt confundendi cum Comitibus de Arch seu ab Arco.

P. Ludovicus a Bemblberg, Baro, Erolzheimensis, olim Iesuita, Cisterciensis, Canonicus et tandem Franciscanus, an. 1675 Suazii professus, vir in Cathedra et S. Tribunali morali maxime zelosus, † Füessae an. 1721; revide n. 394. *P. Iosephus Maria Voglmair,* Baro, Suazii 1724 professus, † Oeniponti 1736; de eo amplius n. 346 actum. *P. Franciscus Thaddaeus a Wolkenstein,* Baro, Bulsanensis, Suazii 1691 vinculis Seraphicis constrictus, vir humilis, simplex et in Confessionali zelosus, † Bulsani 1738. *P. Constantinus a Zinnenberg,* Baro, Eppanensis, Suazii 1754 iusiurandum in regulam Seraphicam dicens, † Ierosolymis an. 1765. Praetero Praenobiles ex familiis: *de Vintler, Troyer, Mohrenberg, Bienner, Preiss, Winkelhofen, Wenzl, Kolz, Ingram, Frölich, Altstetter, Praun,* et aliis oriundos, eidem Provinciae adscriptos [1].

399. In Monasterio *Brixinensi* Clarissarum sequentes Personae ex insigniori Nobilitatis gradu Sponso coelesti suam fidem dicarunt: *M. Catharina de Wolkenstein, Comitissa,* Abbatissa Parthenii, † an. 1643. *M. Eleonora Ursula de Wolkenstein, Comitissa,* † 1657. *M. Maria Elisabetha de Spaur, Comitissa,* ad tempus Priorissa Parthenii *Roboretani.* † 1660. *M. Maria Dorothea de Trapp, Comitissa,* an. 1637 professa, † 1661. *M. Regina Blanca Coloña de Völs,* Abbatissa Coenobii, † 1672. *M. Maria Elisbaetha de Enzenberg,* 1663 professa, † 1675. *M. Veronica de Khuen, Comitissa,* Abbatissa Claustri, 1632 professa, † 1688. *M. Claudia Victoria de Wolkenstein, Comitissa,* † 1694; plura de his Cap. VII. § 8. disserui. *M. Isabella Eugenia de Fugger, Comitissa,* 1643 professa, ad tempus Priorissa *Friburgi,* Brixinae Abbatissa Coenobii, † 1702. *S. Anna Pelagia de Kolz,* qua Vidua *de Kalzan,* Friburgi professa, Brixinae † 1703. *M. Francisca de Sarnthein, Comitissa,* an. 1686 professa. Plura de his ultimis Cap. VII. § 11. invenire licet. *M. Maria Ursula de Intermaur, Baronessa,* Brixinensis, 1732 professa, † 1757 die 15. Octobris. *M. Maria Agnes de Palaus,* Brix., 1739 professa. *M. Maria Elisabetha de Hildeprand,* Brix., an. 1748 professa. *M. Anna Seraphina de Wicka, Comitissa,* Oenipontana, an. 1749 professa. Praetereo alias ex Stirpe inferiori praenobili tamen prodeuntes, de quibus quaedam ex Cap. VII. § 8. et 11. erui possunt [2].

400. In Monasterio *Friburgensi* Clarissarum Personae, Sanguine praestantes, Vota solemnia emiserunt: *M. Anna de Falckenstein,* ordine quarta inter Clarissas in Necrologio Parthenonis Friburgensis allegatas. *M. Clara de Friburgo, Comitissa,* Filia Egonis III., Comitis Friburgensis in instrumento an. 1316 expedito tacta, † die 11. Novemb. an. non expresso. *M. Catharina de Gersberg,* † 14. Oct. *M. Anna de Tubinga, Comitissa. M. Adel-*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Conv. Suaz. Oenipont. Fuess. ac Bulsan. Franciscan.

[2] Monum. Parthen. Brixin. Clariss. ac Scriptores Cap. VII. § 8. et 11. citati.

heidis de Schwarzenberg[1], *Baronessa.* Annus mortis de his omnibus in Necrologio citato non allegatur. *M. Sophia de Blumegg*, † 1440 die 5. Nov. *M. Elisabetha de Finstingen*, *Comitissa*, † 1468 die 8. Iunii. *M. Barbara de Schwarzenberg*, *Baronessa*, † 1489 in Nov. *M. Anna de Blumegg*, † 1490, V. Calend. Iunii. *M. Susanna de Falckenstein*, Abbatissa huius Coenobii, † 1503, XIII. Kalend. Ianuarii. *M. Benedicta de Liechtenfels*, † 1519 die 3. Oct. *M. Elisabetha de Andlau*, † 1519. *M. Ursula de Tusslingen*, soror *M. Agnetis de Tusslingen*, Abbatissae *Vallis Güntheri*, an. 1525 obeuntis, et *Elisabethae*, Parthenii *Adelhusani* Vestalis a Crusio adducta, die 6. Oct. *M. Barbara de Blumegg*, per 12 an. Abbatissa, † 1546, II. Maii. *M. Barbara de Schellenberg*, 14 annis Abbatissa, † 1562, VIII. Kalend. Decemb. *M. Margaretha de Habsburg*, ab initio Parthenii *Mühlhusani* in Alsatia dein Friburg. Incola, † 1573, VI. Nonas Octobr. *M. Cleva* (credib. *Cleopha*) *de Habsburg*, primitus Parthenii *Mühlhusani* dein Friburg. Vestalis, † 1586 die 31. Maii. Duae hac credibilius non descenderunt ex linea *Austriaco-Habsburgica*: sed alia minoris ordinis. *M. Maria Anna Rink, de Reichenstein*, Abbatissa, † 1707. *M. Anna Catharina Rinck*, *Baronessa de Baldenstein*, Abbatissa, † 1708. Continuator « Orbis Seraphici[2] » Bucelino innixus, istis adiungit: *M. Annam Ducissam Zaringiae, M. Catharinam Morserin,* Abbatissam et *M. Annam Habsburgicam,* Rudolphi I. Caesaris, Filiam, an. 1290 florentem. Assertum circa *duas primas*, Necrologio Parthenii Friburg. alte silente, in sui medio relinquo. Circa *tertiam* hoc reprobo, eo quod Genealogistae Austriaci de hac *Anna* nihil sciant[3].

401. In Monasterio Clarissarum *Halensi*[4] sequentes sublimioris status Personae Deo servitia sua detulerunt: *M. Rosa de Enzenberg,* Brixinensis, ab initio Monasterii *Brixinensis* dein *Halensis* Incola, istius Abbatissa, † 1728; vid. n. 358. *M. Clara Sebastiana Francini,* Eppanensis, † 1749; vid. n. 363. *M. Michelina Iosepha Francisca Wenser,* ex thoro Coniugali *Francini,* † 1757; vid. n. 364. *M. Francisca de Enzenberg,* an. 1726 professa, Abbatissa. *M. Ottilia de Wenzl,* an. 1737 professa, Abbatissa emerita. In Partheniis Monialium Tertiariarum[5] adsunt Vestales praestantioris Sanguinis: *S. Ursula Schoch,* nata *Kostritz,* Patritia Biberacensis, † *Warthusii* 1520. *S. Walburgis de Stein,* Patritia, in Parthenio *Oglspirensi* an. 1570 induta. *S. Francisca Schad,* filia unica D. Georgii Christophori

---

[1] Vero similius ortum habuit a Baronibus Brisgoio Schwarzenbergicis, quorum Dominium circa Waldkirchium viguit.

[2] T. 5. p. 364. citans Bucelinum part. 4. fol. 88. et 99.

[3] Cont. Orb. Seraph. citatus. Monum. Monast. Friburg. Clariss. Schoepflin in Hist. Zaringo-Badensi. p. 244. Crus. in Annal. Suev. part. 3. L. 1. p. 13.

[4] Monum. Monast. Halens. Clariss.

[5] Monum. Partheniorum tertii Ord. Warthus. Oglspirensis., Ehingani. ac Horbensis.

Schad, Patritii de medio Biberaco et Annae Mariae, natae Freyberg de Eisenberg, *Warthusii* an. 1641 S. habitu cincta, † 1647. *S. Adriana Brandenburg,* Patritia Biberacensis, *Warthusii* an. 1678 investita, † 1704. *M. Maria Victorina de Muggenthal, Comitissa, Ehingae* 1652 professa, † 1706. *M. Maria Francisca, Baronessa de Eib, ibidem* an. 1724 professa, † 1769. *S. Ludovica de Elrichshausen, Baronessa, Horbae,* an. 1757 induta.

402. Ex Augustiss. Domo Habsburgo-Austriaca in Provincia Tyrolensi tertio Ordini S. Francisci sese adiunxit: Sereniss. *Eleonora,* Ferdinandi III. Caesaris Filia, Michaeli Koributo al. Coributho, Duci Wiesnie-Wiecio vulgo Wisnie-Wiczki, Regi Poloniae, an. 1669 electo, an. 1670 nupta, et eo, an. 1670 mortuo; an. 1678 Carolo Victori, Lotharingiae Duci, Coniux data. Ista habitum istius Ordinis a *P. Marino Sormano,* Ministro Generali totius Ordinis Seraphici an. 1685 die 16. Oct. suscipiens et an. seq. die 21. Novemb. professionem emittens, piissimam agebat vitam. Breviarium Ordinis quotidie magna cum devotione recitavit saepius, praesertim in Festis solemnibus Ordinis, cum Aula esset in accubitu suo hora 12. nocturna Ecclesiam accedens, in ea pensum Canonicum et alia pia exercitia produxit, Habitum et Cingulum Ordinis sedulo portavit, et Viennae an. 1697 die 17. (neutiquam 18.) Decembris pie in Domino obdormivit. Ad cineres eius haec prostat inscriptio, symbolis quae omittuntur, decorata: *Hic quiescit Serenissima Maria Eleonora, nata 1653 die 21. Maii, primum Michaelis Coribut Poloniae Regis, deinde Caroli V. Lotharingiae Ducis, Christianorum fortissimi Coniux dulcissima, tanta virtute, quantam femina capere potest, Elisabetham aut Brigittam sui saeculi sancta mors abstulit anno 1697 die 17. Decembr*[1].

403. Scriptores varii[2] ad Vexillum tertium S. P. Francisci revocant *Ferdinandum Magnanimum* seu Tyrolensem, ac *Leopoldum* ex linea Austriaco-Styrensi oriundum, Tyroleos Principes, nec non *Annam* dicti Ferdinandi Filiam ac Coniugem Mathiae Imperatoris. Constat quidem mihi, quod *primus* fundaverit Provinciam, et in Conv. Oenipont. Sacello Argenteo quietem suam nactus sit, *secundus* habitu Franciscano indutus, in Hebdomada S. Sepulchra Christi Redemptoris inviserit, *tertia* Chordigera confraternitatis S. Francisci exstiterit. Ast, quod tertiae Regulae S. Patris nomen dederint, nihil solidi detegere potui, sicque iis positivum suffragium dare nolo. Duae tamen adhuc restant Personae, patria Tyrolenses ex Austriaca Stirpe oriundae, Ordin. Seraphico extra Provinciam Tyrolensem sese dicantes, videlicet: *Rudolphus,* Archiducis Sigismundi Filius Provinciae

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Oenipont. Franc. Bullar. Capuc. t. 4. p. 264. Liber de Epitaph. Cryptae Austriacae. Theatr. Europae. part. 10. an. 1669 ac 1670, part. XI. an. 1668, part. 15. an. 1697 ac alii.

[2] Reinecius, Hueber in Menolog. et alii.

Austriacae Franciscanus, Graeci an. 1507 mortuus, in descriptione dictae Provinciae pluribus delineatus; nec non *Isabella Clara*[1], Filia Ferdinandi Caroli Archiducis Oeniponti nata, Coniux Caroli Mantuae Ducis, hoc mortuo in Monasterium Mantuanum S. Ursulae Clarissarum se recipiens, tertium Ordinem S. P. Francisci assumens et an. 1680 vitam finiens.

401. Adiunguntur Excell. ac Illustriss. Personae, ex stirpe Comitum aut Baronum natae, aut Officio clariores, in Conventu *Oenipontano* Franciscano tertiam Regulam S. Francisci amplexae: D. *Honorata Piccolomini:* n. 412 pluribus delineanda, † an. 1665, annus professionis de hac deest. Domina *Elisabetha de Pundbiss,* nata *Spaur,* an. 1644 professa; pluribus n. cit. tangenda. D. *Francisca Comitissa de Pohenembs,* profess. an. 1647. D. *Perpetua Fuchs,* nata *Comitissa de Spaur,* in Conv. *Caldariensi,* ubi 1670 professa est, adducetur. Plur. Rev. ac Gratiosus D. *Franciscus de Vart,* Capellanus Aulicus et Epheborum. D. *Francisca de Schallenberg, Comitissa,* D. *Gabriela Comitissa Künigle de Maulcon,* Domina *Maria Eleonora Comitissa de Rindsmaul,* nata *Comitissa de Dietrichstein,* professae an. 1687. D. *Sabina Iulia de Trapp,* nata *Piccolomini,* profess. an. 1688. D. *Anna Maria Rosa Comitissa de Trapp.* D. *Maria Theresia de Künigle,* D. *Maria Isabella Regina Comitissa de Lamberg* profess. an. 1689. D. *Anna Adelhaidis Commitissa de Sarnthein* nata *de Tättenbach,* Domicella *Anna Apolonia Comitissa de Sinzendorf,* Domicella *Maria Eleonora Comitissa de Mohr,* profess. 1690. *Ferdinandus Henricus Comes de Montrechier, Ioannes Franciscus Antonius Baro de Welsberg,* D. *Ioanna Regina Comitissa de Montrechier,* nata *de Schallenberg,* professa 1691. D. *Anna Maria Comitissa de Künigle* et D. *Maria Theresia Comitissa de Fugger,* professae 1693. D. *Christina Theresia Comitissa de Schallenberg,* D. *Maria Iosepha Baronessa de Eichelberg,* nata *de Antler.* D. *Maria Francisca de Eisenberg,* nata *Kastner de Sigismundsberg.* Domicella *Maria Francisca de Polheim* profess., 1694. Dom. *Christophorus Franciscus, Comes de Wolkenstein, Antonia Apollonia, Comitissa de Wolkenstein,* profess. 1695. D.*Maria Leopoldina Comitissa de Spaur,* nata *de Wolkenstein,* profess. 1698. D. *Franciscus Eusebius Comes de Trautson,* D. *Elisabetha Comitissa de Trautson,* nata *Spaur,* profess. 1699. D. *Andreas Comes de Wolkenstein,* profess. 1706. D. *Sidonia Elisabetha Comitissa de Wicka,* nata *Baronessa de Risenfels,* profess. 1711. D. *Maria Susanna Bembo,* nata *Pastor,* profess. 1713. D. *Ioannes Georgius Sebastianus Comes de Künigle,* indut. 1716. R. D. *Raymundus Carolus Panzoldi,* profess. 1718. D. *Antonius Michael a Thun,* indutus 1724. D. *Ioanna de Theuring,* nata *Comitissa de Stachlburg,* profess. 1729. D. *Susanna Cordula Comitissa de Arsio,* induta 1733, profess. 1744.

[1] Auctor Horti Seraph. t. I. p. 752.

D. *Maria Theresia de Rossi a S. Iuliana,* nata *Franzini,* profess. 1736. D. *Maria Barbara Rosa,* Vidua, *Comitissa de Khuen,* nata *Comitissa de Fux,* induta 1736. D. *Franciscus Comes de Wicka,* profess. 1743. Domicella *Anna de Künigle,* et D. *Anna Comitissa de Wicka,* nata *Baronessa de Payrsberg,* profess. 1744. D. *Wolfgangus Baro de Damniez,* Generalis Mareschallus militaris, et bellici Consilii Oenipontani Director, D. *Anna Sophia Baronessa de Damniez,* et D. *Maria Felicitas Baronessa de Schelmpfennig,* nata *de Schned,* indutae 1747. D. *Maria Anna Baronessa de Coreth,* nata *Comitissa de Stachlburg,* induta 1759. Brevitatis ergo personas praenobiles atque nobiles praetereo [1].

405. Subintrant Personae Illustrissimae, Perillustres, Illustres vel Praenobiles gratiosae, (aliae inferioris ordinis omittuntur) aut Officio clariores, in aliis Conventibus tertiam Regulam S. P. Francisci sectatae. In Conventu *Friburgensi* Professionem de ea emiserunt: *Maria Elisabetha Felicitas Baronessa de Rost,* 1716. D. *Anna Agnes de Gall,* nata *Baronessa de Wittenbach,* 1719. D. *Franciscus Adamus Xaverius Dominicus de Remking,* Dominus ad montem S. Ottiliae etc., 1722. Gratiosa D. *Sabina Maurer,* nata *de Rottenberg,* D. *Anna Maria Clara de Falinenberg,* Vidua, 1757. Domicella *Maria Theresia de Fahnenberg* [2] 1762. D. *Catharina de Summerau,* nata *de Lamperhofen Baronessa,* 1770. *Bulsani* tertiam Vestem S. P. Francisci assumpserunt: *Regina de Kraus,* nata *de Enzenberg,* 1700. Domicella *Maria Anna Hegele de Strausenberg* et *Mosbeurn,* 1703. D. *Anna Margarita Wolgschaff a Rendestein* et *Ried,* 1709. D. *Maria Magdalena a Gogas,* nata *de Hertenberg,* Vidua, 1712. D. *Anna Barbara Baronessa de Pairsberg,* Vidua, nata *Colonna de Vëls,* 1714. D. *Anna Maria Colonna Baronessa de Vëls,* nata *Comitissa de Hendl,* 1718. Adm. Rev. ac Excell. D. *Ioannes Tanzl.* SS. Theologiae Doctor, et Parochus in *Naturas,* 1719. Domicella *Maria Elisabetha Catharina Comitissa a Mohr,* 1721. *Anna Maximiliana de Francini,* nata *de Wenser,* 1737, exin *Clarissa Halae.* D. *Franciscus Salesius Abmayr,* Medicinae Doctor ac Physicus civitatis Bulsanensis, ac Domina *Regina* Uxor eius, 1740. D. *Iosephus Casimirus de Trapp,* Comes 1750. Domicella *Maria Anna de Avancini,* 1756. *Sigmaringae* occurrunt: Sereniss. *Maria Francisca,* nata *Comitissa de Oettingen,* Uxor *Iosephi Friderici,* Principis Sigmaringani Zollerani 1737, die 27. Maii induta et die 29. Nov. ante mortem professa. Sereniss. *Maria Theresia,* nata *Comitissa Truchsessia,* tertia Coniux eiusdem, † 1761. Dominus *Carolus Iosephus de Motz,* Cancellarius in aula Sigmaringana, profess. 1742 [3].

---

[1] Monum. Conv. Oenipont. Francisc.

[2] Familia haec, modo Tannebergica vocata, inter Comites locum habet.

[3] Monum. Conv. Friburg. Bulsan. et Sigmaringani Franciscanorum.

406. *Suazii* eundem ordinem per S. Professionem amplexae sunt: D. *Elisabetha Eiberger*, nata *de Tonauer* uxorata, 1698. Moniales quaedam Augustinianae *Parthenii Suazensis*, videlicet: *Maria Francisca Comitissa de Stachlburg*, 1735, † 1750. *M. Barbara de Stachlburg Comitissa*, 1744, † 1761. *M. Gabriela de Pfeiffersberg*, cum tempore Priorissa 1740. *M. Genorefa Ott*, Priorissa, *M. Francisca Xaveria de Walbach*, et *M. Iosepha de Summersberg* cum tempore Priorissa, 1741. *M. Ioanna de Walbach*, suo tempore Priorissa, 1741. *M. Crescentia Iaud*, subin Priorissa, 1742. *M. Margarita Eberschlager*, 1744. *M. Bernarda de Milau*, 1747. *M. Seraphina de Pfeiffersberg* et *Rosalia Vischer*, suo tempore Priorissa, 1748. *M. Leopoldina Comitissa de Phuen*, 1753. In Conventu *Reüttensi* habitum tertii Ord. S. Franc. assumpserunt: D. *Anna Iacoba de Rost, Baronessa* nata *de Ramschwag*, 1705. D. *Maria Anna Wilhelmina de Pachi* nata *de Parile*, 1740. D. *Sophia Iuliana de Rehling*, et *Bleyleben*, Vidua, 1748, cuius professio non annotatur. In Conventu *Caldariensi* vinculis tertii Ord. S. Francisci per S. Professionem ligatae fuere: D. *Perpetua de Fuchs*, nata *Comitissa de Spaur*, 1670. Domicellae *Maria Catharina Dorothea*, et *Maria Barbara de Manicor Baronessae*, 1694. D. *Maria Iacobina Magdalena Lessl, a Pergen*, nata *Baronessa a Neustein*, 1695. D. *Maria Barbara de Thavon*, D. *Maria Rosa Susanna a Manicor Baronessa*, 1717. D. *Antonius Tanrin de Maleto* et *Walchenhofen*, iuris utriusque Candidatus, 1718. D. *Elisabetha de Remich*, Vidua, nata *Fenner de Margreitt*, 1730. D. *Maria Theresia Payr de Thurn*, nata *Weinharde*, Vidua, 1746. D. *Maximiliana de Zeno*, nata *Frölich de Frölichsburg*, *Iosephus Remich*, et *Anna Catharina de Remich*, nata *Tanvin*, istius Coniux, 1754. D. *Ioannes a Pach S. R. I. Eques*, et *David de Payr*, Praefectus Loci et Conthoralis eius *Catharina*, nata *de Zeno*. D. *M. Ioanna de Reisch*, 1756. Domicella *Maria Eleonora a Pach*, 1757. D. *Magdalena Bernarda*, nata *de Reich*, Vidua, et *Maria Anna de Tanrin*, nata *Mayrl*, 1758. D. *M. Catharina a Thavon*, nata *Barth*, D. *Ioachim Ioseph de Donaglia*, et *M. Ursula* eius Uxor, nata *Ottenthaler*, 1760. D. *Anna Catharina Ursula* Wohlgemuth, nata *a Pach*, et D. *Theresia Reich*, nata *de Tanvin*, 1761 [1].

407. Personae, Sanguine insigniores, tertium Ordinem S. Francisci ante an. 1760 in Conventu *Halensi* amplexae, per flammam an. cit. Conventum et varias res eiusdem in cineres redigentem, calamo meo substractae sunt. Post hoc fatum iusiurandum in tertiam Regulam S. Francisci dixerunt: Domicella *Maria Anna Crescentia de Thonheimb*, Halensis, 1761 die 19. Iunii. Domicella *Anna Maria Elisabetha de Webern*, Branzolensis, 1763 die 25. Ianuarii. Domicella *Antonia de Enzenberg*, Mühlba-

---

[1] Monum. Conv. Suaz. Reüttens. et Caldariensis Franciscan.

censis, 1770 die 17. Sept. In Conventu *Ehingano* amictum poenitentialem tertii Ordinis assumpserunt: D. *Regina Esther, Baronessa de Welden,* Laubheimii maioris, 1797. Excell. D. *Sibylla Anna Maria Comitissa de Fugger,* nata *Baronessa in Grassl, Gaien* et *Flisstötten,* 1708. D. *Iosephus Prosper ab Umbhofen,* iuris utriusque Licentiatus, D. *Theresia ab Umhofen,* eius Uxor, nata *Baronessa de Bernhausen,* ac istius Filia Domicella *Maria Iosepha de Oreilli,* ex priori Marito, 1728. D. *Susanna Ioanna Baronessa de Freyberg* in *Oepsingen* et *Iustingen,* nata *Baronessa de Eib* 1731. Domicella *Cunegundis Emanuela de Freiberg,* Canonissa Augustae ad S. Stephanum, 1748. *Horbae* in eandem Regulam S. Professionem emiserunt: Illust. D. *Albertus Sigismundus L. Baro de Ehingen, Dominus in Perstingen, Obernau, Baldringen* et *Oberdorff,* 1697 die 23. Iunii. D. *Ludovicus L. Baro de Preile,* 1749 die 7. Septembris [1].

408. *Waldeseae* ac in vicinia eius Vestem tertiam S. P. Francisci assumpserunt: Pl. Rev. D. *Ioannes Michael Mietinger,* Camerarius in Bergat-Reutte, 1687. D. *Ioanna Iosepha, Comitissa de Wolffegg,* nata *Comitissa de Fugger,* 1691. R. D. *Ioannes Henricus Booch,* Sacellanus et Canonicus Ecclesiae Collegiatae Wolffeggensis, 1702. Domicella *Maria Walburga Fritz de Clauenstein,* D. *Maria Susanna Texterin,* nata *Fritz de Clauenstein,* et D. *Maria Anna Fritz de Clauenstein,* nata *Schmid,* 1714. D. *Ioannes de Zeil, Comes, M. Theresia Fugger de Boos,* Canonissa in Monte Romerico (Remirement), illustri Lotharingiae Parthenone. *M. Anna de Zeil, Comitissa,* Canonissa ibidem, Domicella *M. Antonia de Zeil,* Canonissa ibidem, D. *Isabella Francisca de Zeil, Comitissa,* nata *Comitissa de Montfort,* Domicella *Maria Antonia Baronessa de Cur,* et *Winckel,* D. *Maria Rosina de Zeil,* Canonissa Collegii Ducalis Buchaviensis, et D. *Ernestus de Montfort, Comes,* 1721. D. *Clara Isabella de Trapp, Comitissa,* nata *Comitissa de Wolffegg,* 1724. D. *Nicolaus de Fritz,* et *Anna Maria,* eius Uxor, 1730. D. *Ioannes Georgius de Englhart,* et *Carolina Elisabetha,* eius Conthoralis, 1732. A. R. D. *Henricus Mayr,* Imperialis Canoniae Rothensis Praemonstratensis, subin eius Prior, 1736. D. *Catharina Strasser* ex Neydegg, Praefecti militaris apud Legionem Fuggerianam Uxor, 1741. D. *Martinus Müller,* Parochus et deputatus Tetingae, 1746. D. *Maria Christina de Sethelin,* nata *de Thalbach,* supremi Consulis Biberacensis Uxor, 1750. Pl. Rev. E. *Michael Kollros,* Canonicus Ecclesiae Collegiatae Wolffeggensis, 1758. Pl. Rev. D. *Michael Ginther,* Canonic. Regul. Lateranensis S. Augustini et Decanus Waldseae. In Calculo Conventus *Penyingani* occurrit D. *Franciscus Antonius Geradi, Baro,* an. 1748 die 19. Maii indutus [2].

---

[1] Monum. Conv. Halensis, Ehingani et Horbensis Franciscan.

[2] Monum. Convent. Waldsensis et Kenzingani Francisc.

409. In vicinia *Inticensi* sub Vexillo tertio S. Franc. militare coeperunt: D. *Birgitta de Winkelhofen*, et D. *Franciscus Walther*, 1692. D. *Iosepha Walther*, 1704. D. *Ioannes Bapt. Walther*, Praefectus Inticensis, et D. *Regina de Troyer* 1705. Domicella *Ursula Söll*, 1705. A. R. D. *Michael Zacher*, Canonic. Inticensis et Curatus ad S. Martinum in *Gsies*, 1708. Domicella *Francisca de Angermillen*, 1714. Domic. *Theresia de Enzenberg*, et A. R. D. *Carolus Gall de Einsidl et Thessegg*, 1751. A. R. D. *Ioannes Philippus de Freysing*, Canonic. Inticensis ac Curatus in citeriore *Valle Grata* vulgo *Villgraten*, et A. R. D. *Iosephus Ignatius Lewenegg*, Canonicus Inticensis et Curatus in *Hartitsch*, 1756. — *Brixinae* Novitiatum eiusdem Ordinis inchoarunt: D. *Catharina ab Enzenberg*, et D. *Iudith a Deitenhofen*, nata *Grustner*, 1700. D. *Barbara Helena de Ingram*, nata *a Rost*, 1701. Domicellae *Elisabetha Zoller de Zollershausen*, *Clara* eius soror, ac *Eva Helena Kofler*, 1709. D. *Felicitas Catharina Schenk*, nata *Mayrhofer*, et Domicel. *Helena Sophia a Freysing*, 1719. Domic. *Dorothea Ursula a Freysing*, 1721. Domicel. *Ottilia Vintler*, 1723. D. *Helena Schenck*, 1730. Domicel. *Barbara Söll*, 1731. D. *Apollonia Zana de Königstein*, nata *ab Enzenberg*, 1739. D. *Clara Elisabetha de Reuberg*, nata *de Reinhart*, 1741. Domicel. *Anna Lachmüller*, 1742. Domicel. *Elisabetha Susanna Gall de Ainsidl* etc., 1746. A. R. D. *Cassianus Walther*, 1749. Domic. *Anna Regina Freysing ab Archbach*, et *Anna Antonia Lewenegg*, 1751. D. *Antonia Steirer*, nata *de Winkelhofen*, 1752. D. *Catharina Thurner*, nata *de Lewenegg*, 1753. D. *Agnes Lachmüller*, nata *Offenhauser*, 1755. Domicella *Theresia Gall*, 1756. *Ioannes Bapt. de Lutz*, Consiliarius Aulicus, 1759 [1].

§ 4.

Dignitas Provinciae Tyrolensis FF. Min. Reformatorum ex sepulturis Personarum, Sanguine, aut Officio inclytarum, in Conventu Oenipontano ac Friburgensi conditarum, congesta.

410. Exordium facio a Capella Argentea Conventus *Oenipontani*, prope cuius ianuam in sepulchro ex niveo marmore eleganter exciso, quiescit *Philippina*, Filia Francisci *Welser* praeclari Patritii Augustani, Soror Caroli Welser, subin praefecti Provincialis Burgoviensis [2], Coniux ter dilecta et speciosa *Archiducis Ferdinandi* cognomine *Magnanimi*, an. 1542 teste

[1] Monum. Convent. Inticensis ac Monasterioli Brixinensis Francisc.

[2] Hic uti Welserus in Chron. August. part. 3. p. 117 attestatur, obtinuit, ut frater suus titulo Baronis de Zinnenberg insignitus fuerit.

Crusio, aut circa an. 1550 ut alii volunt, eidem associata, quae prudentia, pietate, castitate et caritate erga pauperes emicuit, et an. 1580 die 24. April. morte naturali, uti ex Monum. solidis et Scriptoribus melioris notae evincitur, vivere desiit, ac die 29. April. hic condita fuit, annexo hoc Epitaphio: *Ferdinandus Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis, Philippinae Coniugi charissimae fieri curavit, obiit XXIV. Mensis Aprilis Anno Salutis M. D. L. XXX.* Scriptorem Festum S. Georgii pro die obitus assignantes non errant, nam in Dioecesi Brixin. hoc Festum d. 24. April. celebratur. Succedit *Ferdinandus* mox tactus, Ferdinandi I. Caesaris Filius, an. 1529 natus, Austriae anterioris Dominus, in exercitiis equestribus inclytus, an. 1595 extinctus. Iuxta tumulum eius, ex marmore nigro aliisque pretiosis lapidibus iuxta formam Mosaicam confectum, et ex parte Evangelii plantatum, haec inscriptio obviat [1].

D. O. M.

Serenissimo Principi, Domino Ferdinando, Archiduci Austriae, Duci Burgundiae etc. Comiti Habsburgico et Tyrolensi etc. Heroi imprimis magnanimo. Pio, forti, acerrimo Religionis, Iustitiaeque Vindici, qui Augustae Domus suae gloriam a Maioribus acceptam et bello et pace illustravit. Qui superiores Domus Austriacae Provincias triginta tres annos et dimidium aequabiliter rexit. Qui sub divis Imperatoribus Ferdinando Patre et Maximiliano II. Fratre expeditioni in Turcas secundo susceptae, tanta industria, virtute et felicitate praefuit, ut Divus Rudolphus II. Imp. Augustus, summum ipsi totius Exercitus sui in Amurathem II. Turcarum Tyrannum, educendi Imperium Anno MDXCIV. detulerit: id vero, quo minus gereret, impeditus gravissimo morbo, quo paulo post maximo omnium dolore vivis immature ereptus est. Hoc interim sibi Monumentum mortis memor vivus constituit. Vixit An. LXV [2]. Menses VII. Dies X. obiit M. D. X. C. V. Die XXIV. Ian.

411. Sepulchrum dicti Serenissimi per eius Imaginem, insignia Regnorum ac Provinciarum, et quatuor novas Tabulas, arte caelatoria praeclariora eiusdem gesta exprimentes exornatur. In Tabula *prima* leguntur haec verba: *Cum Carolum quintum Romanor. Imperatorem aliquot Germaniae Principes, coniuratione facta armis prosequerentur, et Ferdinandus Carolo Fratri auxiliares Copias misisset, filiumque Ferdinandum*

---

[1] Welser cit. Crusius L. 12. part. 3. p. 773. Lex Basil. tit. Ferdinandus, Hueb. in Chron. Col. 1010. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 331 etc. Nummotheca Austriae part. 2. p. 68, 74 etc. Pinacotheca Aust. part. 2. p. 303. Topograph. Austr. part. 1. p. 360 etc. 356 etc. Chron. parv. Prov. Tyrol. Franciscan. p. 106. Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Oenipont. Francisc. et alii.

[2] In Chron. mox cit. ex errore typi, aut alio, annus 56 allegatur.

iis adiunxisset, cum patre subsecuto. Adolescens adhuc victoriae, Capto Ioanne Frederico Saxoniae Duce, et Electore interfuit. In *secunda* ista: *Ferdinandus Romanorum, Hungariae, Bohemiaeque Rex, accepta a Carolo Fratre Romani Imperii Administratione, ut se tot Regnorum gliscentibus adhuc variis in locis tumultibus bellicis, immensis curis, et oneribus aliquantulum sublevaret, Ferdinandum filium Regno Bohemiae praefecit, cuius gubernationes ea animi dexteritate, humanitate, item et iustitia ita moderatus est, ut conciliatis sibi omnium pene Regni ordinum, et subditorum animis, eum tamquam Patrem mira dilectione, et honore prosecuti sint.* In *tertia* sequentia: *Cum Anno M. D. L. VI. Solymanni Turcarum Imperatoris iussu Aly Bassa arcem Ziegeth gravissime obsideret, Ferdinandus gloriae militaris desiderio incensus, apud Patrem, ut cum exercitu in Hungariam mitteretur, obtinuit. Ubi tale fortitudinis, et industriae specimen dedit, ut hostis fama, et felicitate eius territus obsidionem solvere, et cum universo exercitu retrocedere coactus fuerit. Ferdinandus vero aliquot locis partim expugnatis, partim receptis, Arcem commeatu, armis, tormentis et fortiorum Militum praesidio firmavit, Victoriosusque ad Patrem rediit.* In *quarta* talia: *Solymanno Anno MDLXVI. postremam suam, sibique fatalem expeditionem in Hungariam movente, Maximilianoque Rom. Imp. cum Rom. Imperii copiis, positis apud Taurinum castris, ei obviam procedente Ferdinandus Archidux frater validam equitum turmam cum insigni nobilitate suis stipendiis adduxit, supremique Tribuni militaris munere laudabiliter functus est*[1].

412. Descendo ad ipsam Ecclesiam Aulicam, in cuius Crypta subterranea, inter aram B. V. M. ac S. Antonii de Padua sita, Archiducissa *Anna Eleonora* quiete sua fruitur, hac tumbae stanneae annexa inscriptione: *Des Durchleuchtigsten und Herren Ferdinandi Erzherzogen zu Oestreich etc. etc. und derselben geliebten Gemahls der Durchleuchtigsten Fürstin und Frauen Frauen Anna Catharina. Erzherzogin zu Oesterreich etc. gebohrnen Herzogin zu Mantua und Montferrat, Tochter Anna Eleonora Erzherzogin zu Oesterreich etc., so den 29. Iuny anno 1583 gebohren worden ist, in den nechsten Iahr hernach 1584 den 15. Tag February mit Tott abgangen.* Cum *hac* Archiducissa, in nostra Ecclesia S. Fonte abluta, incidit *Anonyma* Archiducissa, a quibusdam in Mausolaeo perperam condita in quo nullum de ea vestigium extat. Tumbae huic parvae adiacet alia paulisper amplior, omnino clausa, his Characteribus affecta:

I. N. ✠ R. I.
M. D. ✠ LXIII.

Vero simile apparet in hac quiescere ossa alicuius Filioli aut Filiolae Archid. Ferdinandi Tyrol. ac Philippinae in tenera aetate vitae periodum ab-

---

[1] Monum. citata. Topograph. cit. p. 358 etc.

solventis. Intentio Ferdinandi I. Caesaris fuit, ut ex *Neapoli* seu *Neostadio* Austriae Cineres *Maximiliani I. Caesaris* ad istud transferantur. Ast effectus (nescio ex quo obstaculo) illi non correspondit. Infra murum Ecclesiae seu scalae ad Capellam Argenteam stratae, resurrectionem aeternam exspectant quaedam in Aula Oenipontana Praefectae, videlicet: *Domina Elisabetha Humpiss*, melius *Hundpiss*, nata *Baronessa de Spaur*, Aulica Magistra, Tertiaria, an. 1655 die 12. Ianuarii e vivorum calculo amota. Domina *Honorata Piccolomini*, Aulica Magistra, Tertiaria Seraphica, ibidem sepulchro marmoris nivei, eius effigiem exprimente, condonata; tabula lapidea haec verba sistit: *D. O. M. Honorata Piccolomini S. R. Imp. Comitissa, Patria Senensis, pietate et providentia celebris, Archiducum Ferdinandi Caroli, Sigismundi Francisci, necnon Isabellae Clarae et Mar. Leopoldinae Imperatricis Infantiae praefuit. Postea vero ipsiusmet genitricis Archiduc. Claudiae suprema exstitit praefecta. Hac autem defuncta apud eiusdem Neptes Claudiam Felicem et Mariam Magdalenam ex Archid. D. Ferdinando Carolo filio, et Anna Coniugibus idem munus adepta est. XL. itaque annis in Aula Archiducali laudabiliter peractis, onusta meritis et laboribus hic tandem requiescit. Obiit VIII. Kal. Sept. M.D.CLXV. aetatis vero LXXX. Domina Emerentiana, Comitissa de Spaur, Baronis de Stoppelar* Vidua, Gynaecei Aulici Praefecta, † 1673 die 3. Oct. D. *Clara Eleonora, L. B. de Leiblfingen*, Vidua, nata *Comitissa de Törring*, Aulae Oenipontanae suprema Praefecta, † 1685 die 25. Nov. [1].

413. Gradum moveo ad domum Capitularem Conventus, intestina quaedam Archiducalia retinente, de quibus hae inscriptiones testimonium perhibent: *Intest. filiae Serenissimi Archiducis Leopoldi M. Eleonorae*, 1629. *Intest. Seren. Leopoldi Archiduc. Austriae*, 1632. *Intest. filiae Seren. Archiducis Ferdinandi Caroli, M. Magdalenae*, 1669. *Intest. Seren. Sigismundi Francisci Archiduc. Austriae*, 1665. Quiete quoque sua heic Reverendiss. *P. Ioannes Nasus*, Episcopus Bellinensis, Filius Prov. Tyrol., et alii Fratres, Dignitate clari fruuntur, quorum Epitaphia cap. VII. § 4. 5. et 7. legenda sunt. In peristylio iuxta murum Ecclesiae conspicitur hoc Epitaphium: *Hic iacet Reverendus P. Albinus Tellier Fertemitonii Vice-Prior, Sereniss. Principissae Catharinae a Lotharingia Abbatissae Romarico-Monti Confessor ordinarius, et delegatus, ad directionem ordinis strict. observantiae S. Benedicti, qui Oenipontum bello appulsus, obiit 21. Iunii 1636 aetatis suae 38.* Prope domum Capitularem in peristylio quaedam occurrunt inscriptiones sepulchrales, quarum prima est: *A. R. P. Paschalis Guetschmuer, Oenipontanus, SS. Theologiae Lector, huius Conven-*

---

[1] Hueb. in Chron. Col. 633 etc. Cont. Orb. Seraph. cit. p. 323. Reinec. in Thalete Franciscano p. 374. Chron. cit. Prov. Tyrol. p. 100. Monum. cit.

tus Guardianus, bis Provincialis, aetatis 63. Relig. 13 pie obiit 20. Maii, 1723. Secunda: *A. R. P. Eustachius Kracker a Kirchberg, bis Provincialis ad cap. generale Victoriense vocalis, ter Commiss. generalis, Provinciae Senior, Sacerdos Iubilaeus aet. 83. Relig. 66,* 11. *Ianuarii in Domino obiit Oeniponti* 1727. Tertia: *A. R. P. Benno Wenzl, Halensis, Lector Theologiae, Sacerdos Iubilaeus. Provinciae Senior, bis Provincialis, et Carnioliae Visitat. generalis, Definitor Act. obiit XXI. Octob. M. D. CC. XLIV. aet. LXXII. Relig. LVI.* Quarta: *A. R. P. Epiphanius Magginger Ienbacensis. Guard. Oenipontanus, bis Definitor. Cust. Prov. Provincialis Visitator generalis et Vicarius Provinciae actualis, obiit aet. phys. 68. Relig. 47. anno Domini 1774, 9. Novembris.* Silentium teneo de aliis Epitaphiis fratrum, quorum principaliora iam sunt adducta. Memoriam etiam sibi vendicat Sereniss. Archiducissa *Margaretha* [1], Filia Ferdinandi I. Imperatoris, virtute clarissima, Halae in domo Salinaria an. 1567 d. 12. Martii ad meliorem vitam translata; cuius corpus, Oenipontum transvectum et stanneo Sarcophago insertum, in Ecclesia Franciscanorum usque ad an. 1572 d. 20. Maii (quo corruptionis expers Halam reportatum) quietem obtinuit. Petrus Ant. de Venetiis in « Horto Seraph. [2] » asseverat, quod Ferdinandus I. Imperator et Maximilianus II. Imperator, eius Filius in Ecclesia istius Conventus tumulati fuerint, at perperam; etenim uterque, uti ex Genealogistis Habsburgicis magis exactis constat, Pragae sepulturam assecutus est. « Lex Basil. » tit. *Rudolphus* asserit, quod corpus Rudolphi Ascaniensis Ducis, Veronae die 8. Sept. an. 1510 (Monum. Stambs. an. 1515 allegant) mortui, ibi primo in Ecclesia S. Anastasiae conditum, dein ad Monasterium Stambsense Ord. Cisterc. translatum, an. 1525 rusticis arma capessentibus, inde ad Coenobium Oenipontanum Franciscan. transportatum fuerit. Relatio haec cum istud Coenobium tunc temporis nedum steterit, mox corruit [3].

414. Conventum *Friburgensem* attingens, primitus sisto Personas Sanguine aut Officio insignes, in eo conditas Epitaphio sepulchrali Lectori adhuc pervio donatas, ex quibus in Choro inferiori ante Altare summum infra Crates ex parte Epistolari quiescit Perillustris DD. *Ludmilla Lucia de Garnier*, Uxor Perillustris DD. Generalis Ioan. Henrici a Garnier, civitatis Praesidis et Commendantis etc. an. 1660 defuncta, hoc Epitaphio decorata: *Hoc Sarcophago recondita sunt ossa generosae DD. Ludmillae Luciae, cuius insignia Marmori nigro hic ad cornu Epistolae incisa, omen,*

---

[1] Monum. cit. Topograph. citata, cui circa an. mortis inhaereo, p. 369. Schmid in Vitis SS. Tyrol. part. 3. p. 107 etc. nec non alii.

[2] Part. 4. p. 777.

[3] Auctores in vita Ioannis Nasi allegati. Schmid. cit. et Monum. citata.

et nomen produnt. Nobilis Virgo *Helena Schneblin a Landegg* die 27.[1] April. an. 1603 mortua, hac inscriptione donata: *Anno Domini 1603 den 27. Monaths April ist in Gott . . . . . die edle, ehren, und tugendreiche Iungfrau Helena, gebohrne Schneiclin von Landeck, dero Seelen der allmächtige Gott gnädig und barmherzig seyn wolle.* Succedit generosa D. *Beatrix a Gerolzeck* (Geroldseck) ex thoro *a Schwarzenberg* hac inscriptione affecta: *Anno* cIↄ *CCCCL. pridie idus Augusti generosa D. Beatrix de Gerolzeck; uxor generosi D. Ioannis Wernheri de Schwarzenberg.* Infra hanc quiete sua potitur *Wilhelmus de Schwarzenberg* sub hoc Epitaphio: *Anno Domini* cIↄ *CCCCLIX. XXVII. die Mensis Martii obiit . . . . . Wilhelmus de Schwarzenberg, Baro.* Opinor cum isto coincidere Dominum *Ioannem Wilhelmum Baronem de Schwarzenberg,* in Protocollo Friburg. Conventus tactum in Mense Martio mortuum, cuius mors ibi credibilius ex errore an. 1497 adscribitur. Opinione hac non stante, duo Barones huius stirpis hoc in Conventu requiem invenerunt. De cetero per familiam, ex qua hae Personae prodiere non intelligitur ea, quae in Franconia sedem habet, sed illa, quae circa Waldkirchium in Brisgoia sedem fixerat, velut variae circumstantiae praesertim loci suadent. In medio huius Chori resurrectionem aeternam exspectat Nob. DD. *Iacobus de Pfirt*[2] Canonicus Basileensis sub hoc Epitaphio: *Uff den 14. Martii anno 1536 starb der Ehrwürdige Edle, Herr Iacob von Pfirt, Domherr Hochen stüfft Basel, dem der allmächtige Gott gnädig sein wolle. Amen*[3].

415. Ex cornu Evangelico fati Chori infra Crates occurrit hoc Epitaphium:

D. O. M. S.

Kunigundi Fuchsin Matronae honestae, piae et devotae Coniugi suae charissimae Laurentius Riescher iurium Doctor et Professor Ordinarius hic Friburgi coniugalis fidei memor maestus posuit: obiit in Vigilia S. Ioannis Bapt. Anno M. D. C. X. requiescat in pace. Amen. Sequitur *Margaritha Gillonin,* in puerperio extincta, et una cum prole tumulata, hac addita Epigraphe, *Sta Christiane, et ora pro anima defunctae Mariae Margarithae Gillon uxoris illustrissimae nob. Abrahami Deustache durant maior. Civitatis Friburgensis quae quidem per vitam meritis,*

---

[1] Diem hunc lapis sepulchralis suggerit: unde non attendo Compilatorem Protocolli. Conv. Friburg. diem 7. April. allegantem.

[2] Non confundatur cum Sigismundo a Pfirt Ecclesiae Cathedralis Basil. Praeposito, a vera Fide deficiente, uxorem ducente, et an. 1574 morti vectigal solvente. Descendit autem non ex stirpe comitum Pherretanorum, vulgo Pfirt utpote anno 1325 exspirante, sed Baronum in Alsatia et Episcopatu Basil. olim florentium.

[3] Monum. Conv. Friburg. Franciscan. Necrolog. vetus eiusdem. D. 14. Martii.

virtutibusque suis cunctorum sibi conciliarit amorem, et in morte lachrymas: obiit XIV. a die Februarii Anni M.D.CXCVI. aetatis suae XXXI. a. requiescat in pace. Isti adiacet M. *Clara Iacoma Schaidin*, Abbatissa Monasterii Friburgensis Clarissarum, an. 1673 defuncta, cuius Epitaphium cap. priori § 8. adductum est. In tractu ultimo Chori inferioris, et quidem medio eius terrae mandatus fuit, Perillustris *D. Aloph. du Plessier*, Picardus, Eques Melit., maior Cohortis Regiae Pedestris. Epitaphium eius, tabulae illatum, in Sacristia veteri exstat, ac ita sonat:

D. O. M.

Cy Devant Gist Messire Aloph. du Plessier Chevalier, Seigneur de Saint Thaurin Diancour, et Autres Lieux Chevalier de l'ordre de Saint Ieann de Ierusalem Maior du Regiment Royal d'Infanterie, le quel deceda le neuvieme iour de Mars, mil Six Cent quatre Vingt Treize Priez Dieu pour son Ame [1].

416. In medio inferioris Ecclesiae legitur hoc Epitaphium: *Haec requies mea in saeculi saeculum, hic habitabo, quoniam elegi eam Ps. 131. Anno Domini 1581 et die 16. Mensis Ianuarii obiit Dominus Iacobus Andreas ex Sabaudia de Lornao, Sacellanus Cathedralis Ecclesiae Basileensis, qui hunc lapidem hoc loco poni ordinavit, sub quo et novissimae diei tubam exspectare voluit, cuius anima requiescat in Domino.* Coram Altari S. Antonii Patavini filiola strenui D. Hug quiescit sub his verbis: *An. 1696 den 15. Sept. ist in Gott seelig entschaffen Maria Rosa Hugin ihres Alters 11 Wochen 4 Tag.* Succedit *Ioannes Georgius Bidermann* I. U. D. et Consiliarius sub hac inscriptione:

D. O. M.

Viro Nobili Ioanni Georgio Bidermann I. U. Doctori Comiti Palatino, Consiliario Austriaco, cum ex hac vita ad meliorem an. M. D. C. XIV. aetatis vero suae XLVI. Mense Iulio die XXVI. obiisset, monumentum hoc Coniux et liberi debito pietatis adfectu posuerunt. Sequitur haec. *Donec veniat immutatio mea. Balthasarus Angerer U. I. D. Christophori Legum Professoris P. T. ordinarii F. XXVII. Martii Anno M. D. C. VII. Neoburgi ad Rhenum apud charam Coniugem Agnetem . . . . . . ex hac mortali vita placide decedens, huc deferri, huc condi voluit Arae D. Sebastiani propior et sepulturae . . . . . coniunctior* [2].

---

[1] Monum. citata, nec non Monast. Friburg. Clarissarum.

[2] Monum. Conv. Friburg. Franciscan.

417. Iuxta Aram S. Petri de Alcantara conspicitur haec inscriptio: *Maria Magdalena Holzapflin, Ulrici H. V. I. Doct. filia, obiit 18. Decemb. an. 1589.* Subintrat ista: *Mittwochen den 11. Septembris anno 1610 ist aus dieser Welt verschieden des Ehrenvesten hochgelehrten Herren Iohann Heorg Zweier I. U. D. mit Frauen Clara Christina gebohrne Edingerin erzeügtes eheliches Kind Rudolph Wilhelm seines Alters drey viertel Iahr. Deme der allmächtige Gott ein fröliche Auferstehung verleihen wolle Amen.* Accedit isthaec *den 9. Tag Februarii des 1610. Iahrs zwischen 7. und 8. Ehren nach Mittag ist in Gott seelichen verschieden Weylandt der Edlveste Hans Iacob von Siglingen, deme, und uns allen der allmächtige Gott gnädig und barmherzig sein wolle Amen.* Silentio involvo alia Epitaphia, aut legenti non plene pervia, aut Personas minoris stirpis aut conditionis concernentia [1].

418. Adsunt ceterae Personae, Sanguine aut Officiis insignes, in hoc Conventu conditae, anno cuilibet adiecto, mortuae. Nob. D. *Maria a Lichtenfels,* † 1300. Nob. *Susanna a Bornberg,* † 1388. P. Fr. *Liphardus,* Provincialis *superioris Alsatiae,* uti adstruit Compilator « Protocolli Conv. Friburg. », † 1392, in Choro infra gradus sub lampade conditus. Verosimile apparet, quod hic vir Praenobilis aut Patritius Alsatiae superioris exstiterit; nam tum temporis in rerum natura non morabatur Provincia *Alsatiae superioris* FF. Min., pariter in Catalogo Ministrorum Provincialium *superioris Alemanniae* nomen eiusdem non invenio; aut intelligetur *Leopardus* al. *Leonardus,* Pseudo-Minister Prov. *Alemanniae superioris.* Nob. D. *Thomas a Valckenstein (Falkenstein),* † 1397. Generosa D. *Beatrix a Schwarzenberg,* † 1400, quae ni Compilator « Protocolli Friburg. » lapsum fecerit, in anno mortis distinguenda venit, a *Beatrice de Schwarzenberg,* prius tacta. D. *Susanna a Fürstenberg,* † 1400. Nob. D. *Ioannes a Schönau,* † 1400. Generosus D. *a Valckenstein (Falkenstein),* † 1468. Miles et Baro Nob. et Generos. D. *Melchior a Blumeck,* † 1475 [2].

419. Honestus Domicellus *Christophorus Stecher,* † 1521. Praenob. D. *Christophorus Stirzl* a Bucheim, † 1524. Nob. D. *Ioan. de Schönau,* sedulus promotor Observantiae Friburgi introductae, et eius specialis benefactor, † 1527. Egregius D. *Iacobus Hessler,* a tempore Observantiae introductae *P. Spiritualis* Conventus, † 1530. Praenob. D. *Martinus de Rechberg, a Hohenrechberg et Schwarzenberg,* eximius Observantium Benefactor, † 1534. Nob. D. *Ottilia Spettin* nata a *Sickingen,* † 1536. *Ioannes Marquardus ab Husan,* Miles S. Ioannis, † 1543. Reverendiss. D. *Udalricus Hamman,* Abbas Monasterii *Alpirspacensis* Ord. S. Benedicti [3] ad hoc munus

[1] Monum. citata.

[2] Monum. citata.

[3] Istud in Ducatu Wirtenberg, haud procul Schiltachio situm habuit, et in Suev. Eccles. p. 51. etc. fusius delineatur.

an. 1523 assumptus, † 1550. Reverend. ac Nob. D. *Franciscus a Malignis*, Cathedral. Ecclesiae Basil. Canonicus, † 1553. Rev. P. *Wendelinus Fabri*, Minister Provincialis Argentinensis de Observantia, † 1555. *Ioachimus Zasius*[1] Theologus, Praepositus *Elenspergensis*, Basileensis ac Constantiensis Canonicus, † 1559. Nob. D. *Lucas Ritter*, ex Appenzeweiler Familiae suae unicum decus, † 1563. R. D. *Ioannes Vitus Scheib* al. *Schöb*, Doctor U. I., Cathedralis Ecclesiae Basileensis Decanus, † 1564. D. *Albertus Holzapfel*, Professor Medicinae in Academia Friburg., † 1567. *Ioannes Mielich* al. *Mileck*, *Milegg*, Praefectus civitatis Friburg., † 1570. *Wolfgangus Streitt*, I. U. D. et Professor Universitatis Friburgensis, † 1573. *N. Weck*, Uxor praeclariss. Dom. ac I. U. Doctoris Weck. † 1574. D. *Ioannes Frey*, I. U. D., † an. cit. Rev. ac perdoct. D. *Andreas Milegg*, Canonicus Basileensis, † 1575. D. *Wolfgangus Streitt*, civitatis Villinganae olim Consul, † 1576. Rev. D. *Blasius Widenkeller*, Cathedr. Ecclesiae Basileensis Procurator, † 1576. *Balthasarus Hagmann*, SS. Theol. Doct. Ecclesiae Cathedralis Basileensis Canonicus ac Custos, † 1578[2].

420. Rev. et Nob. D. *Hieronymus Minsinger, a Frundlingen*, Presbyter, † 1583. D. *David Schmidlin*, Ensishemiensis, Academicus Professor, † 1585. Nob. Adolescens *Albertus a Strat, in Litzelburg*, † 1587. Nob. D. *Wilhelmus Spett*, † 1588. Nob. D. *Christiana a Liechtenfels*, † 1591. Nob. Adolescens *Honorius a Disbach*, † 1516. Nob. *Virgo Ursula a Breiningen*, † 1599. D. *Udalricus Holzapfel de Rottenburg*, Friburg. Academiae Professor, † 1599. Nob. D. *Wolfgangus Kütt*, Senatus Friburg. Assessor, † 1603. D. *Ioannes Iacobus Schmidlin*, I. L. Archigrammathaeus Friburg., † 1608. D. *Christophorus Angerer*, I. U. D. Professor Academiae Friburg., † 1614. D. *Paulus Windeck*, SS. Theol. Doct. et Professor Academiae Friburg., † 1619. Nob. D. *Sigfridus Zott*, † 1619. Nob. D. *Godefridus a Steinwied*, † 1620. Nob. D. *Euphrosina Schwaffbäch* al. *Giel a Gielsberg*, † 1624. R. *Lucas Fetscher*, Ecclesiae Cathed. Basileensis Sacellanus, † 1631. *Euphrosina Metzger*, nata *Ganzer*, Colmariensis, Laurentii Metzger I. U. D. Coniux, † 1631. Nob. D. *Georgius Fridericus a Pflaumeren*, Signifer, †. Nobilis Virgo *Eva Magdalena a Pflaumeren*, † 1633. D. *Rudolphus Reüer*, Senator Friburgensis, † 1634. *Ursula de Troyer*, Monast. Friburg. Clarissarum e Monasterio *Brixinensi* accita, † 1635[3].

421. *Angela Aichenlaib*, Priorissa Monast. Friburg. Clariss., † 1642. *Iosephus Ioachimus Schmidlin*, filiolus Henrici Schmidlin Archigrammathaei Friburg., † 1649. N. *Infans*, Laurentii *Metzger* I. U. D., † 1650.

---

[1] Non confundatur cum Udalrico Zasio, an. 1535 extincto, aut Ioanne Udalrico eius filio, de quibus plura Lex. Basil. et alii Scriptores habent.

[2] Monum. Convent. Friburg. Franciscan.

[3] Monum. citata, uti et Monast. Friburg. Clarissarum.

Constantia Schubert, Priorissa Monast. Friburg. Clarissarum, † 1651. *Catharina Schmidlin, Henrici Schmidlin* Archigrammathæi Friburg. filia, † 1651. *Sybilla Barbara Metzger,* Laurentii Metzger I. U. D. filia. *Maria Francisca Litzler,* soror Reverend. D. Thomae Henrici Suffraganei Basileensis, † 1651. *Laurentius Meztger* I. U. D., † 1651. Nob. *Anna Maria Wolf,* Pauli Preiss Archiducalis Consiliarii Coniux, † 1664. *Christophorus Brunck.* Nob. ac experientissimi Ioannis Christophori Brunck Medicinae Doct. ac Professoris filius, † 1668. Nob. D. *Maximiliana Mayr,* Uxor Ioannis Iodoci Schütz Reverendiss. ac Celsissimi Principis Basileensis Consiliarii ac Capituli Basileensis Syndici, † 1668. Perillustris *Anna Magdalena ab Obstein* ante Aram S. Petri de Alcantara sepulta, † 1672. Nob. D. *Ioannes Fridericus Brunck,* Triumvir civitatis Friburgensis, † 1673. *Clara Iacoba Schaid,* Abbatissa Parthenii Friburgensis Clarissarum, n. 329 delineata, † an. cit. Nob. D. *Anastasia a Pflaumeren,* nata *Schnitzerin,* † 1674. Praenob. *Iosephus Antonius Conradus Schütz,* puerulus, † 1674, sepultus iuxta altare S. Antonii. Praenob. D. *Iuliana Haas,* nata *Pflumeren,* † 1675. Praenob. *Martinus Haas,* † 1677. *Quatuordecim officiales Bellici,* † 1677 et seq. Nob. D. *Primus Bonaventura Vogl,* studiosus, † 1678. Praenob. *Franciscus Iodocus Guilielmus Schütz,* puerulus, † 1678. Praenob. *Maria Anna Schütz,* puellula, † 1678. Nob. *Anna Margaritha Pfrün,* nata *Fränz,* † 1678 [1].

422. Nob. D. *Ludovicus Guilielmus Brandier,* Capitaneus Equestris de Arnophin, † 1680. Praenob. *Franciscus Iacobus Henricus Preiss,* adolescens, † 1680. Praenob. D. *Franciscus Gabriel Preiss,* Logicus † 1680. Generos. M. *Ioannes la Roquet,* Locum-Tenens Bellicus et Maior Cohortis Campaniae, Centuriae Iouneau, † 1681. Praenob. Virgo *Anna Margaritha Preiss,* † 1693. Generos. D. *Ioannes Marquard,* Locum-Tenens Equestris Cohortis D. Delphini, Centuriae D. Cocque Fontaine, † 1683. Generos. *Henricus Trocular,* Prostrates Maior Cohortis Turoniensis vulgo Touraine, † 1684. Praenob. *Ludovicus Henricus Rueff,* † 1687. Praenob. *Iosephus Eusebius Preiss,* infans, † 1690. Praenob. et strenuus D. *Ioannes Melchior Rueff,* † 1695. Generos. D. *Philippus Dagon de Primanoi* al. *Puismonoir,* de Constantia Neustriae seu Normandiae [2] oriundus, Capitaneus sub Cohorte Regia tormentaria, † 1696. Generos. D. *N. N. Legonthal,* Viennae Delphinatus natus, Capitaneus Cohortis de Basil., † 1697. Praenob. *N. de Kleinbrodt,* infans gratiosi D. de Kleinbrodt, † 1697. Generos. D. *Claudius Gimonth,* Locum-Tenens bellicus Cohortis Normandiae sub Centuria D. de Mersy, † 1698. Praenob. *Innocentius Iosephus Iulius Lamy,* infans,

---

[1] Monum. Conv. Friburg. Franciscan. Clarissarum ac Paroch. Friburg.

[2] Locus hic est civitas, a Gallis Coutanz, aut Constance vocata, Episcopali Cathedra decorata.

† 1698. Praenob. *Maria Magdalena Eleonora Sophia Lang*, infans, † 1698 [1].

423. *Cunegundis Elisabetha Dreyer*, Magnifici D. Dreyer Universitatis Rectoris filiola, † 1701. *Filiolus eiusdem*, † 1702. Illustriss. et Generos. D. *Maximilianus Leopoldus L. B. de Sigeroth*, Wratislav. Capitaneus Equestris Cohortis Zollerianae, in pugna Hinningensi, novem gravibus vulneribus affectus, † 1702. Illustr. et Generos. *D. L. B. Ioannes Baptist. Spett de Schilzburg* in eodem conflictu sauciatus, † 1702. *N. de Winkelhofen*, infans Illustriss. ac Gratiosiss. D. Henrici de Winkelhofen Ducis Generalis et fortalitii Friburg. supremi Mandantis, † 1702. Praenob. *Domicella Maria Anna Bertholdi de Saxengang*, Brabantina, † 1703. Nob. Virgo *Maria Barbara Vicari*, D. Vicari Medicinae Professoris, filia, † 1703. Nob. *Virgo Barbara Christina Dreyer*, filia Magnifici D. Dreyer, Univers. Friburg. Professoris, † 1703. *N. de Kleinbrodt*, infans Praenob. D. de Kleinbrodt, † 1703. Praenob. D. *Maria Agnes Moyses*, nata *Schmidlin*, † an. cit. Praenob. ac gratiosa D. *Anna Margaretha de Preiss*, Uxor D. Iosephi Gabrielis de Preiss, mox tangendi, † 1704. Gratios. D. *Franciscus Martinus Haas* Camerae anterioris Austriae Director, † 1707. Praenob. ac Gratios. D. *Gabriel Iosephus de Preiss* ab Ehrenpreiss, excelsi Regiminis anterioris Austriae Consiliarius et Referendarius, † 1712 [2].

§ 5.

Dignitas eiusdem Provinciae ex sepulturis in reliquis Conventibus, Residentiis et Partheniis Monialium.

424. In Ecclesia Conventus *Bulsanensis* de praesenti legendum est: I. in Choro inferiori versus Altare summum Epitaphium *P. Pirminii Ziegler*, n. 306 tactum. II. ibidem. *P. Adriani Hueppher* al. *Huepper*, n. 312 allegatum. III. *P. Innocentii Hofer*, ante Aram S. Sebastiani, ita sonans: *A. R. P. Innocentius Hofer, Bulsanensis, tertia vice Provincialis actualis, aetatis physicae 69. Relig. 46. d. 22. Iulii. InnoCens CorDe fLoreat seMper In astrIs.* IV. *Nob. D. Andreae de Gersburg* huius tenoris: *Anno Domini M. DXLIV. XXI. Ianuarii ist gestorben der Edl und Vest Herr Andre van Gersburg zu Raffenstein, der Lezte dieses Namens dem Gott gnedig und barmherzig seyn wolle. Amen.* In Capella S. Iodoci, seu loco ante Sacristiam haec inscriptio invenitur: *Anno Domini MCCCXLIX. obiit Ulricus Hailwaiger, qui fecit fieri hanc Sepulturam pro se et suis haeredibus*

[1] Monum. Paroch. Friburg. et Conv. Friburg. Franciscan.

[2] Monum. citata.

Nicolao et Ioanne. Ante fores Ecclesiae ista: *Magnificas aliis aedes, qui struxerat aedes, mortuus Augusto clauditur hic tumulo, Iacobus de Lago eximius huius civitatis aedilis, finitis laboribus hic iam quiescit. A. 1675. d. 22. Nov.* Capella S. Annae, in peristylio sita, exhibet tabulam cum his inscriptionibus: †. *Requiescant in pace. A. R. P. Christophorus Vintler Soc. Ies., Collegii Oenipontani Procurator, Bulsani religiosissima morte obiit, et in hoc sarcophago Dominorum de Weinegg d. 20. Novemb. 1666 hora vespertina tumulatus fuit. A. R. Franciscus Tasch Soc. Ies., Collegii Halensis Procurator, Bulsani ad beatam aeternitatem abiit, et in hoc sarcophago Dominorum de Weinegg d. 8. Oct. 1706 hora vespertina septima sepultus fuit.* Extra Ecclesiam prope murum, ubi ad Parochiam exitus, obviat Epitaphium, modo potiori parte attritum, a Marco Sittico de Wolkenstein in Chron. M. S. Tyroleos hisce expressum: *Christo Resuscitatori, Irenae Principi Illustr. Maritum ex Moldavia usque ob Religionem Christian. profugum, sequutae, aetatis suae anno 30.* [1] *extinctae, Io. Petrus Voivoda Moldaviae Princeps Uxori castiss. et charissimae posuit, obiit 3. Non. Novemb. 1592.*

Rom. 6. Si mortua sum in Christo, credo quod vivam cum eo.

D. O. M.

Ioanni Petro Voivodae Moldaviae ex Corvina Mhinistarum Valachiae Principum Regia Familia, qui ob conservandam in Stephano filio Religionem Ampliss. Principatum sponte cum deseruisset, Augustae Domus Austriacae patrocinio dignatus diem suum ultra quam Sexagenarius obiit Cal. Iulii M. DXCIIII. vir per adversa, per prospera, Bello et Pace Clarissimus [2].

425. Ulterius hoc in Conventu resurrectionem aeternam exspectant: Nob. *Christophorus Steifer,* † 1470 et retro Aram SS. Sebastiani et Rochi conditus. Nob. *Anna Fraustam,* Ioannis Epser Vidua, † 1487 in die S. Clarae. Nob. *Iacobus de Spaur,* Dominus de Hohenegg, haereditarius Pocillator Tyrolensis, † 1490 die 21. Iulii. Nob. *Michael Henricus de Boymund in Payrsberg,* Centurio-Regio-Hispanicus Peditum, † 1513 die 15. Martii. Nob. *Ioannes Heyerling,* Matraiensis, † 1528 die 30. Augusti. Nob. *Reinprechtus de Boymund in Payrsberg,* Eques, Rom. Caes. Maiestatis Consiliarius et Brixinae Centurio, † 1544 die 14. April. Nob. *Paulus Hileprand,* † 1563 die ultimo Nov. Epitaphia germanica, de his personis a

---

[1] Kaltprunner in Chron. MS. Prov. Tyrol. Franc. et Hueb. an. XXV. allegant. Nescio cui fidendum.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Bulsan. Franciscan. Wolckenstein cit. L. 13. p. 198. etc. Kaltprunner cit. Hueb. in Chron. col. 1013. etc.

Wolkensteinio expressa, amota fuerunt. *Henricus Roden*, Friburgensis, Medicus et Benefactor insignis, † 1769 die 22. Aprilis, hoc Epitaphio olim honoratus: *Hic iacet Henricus, quondam cognomine Roden, arte diu Medicus, denique praeda necis. 16-anno 69.* Personae plures aliae ex praeclaris familiis *de Weinegg, Vintler, Voglmayr, Deisenser, Greiff, et aliis.* Sane, uti attestatur *P. Ferdinandus Troyer*, ex familia *Greiffiana* hic quiescit: *Martinus*, † 1319, *Christianus*, † 1330, *Bernardus*, † 1358, *Mathias*, † 1380. Ex *Vintleriana: Nicolaus*, ex testamento 1413 facto notus et alii. Ex familia *Deisenser*, Praenob. ac strenuus D. *Iosephus* an. 1725 ultimo conditus fuit. Adiunguntur ex nostratibus Viri quidam praeclari, nullo Epitaphio actu condonati, videlicet: *P. Ioannes Evang. Aichperger*, Vir Religione, zelo et scientia sanctorum praeclarus, Prov. Tyrol. bis Minister, Prov. *Austriae et Hungariae S. Mariae* Visitator Commissarius, tertii Ordinis S. Francisci Propugnator, an. 1717 die 24. Martii mortuus, iuxta Aram S. Elisabethae conditus. *P. Iustus Redn*, Brixinensis, Vir in omni genere scientiae excultus, Scriptor Ordinis, an. 1728 die 5. Augusti ex hac vita amotus et iuxta Aram S. Sebastiani humatus. *P. Anacletus Weiller* Min. Provincialis bis Emeritus, Visitator Commissarius Prov. *Austriae*, Vir magnae prudentiae, † 1767 die 22. Nov. *P. Ferdinandus Troyer* sepulchrum quoque in Capella S. Ioannis, in peristylio posita, attribuit Reverendiss. Alberto de Ortenburg, Episcopo Tridentino; ast perperam, quippe, uti ostendit *P. Benedictus Bonelli a Cavalesio*, sepulchrum suum nactus est Tridenti in Crypta S. Maxentiae, annexo hoc Epitaphio: *Reverendus in Christo Pater Dominus Albertus in Ortenburg Episcopus Tridentinus, obiit anno Dom. M. CCCLXXX. die nona mensis Septembris* [1].

426. In Ecclesia Conventus *Sigmaringani*, seu *Hedingani Comites* ac *Principes* plures Illustr. exin Sereniss. Stemmatis *Hohenzollerani* requiem capessiverunt. Inter eos ante introductionem Franciscanorum obviant: *Ferdinandus*, Comes Hohenzolleranus, † 1571 die 21. Nov. *Magdalena*, † 1582 die 2. Ianuarii. *Euphrosina*, † 1582 die 4. Febr. *Barbara*, † 1587 die 14. Maii. *Georgius Fridericus*, † 1593 die 9. Maii. *M. Salomea*, † 1569 die 20. Nov. *Philippus Erasmus*, † 1601 die 3. Nov. Franciscanis Claustro immissis, in eo sepulturam obtinuerunt: Cor *Ioannis*, Principis primi Sigmaringano-Zollerani, supremi in Aula Bavarica Magistri Monachii 1538 e vivorum calculo amoti, et apud Franciscanos humati. Mars Suecicus, eo tempore in Germania saeviens, impediit, quo minus Corpus eius uti anhelarat, Sigmaringam transportaretur hoc effossum, et uti Monum. Conv. Sigmaring. dant incorruptum repertum, ad instantiam *Meinradi I.* Principis Zol-

---

[1] Wolckenstein cit. p. 199. etc. Ferdinand. Troyer in Chron. MS. Bulsan. c. 13. et 14. Monum. et Hueber cit. P. Benedict. Bonelli in Hist. Ep. Tridentin. Vol. 2. p. 295.

lerani, Sigmaringam 1681 (Monum. cit. hoc adstruunt) transvectum est, Corpore in Ecclesia parochiali, Corde in Ecclesia Franciscanorum ante Aram S. Antonii tumulatis [1]. *Carolus Wolfgangus,* † 1709 die 14. Dec. *Amalia,* 1730 die 4. Aprilis. *Menradus Ferdinandus,* † 1733 die 8. Iunii. *Anna Theresia,* † 1737 die 5. Sept. *Maria Francisca,* nata *Comitissa de Oettinga et Spillberg,* ex Thoro Princeps Hohenzollerana, Tertiaria Franciscana virtutis eximiae, in habitu tertii Ordinis sepulta, † 1737 die 28. Nov. *M. Theresia Philippina,* † 1743 die 11. Aug. *Fridericus Iosephus Fidelis Antonius,* Princeps 7 hebdomadarum, † 1750 die 18. Iulii. *Ioannes Baptista Fridericus Fidelis Antonius,* Princeps unius diei, † 1751 die 17. Aug. *Antonius Ioachimus Georgius Fransiscus Meinradus Fidelis Ioannes Gualbertus,* Princeps 16 hebdomadarum, † 1752 die 2. Nov. *Antonius Ioachimus Georgius Franciscus Meinradus Pius,* Princeps 30 hebdomadarum, † 1754 die 6. Febr. *Maria Theresia,* nata *Comitissa Truchsessia de Scheer,* ex Thoro Princeps Zollerana, tertia Coniux Iosephi Principis, Tertiaria Seraphica, † 1761 die 8. Maii. — Annectuntur Personae, ex Stirpibus inferioris Ordinis descendentes, hoc in Claustro humatae: *Proles sex Domini de Ruesch,* I. U. D. et inclyti status Equestris Consulentis, videlicet *Mathias,* † 1648 die 16. Nov. *M. Susanna,* † 1652 die 13. Nov. *Ioannes Georgius,* † 1655 die 19. April. *Anna Maria,* † 1657 die 31. Oct. *M. Margarita,* † 1659 in Oct. *Franciscus,* † 1660 die 14. Nov. D. *Ioannes Carolus ab Achz,* rei Venatoriae Praefectus, † 1658 die 15. Sept. D. *Ioannes Frick,* Consiliarius Aulicus, et Apostolicus Claustri Syndicus, † 1687 die 24. Iunii. D. *Ioannes Iacobus Epelle,* Consiliarius Aulicus, † 1714 die 3. Iulii. *Carolus Benedictus Payr,* filius D. Benedicti Adami Payr de Thurn, territor. Princip. Praefecti, † 1716 die 26. Febr. D. *Ioannes Iacobus Lutz,* Syndicus Apostolicus, 1724 die 22. Oct. Pl. R. D. *Matthaeus Englhart,* SS. Theol. Licentiatus, Consiliar. Aulicus, Sereniss. Princip. Iuventutis Moderator, ac Parochus Stettensis prope Haigerloch, † 1734 die 12. Nov. D. *Ioannes Bapt. Schmid,* Consiliarius Aulicus, reddituum Praefectus, ac Syndicus Apostolicus subordinatus, † 1756 die 10. Martii.

427. In Conventu *Suazensi* quaedam Personae Familiae Tanzlianae conditae sunt. Eruo hoc tam ex Anniversario, pro hac familia celebrari solito, tum ex Decreto in Congregatione Graecensi an. 1517 die 17. Augusti habita, *Cuso,* Nobili D. *Tanzl* eiusque parentelae sepulturam concedente. Ante locum, ubi olim Crux magna lapidea stetit, terrae mandatus fuit Reverendiss. ac Amplissimus DD. *Ioannes* (VIII. cogn. *Merck*) Abbas Monasterii Augustani ad S. Udalricum, Ecclesiae huic reliquias notabiles de Societate S. Afrae an. 1625 elargitus. Inscriptio sepulchralis modo nondum exstans, ita sonuit: *D. O. M. D. G. C. S. Memoriae vero Reverend. in Chri-*

---

[1] Monum. Conv. Sigmaringani, ac Monacensis Francisc. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 66. et 67.

sto Patris, et DD. Ioannis ab anno saeculari praeterito Monasterii sanctorum Udalrici, et Afrae apud Augustanos Abbatis Vigilantissimi. Qui cum Domum Dei prius, deinde etiam Curiam, Conventum, praedia ruralia splendidis monumentis exornasset, iamque universo Monasterio reformando cogitationem adhibuisset, ex eodem Suecicis armis in exilium actus, et aliquot mensium calamitatibus exagitatus, tandem duodecimo Kalend. August. anno Christianae aerae 1632 paulo post meridiem animam Deo Creatori et Redemptori hic reddidit. Corpus, quod Augustam deferri hostiles motus haud siverunt, amici praesentes huic tumulo, cum electis olim resuscitandum, crediderunt, quorum voto, et tu Viator faveto. Vixit universim annis 62, mensibus quinque, diebus 21. P. Iustinus Kaltprunner meminit quoque huius Epitaphii: *Anno Domini (1568) den 6ten Februarii ist mit Todt abgangen der Ehrwürdig in Gott Vatter, und Brueder Ambrosias Fischer von Würzburg, der selbig Zeit gewesener Minister der Provinz Oestreich, dem Gott gnädig seye;* per virum istum, ante antiquum altare S. Iosephi conditum, intelligitur *P. Ambrosius de Herbipoli,* in Provincia Austriae pluribus tactus. Ex parte Evangelii in lapide sepulchrali, muro inhaerente, exstat haec inscriptio: *Hie liegt begraben die Edl tugendsame Frau Susanna Razböckin von Razenstein und Thurnstein, des Edlen Herren Sebastian Füegers zu Hirschberg Röm. Cathol. Majestett Oberöstreich: Regiments Rath Eheleibliche Ehefrau so den 25. Iunii 1599 gestorben. Gott gnade der Seelen.* Ex nostratibus Officio et meritis claris successerunt: *P. Bernardus Rast, n. 295* et *P. Bernardinus Lackner, n. 297* expressi; in communi Crypta fratrum A. R. P. *Dismas Mayrl,* Minister Prov. bis emeritus, una cum aliis, alibi insinuatis, quiescit. Ad latus Evangelii Altaris S. Iosephi in tabula aenea, pavimento impressa, leguntur sequentia: *An. 1518 die 16. April. starbe die Edle tugendhafte Frau Anna Amidorfferin. Gott gnade etc.* Ante Aram S. P. Francisci sepulchro suo fruitur Excell. et Illustriss. DD. *Franciscus Antonius Comes de Lamberr* S. C. M. Camerarius, Austriae anterioris Consiliarius, et Sereniss. Reginae Poloniae, Ducissae Lotharingiae, excubiarum Praefectus, † 1685. Adiungendus venit D. *Ioannes Casparus Rosenthaler,* Norimbergensis, Ædilis Monasterii Suazensis, anno non expresso mortuus. In domo Capitulari tumulum retulit V. *P. Erhardus Montius,* vulgo *Berger,* Prov. Definitor, ac Guardianus Conventus, Ecclesiastes ferventissimus, hac inscriptione exceptus: *sub hoc saxo condita sunt ossa R. P. Erhardi Montii Ord. Min., qui cum per XII. annos huic Parochiae Cathedrae praefuisset, pie obiit pridie Kalend. Decemb. MDCXXXVI. aetat. anno LXIV.* Item *P. Onuphrius Reisacher,* n. 380, § 1. tactus [1].

---

[1] Herzog. p. 68. et poster. p. 35. Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Suaz. Franciscan. Khamm in Hierarch. August. part. 3. Regulari p. 133. quo de allegato Abbate, an. 1600 electo p. 129 etc.

428. In Ecclesia Conventus *Reuttensis,* ante istius ortum, sepulchrum suum acquisiverunt Illustriss. D. *Margaretha de Spaur,* annexa hac inscriptione: *Anno Domini 1545 den . . . Decembris zwischen 3 und vier Uhr die Wohlgebohrne Frau Margaretha von Spaur, Herrn Iacob von Thun . . . ihres Alters 30.* Item Nob. D. *Burchardus Lagmann de Libenau,* fundator Anniversarii, in Conventu Reüttensi tactus. Post Conventus exordia hic repositi sunt Illustriss. D. *Ioannes Albertus Comes ab Oettinga,* an. 1632 die 18. Iunii inter belli tumultum occumbens, cuius corpus 1000 thaleris a Suecis redemptum fuit. Item Illustriss. ac gratiosa DD. *Anna Iacoba de Rost,* Vidua, nata *Baronessa de Ramschwaig,* Tertiaria Seraphica insignis virtutis, an. 1730 die 8. Ianuarii heic condita, Illustriss. D. *Leopoldina de Beer,* nata *Comitissa de Rappach,* an. 1756 die 14. Febr. mortua et die 16. eiusdem sepulta, S. Matri Annae suam vestem nuptialem pulcherrimam, et Conventui 500 florenos annexo exiguo missarum onere transcribens [1].

429. In Ecclesia Conv. *Caldariensis* in medio pavimento ante Aram S. Antonii Patav. sub marmore parvo quadrato, cruce octhogonia et insignibus Austriacis in medio expressis insignito, intestina Sereniss. Archid. *Ferdinandi Caroli,* Austriae anterioris Domini, anno 1662 vita functi, recondita fuere. In parte superiori leguntur haec verba: *F. C. E. Z. O.* hoc est, ut opinor, *Ferdinandus Carolus Erzherzog zu Oestreich:* in inferiori vero hae ciferae, ad annum mortis alludentes: 1662. Parieti insidet marmor nigrum, tegulis albis marmoreis circumseptum, et insignibus Austriacis coronatis decoratum, uti et scutum marmoreum nigri Coloris, haec verba sistens: *S. V. B. lapide cruce signato conduntur intestina Sereniss. Ferdinandi Caroli Archiduc. Austriaci, qui obiit 31. Decemb. 1662.* Accedunt: Illustriss. D. *Ferdinandus Gloess,* an. 1660 die 28. April. mortuus, et in habitu Seraphico hic sepultus. Illustriss. D. *Franciscus Kassler L. B. de Boymund,* Gargiz. ac Montani, singularis benefactor Conventus, an. 1700 die 25. Oct. exstinctus, infra sepulturam fratrum e cornu Evangelii conditus. Illustriss. D. *Maria Porcia,* istius uxor, devota benefactrix Conventus, nata *Comitissa ab Arsio,* in aetate 91 annos, 11 menses, 11 dies recensens, an. 1728 die 23. April. exspirans, infra sepulturam fratrum e cornu Epistolae tumulata. Illustriss. D. *Comitissa Bangogkh,* nata *Baronessa a Colonna,* an. 1733 die 17. Febr. pingui legato in gratiam Ecclesiae relicto vitam finiens, et intra cratem ferream sub Choro terrae mandata [2].

430. In Conventu *Halensi* resurrectionem aeternam exspectant Illustriss.

---

plura laudabilia suggerit. Chronicon Prov. Tyrol. p. 130 et sequenti, perperam ex Abbate Episcopum efformans, et pro Fiegerin substituens Fuggerin.

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Reuttens. Franciscan.

[2] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Caldar. Franciscan.

DD. *Ferdinandus Carolus Baro de Coreth*, an. 1721 die 21. Maii illuc Oeniponto abductus. Excell. et Illustriss. DD. *Baro Engelhardus a Coreth*, Pater prioris, Cancellarius excelsi Regiminis an. 1721 die 1. Ianuarii viam universae carnis ingressus. *A. R. D. Iosephus Sigismundus Marchstaller*, Beneficiatus ad S. Iacobum in Ecclesia Parochiali, Tertiarius Seraphicus, cum Prosapia *Ettenhardiana* sanguine coniunctus, benefactor Conventus Oenipont. ac Halensis, an. 1742 defunctus, et die 11. Ianuarii prope Aram S. Antonii tumulatus. Illustriss. ac gratiosa DD. *Maria Anna Comitissa de Khuen*, nata *Comitissa de Thurn et Taxis Valsasine*, eximia Conventus benefactrix ac eius quasi altera fundatrix, an. 1766 die 2. Febr. exstincta et iuxta aram S. Ant. Patavini in cornu Epistolae terrae commissa; *A. R. P. Iacobus de Marchia Praun*, n. 395 tactus. *A. R. P. Caesarius Prandstetter*, vir virtute et scientia conspicuus, SS. Theologiae Lector, saepius Novitiorum-Magister, et aliis Ordinis Officiis honoratus; Visitator Commissarius Prov. Austriae, nostrae bis Minister, praecoci morte an. 1773 die 25. Ianuarii Halae exstinctus [1].

431. In Conventu *Ehingano* sepultura condonati fuere : Gratios. D. *Ioan. Christophorus Schenck*, Dominus in Stauffenberg, Wifflingen et Rissdissen, in medio Ecclesiae antiquae an. 1638 die 14. Maii conditus, cuius sepultura nunc infra Altare S. Petri de Alcantara obviat. Strenuus Dominus *Mainradus Ruesch*, immediatae Nobilitatis Equestris Suevicae in Cantone ad Danubium Consulens, in Capella S. Annae a se fundata, sepultus an. 1721 die 1. Iulii. P. R. D. *Iosephus Giettinger*, Capellanus Ehingae, eximius benefactor Conventus, ante Aram summam conditus, hac lapidi sepulchrali, Pelicanum, qui e suo pectore sanguinem in calicem mittit, exhibenti annexa inscriptione [2]:

P. R. D. Iosephus Giettinger.

Ein Pellican auf diesen Stain
Verliebt ganz recht man findet
Dann allhier ruhen die Gebein
Von jenen, dessen bindet
Anjez die Seel, wie vor das Herz
An Gott Maria Liebes Bandt:
Die nun zertrennt der Todten Schmerz
Das Ihm werd blohnt sein Liebes Pfand.
So er Mariae aufgericht
In ihrem Gnaden Templ

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. ac Conv. Hal. Franciscan.
[2] Monum. Prov. Tyrol. et Conv. Ehing. Franciscan.

Willst mit ihm gmessen Gottes Gsicht
Nim von Ihm ein Exempl.

M D C C X X X I I I.

Mense Mart. die XI.

432. In Conventu *Waldseensi*[1] quiete sua fruuntur: Praenob. D. *Ioannes a Brackenhofer*, specialis fautor fratrum, an. 1661 die 16. Septembris defunctus, et prope sepulturam Monialium Tertiariarum e cornu Epistolae conditus. A. R. P. *Teophilus Hueber*, Prov. Austr. Filius, Visitator Commissarius Prov. *Tyrol.*, an. 1748 e vivorum calculo amotus, hac inscriptione donatus: *Hic iacet A. R. P. Teophilus Hueber, ex Provincia Austriae, Prov. Tyrol. Commissarius Visitator generalis, qui in medio visitationis Canonicae cursu visitatus ab alto, totum vitae absolvit cursum, morte subitanea die 9. Martii 1748.* — In Ecclesia Conventus *Kenzingani*, an. 1678[2] Illustrissimus D. *Iosephus de Leman*, Lotharingus, ex iussu Serenissimi ducis Lotharingiae ante Aram S. Annae humo commissus fuit.

433. In Ecclesia Conventus *Inticensis* prope Altare S. Petri de Alcant. Nobilis D. *Michael Dinssl*, cuius Epitaphium et acta n. 367 adducta sunt, quiescit. Sub pulpito Ecclesiae occurrit hoc Epitaphium: *Alda ruhet in Gott der Edl, und hochgelehrte Herr M. Melchior Pascha Proto-Notarius apostolicus, der Römisch Kayssrl. Maiestett etc. etc. Familiaris Domesticus, und Rath, auch Hochfürstl. Brix. geistlicher Rath, Canonicus und Pfarrer zu Innichen. Dessen Seel die Güette des Allerhöchsten mit ewig himlisch. Freud begnade. Ist Todts verblichen den 20 Tag Monats Maii Anno 1716.* In Sacello S. Antonii Paduani: *Haec Requies mea in Saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Psal. 131, v. 15. Ioannes Casparus Troyer, ab Aufkirchen Canonicus Inticensis, hic idem, qui ibidem obiit IX. Nov. M. D. CC. XIX.* P. R. D. *Dominicus Schrafft*, Canonicus et Parochus Inticensis, benefactor, an. 1780 ex hac vita amotus[3].

434. In Ecclesia Monasterioli *Telffsensis*[4] conspicitur haec inscriptio sepulchralis: *Alhier ruhet in Gott, der hoch-und wohlgelehrte Herr Herr Leopold Lorenz Graff Fieger, Freyherr zu Hirshperg, Herr zu Sigmundslust und Mitterhardt, Obrister Erblandt Iägermaister, und Mitt-Pfandts Innhaber der Herrschaft Hertenperg, auch in Leben gewester Chur Pfälzischer Camerherr welcher den 13. Iunii an. 1716 in 32. Iahr*

---

[1] Monum. Convent. Waldseens. Franciscan.
[2] Monum. Conv. Kenzing. Franciscan.
[3] Monum. Prov. Tyrol. ac Conventus Inticensis Franciscan.
[4] Monum. Prov. Tyrol. a Hospit. Telffsens. Franciscan.

seines Alters in Gott seelig entschlaffen. Requiescat in pace. In Ecclesia Conventus *Lucariensis*[1] eo tempore, quo Provinciae Tyrol. suberat, ossa sua reposuerunt: Illustriss. DD. *Ioannes Comes de Ortenburg*, fundator eiusdem, an. 1616 vita functus. Illustriss. D. *Ferdinandus Comes de Ortenburg,* istius filius. De eo ut mortuo Illustriss. D. *Georgius Comes de Ortenburg* in instrumento, an. 1619 die 20. Maii signato, mentionem facit, iubens, ut eius sepulchrum insignibus ornetur. *P. Henricus Widmann*, emeritus Minister Prov., † 1610.

435. In tractu Parthenii *Brixinensis* Clarissarum quiete sua potiuntur: Nobilis Domina *Sophia de Anger,* an. 1620 die 1. Sept. vita functa. *P. Ioannes de Winna,* credibilius *Vienna,* in peristylio ad latus Hospitii Francisc. tumulo illatus, ac ista inscriptione donatus: *Anno Domini M.CC.LXXXV. Dominica Invocavit, obiit Reverendus Pater Frater Iohannes de Winna Custos Karinthiae, quondam Doctor omnium artium, hic sepultus. Fratres mei dilectissimi! orate pro me. Iacobus Gerhart* civis Brixinensis, ac † anno de praesenti non legendo, in arca ante modernam Sacristiam conditus. Nob. D. *Sigismundus Gerhart,* † 1508 die 19. Novembris, Nob. D. *Helena Füeger,* eius Uxor, † 1508 die 6. Ianuarii. Nob. D. *Christophorus Gerhart,* fati Sigismundi Nepos, † 1567 die 8. Februarii, in ipsa Ecclesia ad Ianuae latus ineunti dexterum humati. Nob. D. *Simon Gerhart,* † 1518 die 23. Octobris et Nob. Domina *Emerentiana Brandisserin,* eius Uxor, ad ianuae latus intranti laevum occurrentes. Nob. Domina *Barbara Wirsing,* Wilhelmi Fux Vidua, † 1522 die 27. Martii. Nob. D. *Georgius Gerhart,* † 1560 die 24. Februarii. Nob. D. *Ioachimus Gerhart,* eius filius, † 1569 die 11. Octobris, in Coemeterio sepulti. Reverendiss. et Illustriss. D. *David a Spaur,* Praepositus in Cathedrali Ecclesia Brixinensi, anno 1580 creatus Hospitalarius in Insula S. Crucis, † 1600 die 15. Martii, in Coemeterio ad Ianuam exteriorem veteris Capellae, olim SS. Salvatoris nunc S. Mariae ad Nives tumulo illatus. Accedunt Illustriss. D. *Hugo II. Comes de Taufers,* filius Hugonis I. Comitis de Taufers, Rudolphum I. Imperatorem in bello contra Ottocarum III. Bohemiae Regem comitati, an. 1308 testem[2] se subscribens, † 1309; revide n. 157. *P. Gabriel Raber,* Meranensis, Prov. Tyrol. Franciscan. Minister, n. 291 pluribus delineatus, † 1606. *P. Ruffinus Laxner,* eiusdem Provinciae Minister, † 1687; plura de eo n. 309 inveniuntur[3].

436. In Monasterio *Friburgensi* Clarissarum, extra urbem situ et actu diruto, Cineres suos reposuerunt: *Ego,* al. *Egon, Landgravius Stühlingen-*

---

[1] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Conv. Lucaviensis olim eorundem.

[2] Coronini in genealog. Comit. Gorit. p. 188.

[3] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. et Parthen. Brix. Clariss. Reschius in Monum. Eccles. Brixin. p. 57, 58 nec non 48 ac 63.

sis ac Brisgoiensis, Comes Fürstenbergensis ac Friburgensis, qua Fürstenbergensis in Calculo « Lexici Basil. » XII. (al. V. aut VI.), qua Friburgensis iuxta « Chron. Friburgense » et « Schoepflinum », III., Cunonis seu Conradi I. filius, Conrado II. suo filio, a quo captus fuerat, regimen an. 1316 cedens, paulo post exstinctus. *Catharina de Liechtenberg,* eius Coniux, † an. mihi non noto[1].

437. In Ecclesia Parthenii *Halensis* Clarissarum adest haec[2] inscriptio: *Sepulchrum D. Christophori Gartner huius Ecclesiae fundatoris 7. Novembris anno 1637 et Dominae Mariae Coniugis suae 17. Iulii anno 1646 in Christo defunctorum, ac 22. Martii, 1675 huc translatorum, eiusque familiae.* — Ex Choro Celsiss. Princip. ac Episcop. Brixinensium unus sepulturam apud Franciscanos selegit, non quidem in Conventu nostrae Provinciae, sed Romano-Ara-coelitano, Provinciae Romanae regularis Observantiae inserto, videlicet Eminentiss. DD. *Melchior a Meckau*[3] al. *Meggiau,* al. *Melchior Copis* a Meckau, successor Georgii IV. Golseri circa an. 1489 vita functi, ad purpuram Presbyteralem Cardinalitiam sub titulo S. Nicolai ab Alexandro VI. PP. an. 1492 elatus, Legatum Maximiliani I. Caesaris coram Summa Sede agens, an. 1509 die 3. Maii vitam suam piissimam conclusit, in Ecclesia fati Conventus abs inscriptione funerali conditus.

CAPUT IX.

MONASTERIA EXSTANTIA FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM, AC CAPUCINORUM, NEC NON CLARISSARUM, AC TERTII ORDINIS ALTERIUS IURISDICTIONIS, INTRA AUT IUXTA LIMITES PROVINCIAE TYROLENSIS FRANCISCANORUM SITA.

§ I.

Domicilia actualia FF. Minorum Conventualium.

438. Ingressum facio a Coenobiis Provinciae Argentinensi FF. Min. Conventualium substratis, inter quae occurrunt mihi sequentia: *Conventus Constantiensis.* Constantia civitas Episcopalis, alibi descripta, Minoritas

---

[1] Henninges in Stirp. German. et Gall. t. 4. part. I. p. 286, 287, 293 et 439. Lex. Basil. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 364. Citans Balbinum. Chron. Friburg. apud Königshovium p. 22 ac 30. Schoepflin in hist. Zaringo-Badensi, tab. Genealog. V. p. 221 ac 244.

[2] Monum. Parthen. Halens. Clariss.

[3] Catalogi Ep. Brixin. Brandis in Aquila Tyrol. part. 2. p. 8. Petrus Ant. a Venetiis in Horto Seraphico t. I. p. 772. Eggs in supplement. novo purpurae doctae p. 252.

an. 1240 admisit, et in Capella S. Mariae Verbum Dei annuntiantes auscultata est. Innocentius IV. P. Bulla an. 1247 die 7. Oct. signata, Priori Dominicano ac Guardiano Minoritico Constantiensi, nec non Praeposito Ecclesiae S. Galli Commissionem attribuit. Idem fundo fratribus an. 1250 concesso, et structura formata expensis ac subsidiis D. Baronis de Grüenberg, nec non civium inchoata, Brevi: *Quoniam ut ait Apostolus*[1], Assisii Kal. Iunii Pontif. an. X. seu an. 1252 die 1. Iunii (neutiquam 1. Iulii) expedito, fabricam istam fidelibus commendans, istis ad eam concurrentibus, 40 dies de iniuncta poenitentia relaxavit. In Ecclesia huius Conventus in *Prov. Alemannica superiori,* Custodiae Lacus Acroniani annexi, *Fr. Bernardus* an. 1255 primam Concionem declamavit. In divisione Ordinis, an. 1517 facta, Conventus Conventualibus remansit. Quiescunt in eo variae Personae Stirpe aut Munere clarae, in Prov. Argentinensi sistendae. Familiae *Landseensis* ac *Ehingana* in eo suas Capellas recensent. In Capella Landseensi imago B. V. Mariae Auxiliatricis, ab Archiduce Leopoldo Georgio Dietrich a Landsee, Ecclesiae cathedralis Decano, ac subin Episcopo Curiensi, dono data, devotioni fidelium prostat[2].

439. *Conventus Uberlinganus*[3], *Uberlingae,* vulgo *Uberlingen,* civitate Imperiali circuli Suevici, Catholicae Religioni addicta ac ad Lacum Acronianum posita, surgens, suum primum esse circa an. 1300 obtinuit in *Provincia Alemannica superiori* seu *Argent.* F. F. Min. sub Custodia Lacus Acroniani conclusus. Pro fundi donatrice reveretur Illustriss. D. *Elisabetham Baronessam de Königseck,* natam *de Hohenfels,* Viduam, orationi maximopere deditam quae; Ecclesia ab Ordinario Loci an. 1348 Dominica tertia post Pascha consecrata, spiritum ultimum duxit et ad gradum Chori tumulata fuit. Incolae eius, lapsu temporis Conventuales dicti, Coenobium in divisione Ordinis retinuerunt et adhuc retinent, scholas inferiores in bonum iuventutis docentes. *Conventus Heitershemiensis*[4], *Heitershemii* vulgo *Heitersheim* aut *Heitersen,* pago Brisgoiae Crozingae et Stauffae vicino, quoad temporalia S. Ordini Melitensium, quoad spiritualia Episcopo Constantiensi moram gerente, status. Reverend. et Illustriss. D. D. Ioannes Fridericus ab Hund, S. R. I. Princeps Ord. Equitum Melit. Magnus per Germaniam Prior et Commendator in Hitersheim, voto se obstrinxit colo-

---

[1] Bullar. mox citand. Bullam hanc ac priorem sistit.

[2] Bullar. Franciscan. t. I. p. 493 et 616. Hueb. in Chron. Col. 48. 60. 886. 889. Wad. t. 9. an. 1400 n. 12. in Prov. Aleman. superioris p. 224. Speth. in Chron. Constant. p. 75 et 208 ac 264. Stumpf in Chron. Helv. L. 5. c. 10. fol. mihi 398. Suev. Eccles. p. 247 etc. Catalog. Dioec. Constant. p. 323 et alii.

[3] Hueb. in Chron. Col. 887. 889 ac 891. Wad. cit. Suev. Eccles. p. 799. Catalog. cit. p. 324.

[4] Hueb. in Chron. Col. 886. 889 ac 890. Suev. Eccles. p. 397 ac 401. Bullar. Capuc. t. 4. p. 68. P. Romualdus a Stockachio p. 397 etc. Catalog. cit. p. 324 et alii.

niam Capucinorum hoc in loco plantandi, et Monasterium an. 1616 aut uti P. Romualdus a Stockach asseverat an. 1618 suo aere excitavit. Capucinis, esto Minister eorum Generalis consensum dederit, illud non acceptantibus, Conventuales in illud immisit. Motus pro istis dimittendis et illis substituendis; posteriori tempore facti effectu caruerunt. *Hueber* perperam locum Claustri *Haidenheim* vocat, istudque an. 1517 erectum erronee supponit. Sane Haidenhemium civitas Sueviae, Duci Wirtenbergico devota ac ad fluvium Brenz in Dioeces. Augustana sita, Minoritarum Conventum nunquam numeravit, et ipsemet Hueber locum Conventuum describens eum in Brisgoia locat. Deficit quoque Auctor « Suevicae Eccles. » ultra Coenobium Seraphicum Heitershemiense, etiam Haidenhemiense ad fluvium Brenz exprimens. Allegat quidem pro se Hueberum; ast cum hic inter Heitershemium et Haydenhemium non distinguat, haec auctoritas ei non opitulatur.

440. *Conventus Brisacensis*[1]. Minoritae Brixaci iam in primo Ordinis saeculo incolatum nacti sunt. Traho ex Annalibus Colmariensibus Dominicanorum, ab Auctore coaevo congestis, in quibus ad an. 1295 haec dicuntur: *V. Kalendas Augusti Fulgur pilos Procuratoris Ord. Minorum in Brisaco combussit illaeso corpore.* Inde ad locum, a fratribus Tertiariis Seraphicis opere textrino vitam suam sustentantibus ac Minoritarum Ordinem ingressis, inhabitatum migrarunt. Praenobiles Domini *Eberhardus Fischler* et *Anna Rufin de Rubeaco* nec non *Mechtildis,* quondam Domini Henrici de Bolsenheim relicta Uxor, praedictam Tertiariorum Domum et alias coementes, in ea Monasterium, an. 1302 inchoatum una cum Ecclesia construxerunt. Fratres eius sub *Prov. Germaniae superioris* et Custodia Alsatiae seu *Argentinensi* constricti, tempore interdicti generalis a Ioanne XXII. occasione Ludovici Bavari Imperatoris lati illud observarunt. Conventuales effecti adhuc tales sunt, et adolescentes in scholis inferioribus instruunt. *Conventus Offenburgensis*[2], *Offenburgi (Offenburg)* civitate Imperiali circuli Suevici, in Dioecesi Argentinensi ad fluvium Kinz in Ortenavia cubante, in saeculo XIII. extructus et sub eadem *Provincia* et Custodia constrictus. Ioannes Tusculanus Episcopus, Legatus Apostolicus Guardiano eiusdem an. 1287 praecepit, ne fratres et sorores de Poenitentia S. Francisci ad audienda divina et ad Ecclesiae Sacramenta recipienda admittat. Coenobium in divisione Ordinis penes Conventuales stans actu ab iis scholas inferiores tradentibus incolitur.

441. *Conventus Villinganus*[3] esse suum in acceptis refert Illustrissimo

---

[2] Annal. Colmar. Dominican. p. 29. Wad. cit. p. 223. Hueb. in Chron. col. 48. 60. 886. 888 ac 889. Suev. Eccles. p. 203. Catalog. cit. p. 223. Monum. Conv. Brisac. Conventualium.

[2] Bullar. Franciscan. t. 3. p. 597. Hueb. in Chron. Col. 60. 887. 889 et 890. Wad. cit. Suev. Eccles. p. 648.

[2] Hueb. cit. Col. 887 ac 891. Wad. cit. p. 224. Suev. Eccles. p. 807.

D. *Henrico Comiti de Fürstenberg* ac *Agneti* eius Uxori an. 1268 eum fundantibus. Innotescit ex hac inscriptione lapidi illata: *Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, Dominica prima post octavam Epiphaniae, Monasterium hoc ab Illustri et generoso Comite Henrico de Fürstenberg et Coniuge eius Agnete fundatum est; primusque loci Guardianus fuit Frater Henricus a Friburgo.* Claustrum hoc pro sua matre *Provinciam Alemannicam* adoravit ab ea Custodiae lacus Bodamici adscriptum. Incolae eius successu temporis agnomine Conventualium condonati, illud in divisione Ordinis possederunt et actu possident, iuventutem in scholis inferioribus instruentes. *Conventus Montis S. Victoris*[1], a S. Victore P. et M. cuius caput retinet nomen adeptus. Mons hic in Dioecesi Curiensi et Comitatu Feldkirchensi situs ac duobus horis Feldkirchio dissitus venerationem suam debet S. Eusebio, natione Scoto Eremitae, Laico professo Monasterii San-Gallensis Ord. S. Benedicti, qui hoc in Monte de licentia suorum Superiorum 30 annis vitam eremiticam agebat et virtutibus fulsit circa an. 800. Perversis hominibus cum falce foenaria capite plectentibus, necatus caput suum sustulit, et ex planitie ad suum Eremitorium in monte portavit ibi terrae mandatum. Ex quo facto et praesertim cum miraculis coruscaret, concursus ad eius sepulchrum fieri coepit, qui pluribus saeculis continuatus locum celebrem reddebat et ansam dedit construendi apud hoc Sanctuarium quoddam Monasterium. — Circa autem eius initia variae sunt Scriptorum opiniones. Auctor « Sueviae Ecclesiasticae » opinat, quod istud Coenobium coincidat cum Monasterio S. Viti seu S. Ursi prope Brigantiam sito, circa an. 1422 uti volunt *Lazius* et *Henniges* a *Stephano Comite Montfortensi* fundato. — Certius tamen pro huius Coenobii fundatore venerandus est Illustrissimus Rudolphus III. Comes de Montfort, ultimis saeculi decimi quarti decenniis Feldkirchii et in vicinia Dominus, qui sicuti varia dant documenta an. 1383 hoc in Monte pro fratribus Minoribus Monasterium construere coepit, illudque Minoritis Provinciae Argentinae concredidit, qui illud Custodiae Acronianae adiudicarunt. Fratres hoc in Conventu sedentes successu temporis leviorem vitae normam attraxerunt ad Conventualismum declinantes; et etiam divisione Ordinis an. 1517 stemmati Conventualium cessit, qui illud usque ad tempora Iosephi II. Imperatoris incoluerunt, a quo cc. an. 1782 al. 1787 suppressus et in Parochiam mutatus est. Flammis an. 1641 consumptus, in nova mox sicut hodiedum adhuc conspicitur surrexit forma. Verosimiliter etiam omnibus suppositio apparet hoc in loco tantummodo Caput S. Eusebii M. locatum esse non vero etiam Caput S. Victoris P. et M. requiescere; et montem alia ex causa nomen

[1] Rudolph. fol. 290. Henninges t. 4. in Stemmat. german. etc. p. 358. Lazius de Migrat. gentium L. 8. fol. 441. Lang in Ichnograph, Historico-Theolog. t. 1. p. 998. Suev. Eccles. p. 806 etc. Rel. P. Benedicti Wagner, Convent., Auctor Chron. Prov. Arg. mihi § 5. n. 50.

a S. Victore hausisse. — Clariss. « Sbaralea » in Notis ad « Bullar, Franciscan.[1] » asseverat, quod *Rottenburgi ad Nicarum* Conventus Conventualium, *Provinciae Alemannicae* insertus, in Custodia Sueviae quartus steterit, at fallitur nam per istum Conventum intelligitur *Rottenburgensis ad Tubarim* in Franconia, de quo solo vestigia adsunt. Moniales tertii Ordinis Rottenburgi ad Nicarum sedem obtinuerunt; non vero Minoritae.

442. Provincia *Germaniae superioris* Conventualium quosdam fratres in Partheniis Monialium[2] ad servitia iisdem praestanda, locare solet: *Valdonae, Wittichii* et *in Paradiso* apud Clarissas duo, *Thalbachii Moshemii, Hetmansbergae* et *Weppachii* unus residere solent. Unicus Tertiariis *Laizensibus* et *Gorrhemiensibus* simul inservit. Provincia *Austriaca* Conventualium[3] unicam residentiam fratrum *Merani* vulgo *Meran,* nobili Tyroleos civitate, intra Dioecesin Curiensem et Dominium Austriacum iuxta fluvium Athesin constricta, numerat, quae ipsi Monasterio Clarissarum infra describendo, verosimilius coaeva est, et olim in Custodia Felicensi seu Villacensi sedem habuit. Fratres eius in S. Tribunali et Cathedra Monialibus sua servitia spiritualia deferunt.

§ 2.

Domicilia Provinciae Tyrolensis FF. Min. Capucinorum, intra aut prope Limites Provinciae Tyrolensis Franciscanorum plantata.

443. P. P. Capucini, an. 1593 *Oenipontum* missi ibique mox Conventum nacti, intra breve tempus Monasteria in Tyroli, Suevia, Bavaria, Franconia ac Archiepisc. Salisburgensi ad tantum numerum extulerunt, ut an. 1605 formata *Provincia Tyrolensis* instituta fuerit. Ex ea an. 1668 *Provincia Bavarica* profluxit, Monasteria Bavariae, Palatinatus Superioris, Rhaetiae inferioris ac circuli Franconici ad se trahens. Provincia Tyrolensis actu constringit 21 *Conventus* videlicet: Oenipontanum, Salisburgensem, Augustanum, Bulsanensem, Brixinensem, Meranensem, Günzburgensem, Enniensem, Brunopolitanum, Sterzingensem, Radstadiensem, Eppanensem, Mühldorfiensem, Schlandernensem, Lauffensem, Lanensem, Weissenhornensem, Imstensem, Dilinganum, Clusinensem et Kitzbichlensem. *Hospitia* incolit septem videlicet: Riedense, Malsense, Taraspense, Burgoviense, Monasteriense, Werfense et Höchstadiense. Iam brevi calamo Monasteria ac Monasteriola, intra metas Prov. Tyrol. Franciscan. versantia, describo[4].

---

[1] T. I. p. 514.

[2] Relationes particulares.

[3] Scriptores in descript. Parth. Meranens. Clariss. adducendi.

[4] Bullar. Capuc. t. 4. p. 123. 129 etc. ac 372. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 378. Monum. Prov. Tyrol. Capuc.

444. *Conventus Oenipontanus, S. P. Francisci*[1] pro suis fundatoribus reveretur Sereniss. *Ferdinandum Magnanimum* et *Annam Catharinam* Coniugem eius, Capucinos ex Provincia Veneta advocantes et pro iis Claustrum, pro quo primus lapis ab ipso Archiduce terrae iniectus, an. 1593 extruentes. *Conventus Bulsanensis, S Antonii* (iuxta Brandisium a Comite *Engellhardo de Wolkenstein* fundatus) an. 1601[2] excitatus. *Conventus Brixinensis, S Catharinae*. Clemens VIII. P. Bulla: *Cum sicut accepimus* an. 1602 Ecclesiam S. Catharinae extra muros Capucinis pro domo Regulari concessit, titulumque Beneficii ac eius proventus ad quoddam Ecclesiae Cathedralis Altare transferri Episcopo et Capitulo commisit. An. 1604 structura Conventus ingressum habuit. *Conventus Meranensis, S. Maximiliani*. Paulus V. P. Bulla: *Pium desiderium* an. 1613 annuit, ut P. P. Capucini Merani confessiones excipere possint. An. 1616 Claustrum ad suum esse pervenit. *Conventus Günzburgensis, B. V. Mariae Assumptae*[3] a *Carolo Austriae Duce* ac *Marchione Burgoviae* an. 1616 fundatus. In Ecclesia eius, an. 1618 consecrata, dictus *Fundator* an. eod. prid. Kalend. Nov. mortuus ac habitu Capucinico indutus, nec non *Sibylla* eius ab an. 1602 (uti « Metereren » « in Hist. Belg. » L. 22. p. 715. ait) Uxor, nata Ducissa Iuliacensis, an. 1627 die 10. Decemb. defuncta, quiete sua fruuntur. *Carolo* correspondet haec inscriptio: *Carolus Austriae D. G. Marchio Sac. Rom. Imp. Burgoviae Landgravius Nellenburgi, Comes Hohenbergae, Dominus in Veldkirch, Bregenz et Hoheneck, Archiducis Ferdinandi ex Philippina prima eius Coniuge filius obiit Ueberlingae prid. Calend. Novemb. Anno Domini MDCXVIII hoc sub monumento iacet. Cuius anima Deo vivat. Sibyllae* adhaeret ista: *Deo optimo Maximo, Sibylla Dei gratia Marchionissa Burgoviae Landgravia Nellenburgi, Comitissa Hohenbergae, nata Ducissa Iuliae, Cliviae, Montium etc. Caroli Marchionis Burgoviae Coniux hic sepulta iacet, obiit Günzburgi anno Domini MDCXXVII die XVI. Decembris, cuius anima Deo vivat*[4].

445. *Conventus Enniensis, SS. XIV. Auxiliatorum*, an. 1618 uti asserunt « Monum. Prov. Tyrol. » Capuc. et « Continuator Orb. Seraph.[5] » extructus. Porro Ennia, germ. Neumarkt, Italice Egna est oppidum Tyroleos, in Valle Athesina ac Dioecesi Tridentina conclusum et ab Athesi

---

[1] Iuxta Monum. cit. SS. Tres Reges ex aliquo usu Patroni dici queunt.

[2] Iuxta Monum. cit.

[3] Iuxta Monum. cit. unde S. P. Franciscus non bene a quodam ceu S. Patronus allegatur.

[4] Bullar. Capuc. t. 4. p. 123. 125 etc. ac 372. Monum. Prov. Tyrol. Capuc. ac Francisc. Wolkenstein in Chron. MS. Tyrol. L. 13. p. 278. 310. Mohr. in Chron. MS. Tyrol. fol. 22. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 378 etc. Brandis. part. 2. p. 129 et 136. Khaam in Hierarch. August. part. 1. p. 391 ac 412. Suev. Eccles. p. 372. Topograph. Austr. part. 1. p. 364 etc. et part. 2. Tabula LXIII.

[5] Non attendo an. 1617. in Bullar. Capuc. allegatum.

fluvio humectatum. *Conventus Brunopolitanus, SS. Trinitatis,* Brunopoli seu Brauneggii, civitate vallis Pustriae ac Dioecesis Brixinensis an. 1626 fundatus. *Conventus Sterzinganus, S. Mariae Magdalenae,* Sterzingae vulgo Sterzingen civitate comitatus Tyroleos, ac Dioeces. Brix. an. 1636[1] iuxta Monum. tacta excitatus. *Conventus Eppanensis, S. Mariae Visitantis,* Eppani vulgo Eppan oppido Tyroleos, ac Dioeces. Trid. in valle Athesina positus, an. 1638 erectus. *Conventus Schlandernensis, S. Ioannis Baptistae,* Schlandernae vulgo Schlanders oppido Comitatus Tyrol., Vallis Venustae ac Dioecesis Curiensis, an. 1648[2] excitatus[3].

446. *Conventus Lanensis, S. Iosephi, Ioachimi et Annae,* Lanae vulgo Lana oppido Vallis Athesin., Dioeces. Trident. an. 1664 aedificatus. *Conventus Weissenhornensis, S. Sebastiani.* Weissenhornium vulgo Weissenhorn, civitas Sueviae Dioecesis Augustanae ditionis olim Fuggerianae nunc Austricae ad amnem Rott sata, pro Capucinis an. 1667[4] iuxta Monum. Prov. Tyrol. Capuc. et alios Coenobium inchoavit ac Ecclesiam an. 1669 consecrationis gratia affectam esse suspexit. *Conventus Imstensis, S. Iosephi.* S. Congregatio Episc. et Regul. Imstii novam fratrum Domum construi servatis servandis an. 1675 concessit, negotium ad formatum Conventum an. 1679 uti Monum. Prov. Tyrol. Capuc.[5] dant, devenit. De cetero Imstium est oppidum Tyroleos in Valle Oenana superiori ac Dioecesi Brix. prope fluvium Oenum quiescens. *Conventus Clusinensis, B. V. M. Immaculatae et S. Felicis a Cantalicio,* Clusinae vulgo Clausen, civitate Tyroleos ac Dioec. Brix. in Brixinam et Bulsanum iuxta fluvium Eisack sita an. 1699 fundatus, SS. Reliquiis ac pretiosis paramentis, a Maria Anna Hispaniae Regina Capellae Lauretanae dono datis, instructus. *Conventus Kitzbichlensis, S. Ioan. Bapt.,* Kitzbichlium seu Haedicollis, vulgo Kitzbichl, civitas Tyroleos in Valle Oenana inferiore ac Dioeces. Chiemensi considens, Capucinos an. 1701 ex Monum. Prov. Tyrol. Capuc. admisit[6].

447. *Hospitium Riedense, S. Crucis Riedae,* vulgo Ried pago Brixin. Dioeces. in Valle Oenana superiore an. 1694[7], conformiter ad Decretum S. Congregationis Episc. et Regul. obtentum. *Hospitium Malense, S. Mariae Angelorum,* Malsii vulgo Mals, oppido vallis Venostae, Dioecesis Curiensis an. 1697 iuxta Monum. Prov. Tyrol. Capuc. et Cont. Orb. Seraph.[8]

---

[1] An. 1628. in Bullar. Capuc. expressus, error calami aut alius erit.

[2] Iuxta Monum. cit.

[3] Bullar. cit. p. 372. Cont. Orb. Seraph. t. 5. p. 379. Monum. citata.

[4] Neutiquam 1664.

[5] Nullo modo an. 1682.

[6] Bullar. cit. p. 133. etc. 139. etc. ac 372. Monum. cit. Khaam. cit. p. 448. Suev. Eccles. p. 891. Cont. Orb. Seraph. cit.

[7] Neutiquam an. 1693.

[8] Non an. 1698.

acquisitum. *Taraspiense, SS. Trinitatis*, Taraspii vulgo Trasp, propugnaculo Tyroleos in valle Oenana superiore, ditione Austriaca a Dioeces. Curiensi reposito, an. 1716 iuxta Monum. et Bullar. citat.[1], inchoatum. *Hospitium Burgoriense, S. Fidelis M.*, Burgovii vulgo Burgau, civitate primaria Marchionatus Burgoviensis ad fluvium Mindel in Dioeces. August. aedificata, an. 1729 erectum. *Hospitium Monasteriense S. Ioannis Baptistae*. Monasterii (Münster) pago, Parthenone nobili Benedictinarum instructo, in ditione Grisonum prope limites Tyroleos posito, an. 1730 iuxta Monum. Prov. Tyrol. Capucinorum, iuxta Continuat. Orb. Seraph. 1733 exortum. Domicilia residua in Prov. Argentinensi ac Bavarica Franciscan. exhibebuntur[2].

§ 3.

Domicilia Provinciae Austriae anterioris Capucinorum, intra aut iuxta limites Provinciae Tyrolensis sita.

448. *Provincia* ista pro Matre sua suspicit *Provinciam Helveticam*, ex ea an. 1668 prodiens. Actu concludit 31 Conventus et 5 hospitia, seu Residentias. Secatur in tres Custodias, videlicet in Constantiensem, Friburgensem et Wangensem. Sub Custodia Constantiensi militant *Conventus:* Constantiensis, Cellensis, Engensis, Villinganus, Rottwillanus, Rottenburgensis, Riedlingensis, Messckirhensis, Uberlinganus, Marchdorfensis et Argensis. *Residentiae:* Stühlingana, Stockacensis, Willerstadiensis et Wormlingana. Sub Friburgensi Custodia coarctantur *Conventus:* Brisgojo-Friburgensis, Neostadiensis, Waldishutanus, Lauffenburgensis, Rhenofeldensis, Stauffensis, Brisacensis, Marchio-Badensis, Oberkirchensis, Offenburgensis, Hasslacensis et Mahlbergensis. *Residentia:* Oppenoviensis. Sub Custodia Wangensi concluduntur *Conventus*: Wangensis, Immenstadiensis, Bezaviensis, Bludentinus, Feldkirchensis, Brigantinus, Ravenspurgensis et Biberacensis. Iam gradum facio observato antiquitatis iure ad succinctam descriptionem illorum Monasteriorum aut Monasteriolorum, quae Provinciae Tyrolensis accubant[3].

449. *Conventus Rhenofeldensis, SS. Trinitatis*[4] *Rhenofelda,* alibi descripta, PP. Capucinos an. 1596 extra urbem admisit. Claustro a Suecis

---

[1] Neutiquam an. 1715.

[2] Bullar. Capuc. t. 4. p. 139 ac 372. Monum. cit. Cont. Orb. Seraph. cit.

[3] Romualdus a Stockachio in Hist. Prov. Aust. ant. Capuc. p. 32 etc. 430 etc. Monum. eius ac Bullar. Capuc. t. 4. p. 62 ac 366.

[4] Suev. Eccles. p. 713. Bullar. Capuc. t. 4. p. 366. P. Romualdus cit. p. 168 etc. et in tabula finali.

an. 1634 flammis absumpto, intra urbem an. 1655 iisdem aliud exstruxit. Ecclesiae primae Reverendiss. et Celsiss. DD. Iacobus Christophorus Blarer Episc. Basil. die 25. Oct. an. 1598; secundae vero Rmus D. Thomas Henrici Episc. Chrysopolitanus Suffrag. Basil. an. 1657 die 4. Octob. beneficium Consecrationis contulit. *Conventus Friburgo-Brisgoicus* [1], *B. V. M. Immaculatae*, an. 1599 acquisitus, an. 1600 lapide primo posito inchoatus, Ecclesia eodem an. a Rmo D. Iacobo Mergelio ex Engen Episc. Sebasteno, et Suffrag. Constant. dedicata, a Gallis an. 1680 destructus et in moderno solo intra moenia eod. an. coeptus. Ecclesiam Rmus D. Conradus Ferdinandus Geist a Wildegg Episc. Trical. et Suffrag. Constant. an. 1699 die 12. Maii inauguravit. *Conventus Feldkirchensis* [2], *B. V. M. Praesentatae.* Feldkirchium germ. Feldkirch, civitas Rhaetiae Superioris, Dioeces Curiensis ac Dominii Austriaci, caput Comitatus Feldkirchensis, PP. Capucinos ad actum possessorium ceu incolas an. 1601 admisit, 1602 die 5. Febr. Crucem figi conspexit, 1603 fabricae initium dedit et 1605 eam ad fastigium promovit. Templo eod. an. die 30. Nov. Cels. et Rmus D. Ioannes Flagius Episc. Curiensis Episcopalem Consecrationem impendit.

450. *Conventus Constantiensis, S. Iacobi Apost.* [3], an. 1602 acceptatus, 1603 die 3. Ianuarii erectione Crucis, die 12. April. positione primi lapidis in Paradiso inchoatus, Ecclesia an. 1604 die 19. Sept. a Celsiss. et Revmo D. Ioanne Georgio Hallweil Episc. Constant. dedicata, et an. 1647 [4] die 10. Febr. ne hosti contra civitatem inserviat a civibus solo aequatus. Loco eius in suburbio Stadelhofen prope portam Creuzlinganam novus aedificatus est, Celsiss. et Rmo DD. Francisco Ioanne de Prasberg primum lapidem an. 1648 die 19. Martii terrae iniiciente, et an. 1649 die 4. Oct. ipsius Ecclesiam consecrante. Cum autem fundus cui hoc Monasterium incubuit, ceu nimis palustris et uliginosus, sanitati fratrum sat crebro damna inferret, novum solum intra civitatem retro forum frumentarium comparatum, eique novum claustrum ex piorum eleemosynis instratum est, an 1694 die 4. Decemb. inchoatum et an. seq. die 4. Oct. primitus inhabitatum. *Conventus Uberlinganus, B. V. M. Praesentatae* [5] an. 1618 acceptatus, Cruce an. sequente erecta inchoatus, et expensis spectatissimi Domini Iacobi Unger Hagnoviensis, ut ita dicam, Ammani, an. 1621 ad terminum deductus. Templo eius Rmus Ioannes Iacobus Mergelius Episc. Sebastenus S. Liquores effudit. Cives formidantes, ne Gustavus Hornius Suecicus Dux,

---

[1] Suev. Eccles. p. 334 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 106 etc. et in tabula finali.

[2] Suev. Eccles. p. 804 etc. Bullar. cit. P. Romualdus cit. p. 224 et in tabula finali.

[3] Suev. Eccles. p. 248 etc. Romualdus cit. p. 94 etc. et in tab. final.

[4] Annum hunc insinuat inscriptio, in Suev. Eccles. et a P. Romualdo allegata: unde, cum Iste aliquando assignet an. 1638 error calami, aut alius erit.

[5] Suev. Eccles. p. 799 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 215 etc. ac in tab. fin.

ab iis ad solvendam obsidionem adactus, iterum rediret et Monasterio in perniciem urbis uteretur, illud an. 1631 mense Maio exusserunt et diruerunt. An. 1636 nova fabrica ruderibus prioris superimposita initium sumpsit, an. 1638 ultimam manum consecuta, et per Ecclesiam an. 1640 die 29. April. a Celsiss. et Reverendiss. D. Ioanne de Wolfegg Episc. Constant. consecratam, recreata. Gallis an. 1643 Conventum flammis iniectis ad fundum usque evertentibus, civitas an. 1650 statuit Capucinos intra moenia recipere. Ædibus quibusdam ibi coemptis, Crux an. 1651 die 23. Aug. fixa, structura inchoata et intra triennii spatium potissimum ex aere Praenob. Dominae Barbarae ab Eschlinberg natae Reittlinger et D. Elisabethae Unz natae Besser ad fastigium elata est. Rmus et Celsiss. D. Franciscus Ioannes Constant. Antistes Ecclesiam sacra Caeremoniarum festivitate an. 1658 die 27. Octob. dedicavit.

451. *Conventus Engensis*[1], *B. V. M. Annuntiatae.* Enga, vulgo Engen, civitas Hegoiae, Dioec. Constant. ac Dominii Fürstenbergici an. 1618 PP. Capucinos recipiens, Claustro ex diversorum benefactorum subsidio absoluto, eos condonavit. Ecclesiam eius Rmus D. Ioannes Antonius Episc. Tiberiadis, et Suffrag. Constant. an. 1623 die 20. Aug. solemni ritu consecravit. *Conventus Rottenburgensis*[2], *B. V. M. Assumptae,* extra portam meridionalem civitatis Rottenburgensis an. 1622 in mense Octobri inchoatus, an. 1625 ex diversorum benefactorum ope perfectus, et de Ecclesia an. eodem die 4. Maii a Rmo Suffrag. Constantiensi consecrata gloriosus. Miles Gallo-Suecicus, an. 1644 eum rebus suis, demptis S. Hierotheca et Calicibus haud abs speciali Dei providentia eidem subtractis, exuit. Mersius Verdanus et Rauschenbergius Imperialium copiarum Duces, sua liberali manu damnum Monasterio illatum resarcierunt. *Conventus Cellensis*[3], *S. Georgii M.,* Cella seu *Ratholdi Cella* vulgo Ratholphcell aut Zell am Bodensee, civitas ditionis Austriacae, Dioeces. Constant. PP. Capucinos an. 1622 acceptans, lapidem primarium pro claustro an. 1625 die 25. Febr. terrae immisit. An. 1627 quo aedificium consummatum, die 3. Oct. Celsiss. et Rmus D. Sixtus Wernerus Episc. Constant. principem Ecclesiae Aram, die seq. Rmus D. Ioan. Antonius Episc. Tiberiadis, Suffrag. Constant. residua Altaria S. Liquoribus perlinivit. Miles Württembergicus Suecis confoederatus an. 1632 Engam suae potestatis faciens, sub praetextu firmioris defensionis superiora templi deiecit, inferiora ad modum Valli adaptavit et Claustrum potiori ex parte solo aequavit. Momentosis difficultatibus superatis, Monasterium an. 1659 iuxta P. Romualdum cit. de novo exstructum et consummatum est, Rmo

---

[1] Suev. Eccles. p. 215 et seq. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 101 etc.

[2] Suev. Eccles. p. 729 etc. Bullar. cit. P. Romualdus cit. p. 182 etc. et in tab. fin.

[3] Suev. Eccles. p. 241 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 86 etc.

et Celsiss. D. Francisco Ioanne a Prasberg Episc. Constant. Ecclesiae an. 1660 die 26. Sept. teste citato Patre Consecrationem conferente.

452. *Conventus Rottwilanus*[1], *B. V. M. Assumptae.* Rottwila vulgo Rottweil, S. R. I. urbs in circulo Suevico, ac Dioeces. Constant. ad Nicarum posita, PP. Capucinos an. 1623 acceptans, an. 1627 lapide primo a Rmo Abbate ad S. Georgium terrae immisso fabricae initium dedit, et per benignam plurium opem eidem successive colophonem imposuit. Claustro a Württembergico milite an. 1632 devastato, novum in alia area an. 1636 die 25. Maii inchoatum, exin per dira fata Belli Gallo-Suecici interruptum, et tandem 1649 ex caritate plurium perfectum est, Rmo D. Georgio Sigismundo Episc. Heliopolitano, Suffrag. Constant. Ecclesiae ipsius an. 1655 die 19. Sept. Consecrationem impendente. *Conventus Brisacensis*[2], *B. V. M. Purificatae,* ex gratia Sereniss. Archid. Leopoldi an. 1625[3] acceptatus et fixione Crucis inchoatus, expensis eiusdem an. 1626 absolutus, 1627 die 28. Oct. Consecratione Ecclesiae condonatus est. Provincia Austriae anterioris ex Helvetica an. 1668 excisa, *isti* Brisaco Gallis tunc temporis parente cessit, Brisaco ad Austriacam domum redeunte, Conventus Provinciae Austriae anterioris an. 1700 accrevit. Remeavit ad priorem 1703 ad posteriorem 1715 regressus. *Conventus Ravensburgensis*[4], *S. P. Francisci.* Ravensburgum vulgo Ravensburg, S. R. I. civitas, in circulo Suevico et Dioec. Constant. plantata et ab amne Schuffa humectata an. 1626 die 5. Oct. PP. Capucinis erectionem Crucis indulsit et Coenobium intra biennium complevit. Rmus D. Ioannes Antonius Episc. Tiberiadis, ac Suffrag. Constantiensis an. 1629 die 26. Iunii duas Aras laterales, Celsiss. vero et Reverendiss. D. Ioannes Wolfegg Episc. Constant. princeps Altare ac totam Ecclesiam spectabili Pontificalium perunctione an. 1630 die 17. Maii dedicavit. Lutherani, an. 1649 sub praetextu *Pacis Westphalicae* Monasterium pessundantes, adacti sunt Capucinos denuo admittere et in novi claustri fabricam an. 1660 inchoatam victas manus dare Ecclesiam eius novam Rmus et Celsiss. D. Franciscus Ioannes a Prasberg Episc. Constant. S. Caeremoniis an. 1661 die 21. Iunii initiavit.

453. *Conventus Haslacensis*[5], *S. Christophori M.* Haslachii vulgo Haslach, civitate ditionis Fürstenbergensis, Dioec. Constant. in valle Kinzingana a fluvio Kinz alluta, plantatus, an. 1630 die 11. Nov. per lapidem

---

[1] Suev. Eccles. p. 734 etc. Bullar. cit. P. Romualdus cit. p. 186 etc.

[2] Suev. Eccles. p. 204. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 83 etc.

[3] P. Romualdus in tabula fin. annus 1624 ab ipso pag. 84 allegatus, aut erit erroneus, aut alium sensum habebit.

[4] Suev. Eccles. p. 700 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 159 etc.

[5] Suev. Eccles. p. 384 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 111 et in tabula finali: in qua fors ex errore calami, aut typi, pro fixione crucis an. 1631 allegatur.

primum terrae immissum inchoatus, expensis Illustriss. D. Friderici Rudolphi Comitis de Fürstenberg excitatus et necessaria provisione instructus. Rmus D. Gabriel Episc. Tripolitanus et Suffrag. Argentinensis an. 1661 die 7. Sept. Ecclesiae et die seq. Sacello Lauretano Episcopalem inaugurationem impertivit. *Conventus Brigantinus*[1], *S. Antonii Patavini*, Brigantiae vulgo Bregenz, civitate Rhaetiae Superioris rupi ad lacum Bodamicum insidente, Dominio Austriaco ac Dioecesi Constantiensi adiuncta Comitatus Brigantini capite, an. 1635 acceptatus, 1636 positione primi lapidis inchoatus et subinde absolutus est. Rmus D. Sebastianus Müller, Friebenbaccensis, Episcopus Adramytanus, Suffrag. Augustanus, ex commissione Celsiss. Episc. Constant. an. 1639 die 9. Oct. Templum eius consecravit. *Conventus Offenburgensis*[2], *S. Mathiae Apost.*: PP. Capucini hic an. 1637 die 20. Oct. actum possessorium producentes et Crucem an. 1640 die 23. April. iuxta P. Romualdum plantantes, an. 1641 formatam structuram inchoarunt et Conventum an. 1645 incolere coeperunt. Rmus D. Suffrag. Argentinensis solemnem Ecclesiae Consecrationem an. 1647 die 12. Maii adiecit.

454. *Conventus Riedlinganus*[3], *S. Sebastiani M.* Riedlinga vulgo Riedlingen, civitas Sueviae, ditionis Austriacae ac Dioec. Constantiensis, Danubio inter Sigmaringam et Marchthalium accubans, an. 1644 PP. Capucinis locum indulgens, an. 1645 die 18. Oct. Crucis vexillum figens, an. 1649 formatum aedificium inchoavit et an. 1655 consummavit. Rmus D. Georgius Sigismundus Episc. Heliopolit. Suffrag. Constant. Ecclesiam an. 1656 die 30. April. dedicavit. *Conventus Bludentinus*[4], *B. V. M. Visitantis.* PP. Capucini Bludenti vulgo Bludenz, civitate Rhaetiae superioris, Dioecesi Curiensi ac Dominio Austriaco asserta, an. 1645 die 8. Oct. Crucem erigentes, in fundo a D. Conrado Zürcher Consule donato Claustrum et Templum exstruxerunt, an. 1651 die 1. Martii flammis consumpta eodem tamen adhuc anno reparata. Celsiss. ac Rmus DD. Ioannes Flugius ab Aspermont, Episcopus Curiensis, Ecclesiae fato anno die 28. Aug. Consecrationis favorem contulit. *Conventus Lauffenburgensis*[5], *S. Ioannis Baptistae* an. 1650 acceptatus, Cruce an 1654 die 14. Iunii terrae infixa, inchoatus et Ecclesia, an. 1660 die 1. April. a Rmo D. Thoma Henrici Episcopo Chrysopolit. ac Suffrag. Basil. consecrata instructus.

---

[1] Suev. Eccles. p. 200 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 77 etc. Dies 8. Oct., quem in tabula fin. assignat, erit error typi, aut alius.

[2] Suev. Eccles. p. 648 etc. Bullar. cit. Romualdus cit. p. 149 etc. Monum. Conv. Ehing. Francisc.

[3] Suev. Eccles. p. 720 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 174 etc.

[4] Suev. Eccles. p. 696 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 64 etc.

[5] Suev. Eccles. p. 496 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 123 etc. et in tab. fin.

455. *Conventus Waldishutanus*[1], *S. Antonii Patavini*, Waldishuti vulgo Waldshut, civitate silvestri Dioec. Constant. ac ditionis Austriacae a Rheno rigata, an. 1650 obtentus, lapide fundamentali, a Rmo Francisco Abbate San-Blasiano an. 1654 die 14. Iunii terrae commisso inchoatus, et Ecclesia a Celsiss. et Rmo DD. Francisco Ioanne de Prasberg Episcopo Constant. consecrata provisus. *Conventus Marchdorfensis*[2], *B. V. M. Immaculatae*. Marchdorfium, vulgo Marchdorf civitas circuli Suevici, milliario germ. Marisburgo disiuncta, in re temporali et spirituali Celsiss. Episc. Constantiensi appropriata, an. 1652 PP. Capucinis actum possessorium indulsit, an. eod. die 4. Oct. primum lapidem pro Claustro posuit, an. 1655 Templum iisdem cessit, et de Ecclesia a Rmo et Celsiss. Principe Francisco Ioanne Episc. Constant. 1659 die 22. Iulii consecrata exultavit. Suggerit haec P. Romualdus in descriptione Monasterii Marchdorfensis, sibi in tabula finali non bene cohaerens, in qua pro erectione Crucis an. 1653 allegat, et consecrationem Ecclesiae ante an. 1659 factam supponit. *Conventus Villinganus*[3], *S. Wendelini*, Cruce an. 1654 die 16. Aug. fixa acquisitus, lapide primo an. 1655 posito inchoatus, an. 1662 consummatus, et Ecclesia an. 1664 die 29. Iunii a Celsiss. et Rmo DD. Francisco Ioanne a Prasberg consecrata recreatus.

456. *Conventus Bezaviensis*[4], *S. Crucis inventae*, Bezavii vulgo Bezau, Comitatus Brigantini, Dioec. Constant. ac Dominii Austriaci pago situs, Cruce an. 1655 die 30. Aug. erecta, an. 1656 die 22. Oct. Consecratione Ecclesiae a Rmo et Celsiss. DD. Francisco Ioanne de Prasberg Episc. Constantiensi affectus, et dignitate Conventus formati an. eodem condonatus. *Conventus Moeskirchensis*[5], *S. Francisci*, Moeskirchii, civitate arce instructa, in Dioecesi Constantiensi et Principatu Fürstenbergico locata, per Illust. D. Franciscum Comitem de Fürstenberg, eo tempore fundi Dominum, et Frobenium Mariam eius Germanum fratrem, Canonicum Ecclesiae Cathedralis Coloniensis ac Argentoratensis fundatus. PP. Capucini, heic an. 1659 die 1. Aug. actum possessorium producentes, an. 1661 die 4. Oct. de Cruce erecta et lapide primo a Rmo Abbate Zwifaldensi posito, et an. 1665 die 21. Sept. de Consecratione Ecclesiae a Celsiss. Francisco Ioanne a Prasberg, Episc. Constantiensi impensa, exultavit. Conventus splendorem adauget Sacellum Lauretanum, pietate Illustriss. D. Mariae Theresiae de Fürstenberg Moeskirch, natae de Arenberg, et Rmi D. Frobenii Mariae mox tacti an. 1676 incoeptum, an. seq. consummatum, et die 5. Sept. a Rmo Geor-

---

[1] Suev. Eccles. p. 853 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 232 etc. et in tab. fin.

[2] Suev. Eccles. p. 562 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 130 etc.

[3] Suev. Eccles. p. 808 Bullar. cit. Romuald. cit. p. 229 etc.

[4] Suev. Eccles. p. 164. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 61 etc.

[5] Suev. Eccles. p. 620 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 134 etc. nec non in tab. finali.

gio Sigismundo, Ep. Heliopolitano ac Suffraganeo Constantiensi consecratum. *Conventus Mahlbergensis*[1], *S. Leopoldi.* Mahlberga vulgo Mahlberg, civitas Marchioni Badensi subdita in Dioecesi Argent. inter Offenburgum et Ettenhemium locata, an. 1672 PP. Capucinos recepit et Monasteriolo initium dedit. Istud an. 1677 hostilibus flammis exustum exin resuscitatum, et an. 1684 ad formatum Conventum elatum est. Anno seq. die 17. Octob. Rmus D. Gabriel Episc. Trypolensis et Suffrag. Argent. Ecclesiam eiusdem S. Ritibus initiavit.

457. *Conventus Stauffensis*[2], *B. V. M. Assumptae,* Stauffae vulgo Stauffen, Dioeces. Constant. civitate, 2 milliaribus germ. Friburgo avulsa, ab Augustiss. Domo Austriaca celeberrimo Monasterio San-Blasiano Ord. S. Benedicti an. 1739 data, situs, 1683 inchoatus, 1685 inhabitatus et 1686 formatus Conventus declaratus est. Ecclesiam Rmus D. Conradus Ferdinandus Geist a Wildegg Episc. Trical. et Suffrag. Constant. S. Ritibus inauguravit. *Conventus Neostadiensis*[3], *S. Antonii Patavini.* Neostadium vulgo Neustadt, oppidum *Silvae Nigrae,* intra ditionem Fürstenbergicam et Dioecesim Constantiensem conclusum, PP. Capucinos an 1670 admisit, et fabricae Residentiae rationem habenti initium fecit. Rmus Conradus Ferdinandus Geist a Wildegg Suffraganeus Constantiensis Ecclesiae eius pontificalem Ritum an. 1695 die 15. Octobris impendit, et Ven. Definitorium an. 1699 Residentiam istam ad dignitatem formalis Conv. extulit. *Conventus Argensis*[4], *S. Antonii Patavini.* Arga seu Langenarga vulgo Langenargen, oppidum Comitatus Montfortensis ac Dioec. Constant. Lacui Acroniano adsitum, an. 1694 die 4. Maii PP. Capucinis locum dans, an. 1696 die 8. Martii structuram per primarii lapidis positionem inchoavit et subin consummavit. Fatus Rmus an. 1699 die 8. Oct. Ecclesiam Consecrationis gratia affecit.

458. *Hospitium Stockacense*[5], *S. Michaelis,* Stockachii, Austriae Anterioris et Dioeces. Constant. civitate positum, an. 1719 receptum, in regulari structura 1722 inchoatum, an. 1728 perfectum est, Ecclesia a Rmo D. Ioanne Francisco Antonio de Sirgenstein Episc. Uthinensi ac Suffrag. Constant. d. 12. Oct. eodem an. dedicata. *Hospitium Stuehlinganum*[6], *B. V. M. Lauretanae,* Stuehlingae vulgo Stuehlingen, civitate ditionis Fürstenbergicae ac Dioeces. Constant. situm, 1736 acquisitum et lapide primo a Rmo et Excellentiss. D. Francisco Abbate San-Blasiano an. 1738 die 1. Iulii

---

[1] Suev. Eccles. p. 560 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 125.
[2] Suev. Eccles. p. 745 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 191 etc.
[3] Suev. Eccles. p. 633 etc. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 139 etc.
[4] Suev. Eccles. p. 493. Bullar. cit. Romuald. cit. p. 51. etc. Bullar. cit. Romuald. cit.
[5] Bullar. cit. Romuald. cit. p. 197. etc.
[6] Bullar. cit. p. 205. etc.

posito inchoatum. *Hospitium Wurmblinganum*[1], *S. Sebastiani*, Wurblingae vulgo Wurmlingen, pago Sueviae ac Dioecesis Constant. Duttlingae vicino, anno 1764 inchoatum, ac per introductionem fratrum an. 1765 die 16. Iunii productam firmatum.

§ 4.

Monasteria existentia Clarissarum Ministris Provincialibus FF. Minorum Conventualium subiecta.

459. *Monasterium Meranense B. V. M. Assumptae.* Clarissae Urbanistae, ante an. 1290, uti relatio quaedam adstruit, aut saltem circa an. istum Merani in domo iuxta Ecclesiolam S. Catharinae collocatae, evolutis aliquot annis ad Coenobium in vicino solo ab *Euphemia* al. *Offina* item *Offka*, Ducissa Silesiae, tunc temporis Poloniae annexae, filia Henrici V. Crassi, Ducis Wratislaviensis ac Lignicensis ac Elisabethae[2] Uxore, Ottonis III. Ducis Carinthiae ac Comitis Tyroleos, cum istius consensu constructum, translatae sunt. Translatio haec, cum Coniuges an. 1300 in manus nuptiales convenerint, nullo modo in an. 1290 nec in annum 1300 a Brandisio ac Chron. M. S. Tyroleos fol. mihi 70 assignatum; sed in posteriorem uti veritati magis consonum apparet reiicienda venit. Fatus Otto Parthenium hoc in Tyroli[3] ac Dioecesi Curiensi situm, ac Provinciae Austriae substratum in suam specialem tutelam recepit, et eo an. 1310 vita functo, Henricus eius frater, aliquando etiam Rex Bohemiae idipsum an. 1311[4] praestitit. Ioannes XXII. P. Bulla: « *Dum praecelsa* » a Wad. expressa, VII. Idus Augusti Avenione data, fidelibus Ecclesiam eius visitantibus pro quatuor festis Marianis centum et pro diebus infra octavam eorum 40 dierum indulgentias impertitus est. En Diploma fati Ducis Henrici[5]:

Nos Henricus Dei gratia Bohemiae et Poloniae[6] *Rex: Marchio Moraviae, Dux Carinthiae, Comes Tyrolis et Goritiae, et Ecclesiarum Aquileiensis, Trid. et Brix. Advocatus, profitemur et universis praesentium inspectoribus declaramus: Quod, cum Frater noster carissimus quondam Otto Illustris Dux Carinthiae pia devotione ac sincero motus affectu fun-*

---

[1] Monum. Prov. Aust. Anter. Capucinorum. Catalog. Dioec. Constant. p. 290.

[2] Istius Pater erat Boleslaus Dux Calisiensis.

[3] Wad. Coenobium hoc in Carinthia; Zepken vero et alii istud in Voitlandia locantes, a veritatis centro plus iusto aberrant.

[4] Chron. Tyrol. MS. in altero loco p. mihi 91. fundationem ad annum 1349 reducens haud leviter deficit.

[5] Brandis. in Aquila Tyrol. part. 2. p. 25. etc. Granelli auctus in Topograph. Germaniae Austriacae part. I. p. 236. Wad. t. I. an. 1332. n. 13. et in Regesto Pontif. p. 444. Zepken p. 38. Sommersberg t. 3. tab. Genealog. I. p. 299. 338. 528. ac 630.

[6] Ex praetensione.

dationi et structurae novae, Claustri Sanctimonialium Ordinis S. Clarae in Merano, per dilectam Sororem[1] *nostram Ofmiam Ducissam Carinthiae relictam dicti nostri germani in remedium animarum omnium suorum, ac nostrorum Progenitorum inchoatae et fundatae suum consensum voluntarium praebuerit et defensionis subsidium impendere promiserit grata mente, prout suis privilegiis desuper datis, lucidius edocetur, Nos fraterna volentes in hac parte vestigia imitari praedictae fundationi seu structurae similiter nostrae sincerae voluntatis consensum, ac assensum promptum concedimus liberaliter, ac devote recipientes ipsum claustrum cum fratribus*[2] *ac Sanctimonialibus, ibidem Deo servientibus, Nuntiis et familiae Procuratoribus, possessionibus, rebus, proventibus, et universis ad ipsum et Collegium spectantibus in nostrae tutelae praesidium, et specialis gratiae favorem pariter et ampleximus*[3] *promittentes etiam eos in omni promotionis genere prosequi cum effectu, ut itaque praedicta firma, et roborativa perenniter pro nobis et haeredibus nostris perseverent, praesentes litteras eis dari iussimus, nostri secreti Sigilli munimine roboratas.*

Actum et datum in Gries anno Domini Millesimo trecentesimo undecimo[4] *Kalend. Martii indictione nona.*

460. Impetus aquae ex resolutione nivium exortus, an. 1418 Parthenium hoc devastavit. An. 1616 die 25. Ianuarii vitae Epilogum confecit « *Regina Sainin* », 30 annis heic laudatissima Abbatissa ob suavissimum odorem, ex eius tumulo saepius manantem, de eximia virtute aestimata. Lis, an. 1669 huic Claustro circa iurisdictionem mota, in favorem illius terminata est. Abbatissa eius olim per substitutum in Comitiis Provincialibus Tyroleos apparuit. *Provincia Austriae* Conventualium, cui hoc Coenobium paret, Fratres heic collocare solet, ex quibus primarius Commissarii titulo honoratur. Inter personas Ducales, in eo tumulo illatas, primam memoriam sibi vendicat *Euphemia,* seu *Offina,* aut *Offka,* Fundatrix istius Parthenii, charta in Ried an. 1347 exarata, isti 30. Marcas argenti, una cum variis Iuribus et possessionibus impertita, et an. eodem vita functa. *Euphemia,* seu *Offmein* Ducissa Carinthiae, Filia praedictae Fundatricis, ex istius charta ut defuncta an. 1331 nota. *Ursula,* eiusdem Fundatricis Filia, ex instrumento, an. 1331 signato ceu mortua indicata[5].

---

[1] Terminum hunc pro termino Sororis substituo. Sat crebro Frater uxorem fratris sui sororem vocat.

[2] Per verba ista insinuatur Residentia Fratrum.

[3] Ex Grammatica meliori: amplectimus, aut amplexi sumus, aut amplexamur.

[4] Granelli auctus. Brandisius heic ponit terminum *in;* optarem inspicere diploma originale, fors in eo stant haec verba: III. Kalend. Martii.

[5] Saecul. V. Convent. Vien. p. 20. 29. etc. Coronini in tentamine Genealog. Comit. Gorit. p. 247. etc. ac 347. etc. et alii iam citati.

461. *Monasterium Valdonense,* Valdona al. Valduna dictum, in Comitatu Feldkirchensi et Dioeces. Curiensi plantatum, occasione Angeli supra lapidem prius apparentis et suavissime concinentis, nec non feminarum in nigris velis inter supervolitantes Angelos a pio peregrino visarum, an. 1380 initium sumpsit. Promotoribus Claustri, videlicet: *Rudolpho* iuniore Comite Montfortensi, huius Viciniae Domino, ac *Marquardo* de Degensee mercatore 1381 vita excedentibus, fabrica ingenti cum difficultate continuata et sensim terminata fuit. An. 1394 in ea Vestales S. Clarae sedem fixerunt, in ista an. 1403 confirmatae et iure civico a Feldkirchensibus an. 1411 condonatae. Pestis an. 1412 multas earum in falcem mortis egit. *Fridericus* Austriae Dux ac Comes Tyrolis cognomento *Placidus,* Administrator Tyroleos pro Sigismundo Ecclesiam Parochialem in Andrach, in Sylva Brigantina intra metas Dioeces. Constant. conclusam et ad se spectantem, Parthenoni huic adiunxit. De cetero Coenobium hoc *Vallis Dominarum* nec non ad *Aureum Molendinum* subinde dictum, *Prov. Argent.* FF. Min. annexum, in divisione Ordinis penes Conventuales mansit. Templum suum in nova forma an. 1677 exstruxit. Resident hic duo Conventuales, nempe Confessarius et Laicus [1].

462. *Monasterium Villinganum Clarissarum.* In pago Nova Domus vulgo Neuhaus dicto, Villingae vicino, devotae quaedam mulieres olim convenerunt et piam vitam nulli S. Ordini insertae duxerunt. Iniuriae temporum ansam dederunt, ut in civitatem, pro qua gratia energice institerant receptae fuerint. In ea ab initio tertiae, successu temporis maiori spiritus fervore accensae, secundae Regulae S. Francisci nomen dederunt, in ista ab *Ursula Haydin,* cum aliis 7 Monialibus a Monasterio Valdonensi accita, instructae. Iurisdictionem ordinariam in hoc Parthenium Provincia Argent. FF. Min. Conventualium exercet [2].

§ 5.

Monasteria actu existentia Tertiariarum sub iurisdictione Provinciae Argentinensis Fratrum Minorum Conventualium reposita.

463. Monasterium *Thalbacense* [3], *S. Antonii Abbatis,* in loco Thalbach, Brigantiae adiacente, situs. Tres ut mihi refertur Sorores patria Brigantinae, magis pietate morum ac castimonia quam nummis ditatae, in domo

---

[1] Crus. part. 3. p. 294. Bucelin. in Helvet. sacra et profana p. 282. et 287. Guler. in hist. Rhaetiae fol. 151. et 222. Wad. t. 9. an. 1394. n. 10. t. 11. an. 1446. n. 24. Suev. Eccles. p. 796. etc. Relationes particulares.

[2] Suev. Eccles. p. 809. Monum. Monast. Villing. Clariss.

[3] Crus. l. 6. part. 3. p. 351. Suev. Eccles. p. 786. etc. Catalog. Dioec. Constant. p. 338. Monum. Parthenii Thalbacens.

aliquius Matronae Brigantinae commorantes, istam sua virtuosa vita ita sibi conciliarunt, ut ista eam domum antea ipsis locatam pleno iure cesserit; ista post aliquod tempus ad modum Coenobioli aptata, plures mox attraxit puellas, an. 1336 Regulam tertiam S. P. Francisci amplexas et exin adminiculo Rmi DD. Hildebrandi a Brandenburg, Patritii Biberacensis, in specialem protectionem sedis Apostolicae adoptatas et in sua vivendi ratione stabilitas. Crusius de eo in actis an. 1422 agit, qui tamen non correspondet initio. Minorita Conventualis heic residens Monialibus, quarum 32 circiter numerantur, in spiritualibus inservit. Coenobium hoc loco primo pono a limitibus Tyroleos incipiendo et in sequentibus Claustris iuxta ordinem geographicum pergendo. *Monasterium Reuttense*[1], *B. Elisabethae Bonae.* Rmus Conradus Kügelin, Praepositus Canoniae Waldseensis S. Augustini, *B. Elisabetham Aichler* seu *Aichim* et alias puellas a periculis saecularibus amoturus, Reuttae vulgo Reutta, pago a Waldsea forti hora remoto in Capitulo rurali Wurzacensi sito, Monasteriolum construxit, inque isto illas circa an. 1403 locavit. Fata Elisabetha, virtute sua heroica hoc illustrans, an. 1420 ad thalamum coelestem avocata fuit. Vita sua hoc in Parthenone communiter 17 Sorores fruuntur, in S. Tribunali ordinarie a R. D. P. Canonico regulari S. Augustini, extraordinarie a R. D. P. Benedictino Monasterii Vinariensis directae. *Monasterium Sulgaviense*[2] *S. Elisabethae,* an. 1361 excitatum, a 14 Sororibus inhabitatum et a Franciscanis Conventus Sulgaviensis in foro interno administratum.

464. *Monasterium Moshemiense*[3], Moshemii, Mosheim ac Mosa loco Sulgavio tribus horae quadrantibus seiuncto, an. 1387 ortum. Sorores eius, 15 circiter numero, Minorita Conventuali cum Confessario ordinario heic residente, extraordinario vero R. D. P. Praemonstratense Monasterii Sorethani, statis diebus adveniente, utuntur. *Monasterium Riedlinganum*[4], Riedlingae, civitate iam indicata, assurgens. Honesta D. *Gutta Klingler,* Riedlingensis, spectabilis viri Nicolai Klingler relicta vidua, cultum Divini Sponsi in Horto Seraph. tertiae Regulae propagatura, habitationem congruam pro 4 Sororibus certis redditibus pro iis sufficientibus instructam an. 1420 paravit. Lapsu annorum numerus crevit et ad 19 pervenit. Confessarii munus Capucini Conv. Riedlingani sustinent. *Monasterium Gorrhemiense*[5], *S. Michaelis,* Sigmaringae proximum vulgo Gorrhaim ac Gora dictum, intra Dioecesim Constantiensem et Capitulum rurale Moeskirchense constrictum. Hoc

---

[1] Suev. Eccles. p. 711. Catalog. cit. p. 339. Processus pro Canonizatione B. Elisabethae Bonae, p. 4. 7. etc.

[2] Monum. Monast. Sulgav. Tertiar. Catalog. Dioec. Constant. p. 340.

[3] Monum. Monast. Moshem. Tertiar. Catalog. Dioec. Constant. p. 339.

[4] Suev. Eccles. p. 721. etc. Monum. Monast. Riedling. Tertiar. ac Catal. cit. p. 340.

[5] Hueb. in Chron. Col. 1073. et 1341. Suev. Eccles. p. 363. etc. Catalog. Dioec. Constant. p. 338. Hist. Parth. Riedler. in relat. addita p. 69. Monum. Parth. Gorrhem. Tert.

initia prima ad an. 1303 revocat et geminis Sororibus, cuiusdam molitoris filiabus nummis oppido instructis adscribit, quae fallacibus mundi divitiis et caducis vitae huius temporalis deliciis longe posthabitis, sponte sua paucis Sororibus Gorrhemii iam prius unitis associatae, proprias quasdam ex paterno dotis subsidio compararunt aedes Ecclesiolae Gorrhemiensi relatae ad Laizensem filiali contiguas. Rev. ac Nob. D. Conradus a Rischach [1] Sororum istarum in foro conscientiae quaestor ac loci Curatus, istam Ecclesiolam de praevio quorum intererat consensu lubens an. 1347 in festo Pentecostes eisdem cessit. Domicilium hoc successu temporis in formatum Claustrum transiit, variis variorum dotationibus successive ad meliorem statum elatum R. D. Georgius, Episcopus Heliopotanus ac Suffraganeus Constantiensis Ecclesiae una cum Parthenio noviter e fundamentis excitatae an. 1688 die 2. Octobris cum Dominica 17. post Pentecosten coincidente inaugurationem impendit. Monasterium in Chron. Hueberi Col. 1073 perperam Clarissis appropriatum, 15 circiter Moniales concludit et imaginem B. V. Mariae gratiosam veneratur. Minorita Conventualis in eo aut Laizensi morans, utrique in foro interno inservit.

465. *Monasterim Laizense* [2], a Gorrhemiensi exiguo horae quadrante avulsum, Laizii vulgo Laiz, pago a Danubio irrigato, in ditione Sigmaringano-Zollerana, Dioecesi Constantiensi et districtu rurali Moeskirchensi plantato, considet. Originem suam, an. 1308 correspondentem, ex traditione antiquissima familiae Comitum de Montfort adscribit. Ignis una alterave vice ei inimicus documenta absumpsit, et hoc ipso notitiam individuam fundatorum ac benefactorum suffocavit; licet autem Illustr. D. *Felix Comes Werdenbergius* et *Elisabetha* Conthoralis eius, nata *de Freyberg* et *Neuenburg*, priorem fundationem an. 1527 innovaverint; attamen ex eo in bona specialiter collata nulla notitia effluxit. De cetero Parthenium hoc Ecclesiae parochiali appropinquans, in ista oratorium speciale, statuae Marianae vespertinae gratias elargientis sedem frequentans 19 regulariter Sorores concludit. Auth. Suev. Eccles. istud *Provinciae Argentinensi Recollectorum* adscribens, in veritatem deliquit. *Monasterium Hermansbergense* [3], vulgo Hermansberg dictum, in Dioeces. Constantiensi, districtu Capituli ruralis Linzgov., Parochia Lippersreuttensi situm, ac duabus horis Iuliomago remotum, iuxta Catalog. Dioec. Constant. 1398, iuxta Suev. Eccles. 1401 inchoatum. Ansam ad istud dedere feminae hic sese congregantes, loco quarum utcunque cessantium Tertiariae Seraphicae subintrarunt, pro quibus D. *Egolfus de Breitten-Landenberg* vir status Equestris Asceterium

---

[1] Credibilius Reischach, familia sat celebri Sueviae.

[2] Hueb. cit. Col. 1341. Suev. Eccles. p. 492. Catalog. cit. p. 339. Hist. Ridler. Parth. cit. Monum. Parth. Laizens. Tert.

[3] Suev. Eccles. p. 411. etc. Catalog. cit. p. 338. Monum. huius Parth.

condidit, et in eius Ecclesia una cum *Verena de Klingenberg in Hochenwiel* sua Uxore ac *Alberto* Filio sepulchrum selegit. Inveniuntur hic circiter 15 Sorores, a Minorita Conventuali hic residente in foro animae provisae.

466. *Monasterium Bechiense*[1], in Principatu Fürstenbergensi ad radices *Montis Sancti,* ac Dioecesi Constantiensi positum, ab arce Montis S. versus austrum hora et dimidia elongatum. Bechi (Beche) an. 1480, uti Catalog. Dioeces. Constant. vult, aut an. 1412, velut Bruschius, Crusius et alii edicunt, Parthenium tertii Ordinis S. Francisci ex piorum eleemosynis congestum est, a *Ioanne Sutor* Sulgaviensi, Parocho Hasenwilensi ad ampliorem et firmiorem formam traductum, a Comitibus Montis S. in tutelam susceptum ac variis beneficiis affectum, per vulcanum an. 1755 consumptum et exin in nova forma excitatum. In servitiis Sponsi coelestis stant heic 14 Sanctimoniales, quarum Confessarius ordinarius Cappellanus et extraordinarius Conventualis Caenobii Uberlingani existit. *Monasterium Weppacense*[2] vulgo Weppach in Dioecesi Constantiensi, ac Capitulo rurali Linzgoviensi collocatum, unico horae quadrante Bermatinga avulsum, an. 1424 exstructum 14 Sorores complectitur et in S. Tribunali a duobus Conventualibus, quorum unus hic residet, gubernatur. *Monasterium Uberlinganum*[3], *S. Galli.* Hoc in loco iam in septimo Ecclesiae saeculo a *Friedeburga* Cunzonis, Alemanniae Reguli Filia Parthenium erectum est, post varias temporum et rerum vicissitudines ad Tertiarias Franciscanas an. 1300 devolutum. Consident hic 16 Sorores, quibus Minoritae Conventuales Coenobii Ueberlingani sua spiritualia obsequia deferunt.

467. *Monasterium Supplinganum*[4], Supplingae (Supplingen) pago ditionis Fürstenbergensis, Dioeces. Constantiensis, ac Capituli ruralis Stockacensis, lacui Acroniano adiecto, an. 1400 ut Catalog. Dioeces. Constant. affirmat exortum. Auth. Suev. Ecclesiasticae incunabula eius minus bene ad saeculum XIII. revocans, supremos Commendatores Ordinis Teutonici Alshusii residentes ceu promotores primarios eiusdem promulgat. Parthenium in saeculo XVI. occasione Lutheranismi suis incolis destitutum subin refloruit. R. *Conradus,* Sacerdos, Stausslinganus Suevus, propriis sumptibus totum Coenobium non solum in meliorem formam redegit sed et perpulchrum ei adstrui fecit sacellum. Moniales 15 circiter in servitiis divinis heic occupatae, in S. Tribunali tum ordinario tum extraordinario Conventuali Conventus Uberlingani utuntur. *Monasterium Möckinganum*[5] Möckingae,

---

[1] Brusch. fol. 107. Crus. part. 3. L. 6. p. 336. Bucelin. in German. S. part. 2. p. 12. Monum. istius Parth. Suev. Eccles. p. 157. etc. Catalog. mox cit.

[2] Catalog. cit. p. 340. Monum. Parth. Weppac. Tert.

[3] Suev. Eccles. p. 800. Catalog. cit. p. 340. Monum. istius Parth.

[4] Rodulph fol. 291. Hueb. cit. Col. 1341. Suev. Eccles. p. 785. etc. Catalog. cit. p. 340. Monum. huius Parth. Hist. Ridler. cit.

[5] Catalog. cit. p. 339. Monum. istius Monasterii.

vulgo Möckingen, pago Dioeces. Constant. iuxta Ratholdi-cellam sito, iuxta Monum. Prov. Argent. Convent. an. 1278 neutiquam an. 1378 exstructum. Vitam hic agunt 15 circiter Sorores, penes quas munus Confessarii ordinarii D. P. Cisterciensis Coenobii Salemitani, extraordinarii vero Conventualis sustinet. *Monasterium Grünenbergense* seu *Viridi-Montanum*[1], vulgo Grünenberg dictum, in Dioeces. Constant., Capitulo rurali Steinensi ad Lacum Acronianum an. 1282 excitatum, et a 15 Sororibus possessum, a Conventualibus Coenobii Uberlingani in foro animae regitur.

§ 6.

Monasteria Seraphicarum Tertiariarum, Ordinario Loci subiecta.

468. *Monasterium Brigantinum S. Annae,* prope Brigantiam in loco Ried situm exacta vitae Monasticae Observantia et perfecta Clausura celebre. Ortum suum Triumviris Fratribus Germanis, stirpe *Schmid de Wellestein*[2], videlicet *Thomae* Consiliario Archiducali ac Toparchiae Brigantinae Praefecto, *Casparo* Canonico et Parocho Wisensteigensi, ac *Magno* in nova Basilica Herbipolensi Decano, adscribit an. 1604 illud excitantibus et Provinciae Argent. FF. Min. Conventualium subiicientibus. Illustriss. D. Ladislaus, Nuntius Apost. apud Helvetos illud iuri Episcop. Constant. an. 1611 commisit. Prima eiusdem Professa et Antistes, quam Matrem vocant, exstitit *Ven. S. Ursula Schmid de Wellestein,* ipsius confundatoris Thomae et Mariae Magdalenae Miltobler Filia, quae inter complures variantis fortunae casus gubernium ab an. 1606 usque ad annum 1629 magna virtute tenuit, primaque fuit, quae cum *S. Anastasia Signer* ex Parthenone in *Wunenstein* huc vocata reformationem induxit, factaque dicto an. 1629 officii resignatione, beatae mortis studio se totam dicavit, quam et an. 1642 pridie Kalend. Decemb. in odore suavitatis subiit. An. 1684 die 21. Oct. heic Clausura introducta fuit. An. 1687 abhinc duae Moniales *Marckdorffium,* an. 1707 *Iuliomagum* reformationis ergo, an. 1747 duae postulatae *Seggingam* abierunt. Benedictus XIV. an. 1740 huic Claustro Indulgentias pro novem diebus, festum Christi nati praecedentibus, dedit. De cetero pro Visitatore delegato Rmum Abbatem *Augiae Maioris* Brigantinae, vulgo *Mehrerau,* cui R. P. Capucinus assistere solet, reveretur. In foro conscientiae a Capucinis dirigitur, in Ecclesia tria Altaria, nempe

---

[1] Catal. cit. p. 338. et Monum. huius Coenobii.

[2] Familia ista subin ad statum Comitum elata est.

S. Annae, S. Ant. Patav. et S. Almachii, cuius corpore fruitur, ac 31 circiter Moniales inter Capucinas tertiarias repositas, recenset[1].

469. *Monasterium Ravensburgense.* Circa ortum eius videntur discrepare Catalogus Dioeces. Constant. et Auctor Suev. Ecclesiasticae, priore an. 1335 allegante; posteriore vero aiente, quod quaedam devotae feminae sub an. 1400 tertiam Regulam S. P. Francisci selegerint. Tertiariae hae Lutheranismo partem civitatis deteriorante, Sponso coelesti fidem illibatam servarunt, et haud ita pridem a iurisdictione Prov. Argentin. Conventualium, sub qua per plura saecula stetere, ad iurisdictionem Episcopalem se transtulerunt, degunt heic 21 circiter Sorores, in Ecclesia S. Michaelis. Claustro adsita, sua exercitia spiritualia communia peragentes, et PP. Carmelitas in foro conscientiae adhibentes[2].

470. *Monasterium Altorffense, seu Vinariense S. P. Francisci.* Rmus Hermanus Toparcha de Brechtenweiler, S. R. I. Abbas Vinariensis, Altorffii, vulgo Altorff, oppido Dioeces. Constant. dit. Austr. per celeberrimum Monasterium Imperiale Vinariense, eidem adiacens, insigne, an. 1266 in fundo a spectabili Vidua strenui Domini *de Hundpiss* coempto, Parthenium pro tertariis Seraphicis in altum extulit, Ministro Prov. Alemanniae seu Argent. FF. Minor. absolute talium, exin Conventualium subiectum. Incolae eius occasione Lutheranismi in numero plus aequo diminutae, sub an. 1525 Claustrum cum suis bonis et iuribus Magistratui politico ad interim resignarunt, et aliorsum dilapsae morti vectigal solverunt. Causam Monasterii, in publicam tabernam mutati, Rmus D. Gerwicus, fati Coenobii Vinariensis Abbas, suscepit, duas Tertiarias Constantia advocatas, in illo locans et a Ioanne[3] Episc. Constant. an. 1534 die ult. April.[4] Commissarius dicti Parthenii constitutus. Lis acerrima circa restitutionem bonorum temporalium et documentorum exin effervescens, an. 1573 dirempta est, Monasterio in integrum potissima ex parte restituto. An. 1609 Ecclesia nova inchoata, an. seq. absoluta et an. 1612 pridie Kalend. Iunii a Rmo Ioanne Iacobo Mürgel Episc. Sebasteno ac Suffrag. Constant. consecrata fuit; an. 1627 copia SS. Eucharistiae Sacramentum in eadem conservandi sub certis conditionibus, an. 1663 innovata successit. An. 1685 Monasterium novam formam accepit. De cetero subest Celsiss. Principi Constant. mediante Rmo Abbate Vinariensi Visitatore delegato, et coarctat 17 circiter Sorores, in foro animae sub cura PP. Benedictinorum Vinariensium viventes[5].

---

[1] Suev. Eccles. p. 202. Bullar. Capuc. t. 4. p. 80. Monum. Parthen. Brigant. ad S. Annam. Catalog. Dioeces. Const. p. 336.

[2] Suev. Eccles. p. 701. Catalog. cit. p. 339.

[3] Intelligitur Ioannes quintus Comes de Lupfen, an. 1532 ad regimen promotus. Catal. Dioec. Constant.

[4] Suev. Eccles. Decretum hoc et quaedam alia instrumenta huius Parthenii exprimit.

[5] Suev. Eccles. p. 83. et pluribus seq. Catalog. cit. p. 342. Monum. istius Parthenii.

471. *Monasterium Marchdorfiense S. Iosephi.* Vestales tertiariae Berckemii propre Marchdorfium ab initio, ut n. 255 dictum residentes, a S. Congregatione Episc. et Regul. Decretum an. 1687 die 10. Ianuarii latum et in Bullar. Capuc. expressum, ad strictiorem vivendi methodum transeundi obtinuerunt, et ad istam per Moniales Capucinas, Brigantia advocatas promotae, a iurisdictione Conventualium amotae, iurisdictioni Reverendiss. Nuntii Apost. ad Helvetos substratae fuerunt. Stationem opportuniorem pro vita religiosa quaerentes, eam Marchdorfii a Celsiss. et Reverendiss. Episc. Constant. ac Domino Territoriali acceperunt an. 1689 [1] ad dictam civitatem translatae. Innocentius XII. P. certior redditus, Monialibus his ob nimiam distantiam a loco S. Nunciaturae Lucernensis, minus bene consultum esse an. 1699 die 26. Sept. [2] eas a iurisdictione Nuntii Apost. exemit ac Principi Constantiensi sub iurisdictione Capucinorum subiecit. Recensetur heic 25 circiter Moniales, Tertiariae Capucinae dictae, in foro conscientiae a PP. Capucinis provisae [3].

472. *Monasterium Königseckio-Waldense* seu *Silvestre* in ditione Königseckio-Aulendorfensi, Dioeces. Constant. positum, Sulgavio tribus horis remotum. Pro fundatore reveretur Illustriss. D. *Dionysium Baronem* [4] *de Königseck,* isti an. 1521 [5] initium dantem, ac Adriano VI. P. et Hugone de Landenberg Episc. Constant. pium opus ratum habentibus, Prov. Argentinae de Observantia idem attribuentem. Numerus Sororum, licet conditiones litterarum fundationalium sat arduae exstiterint, brevi numerum duodecimum quidem attigit; ast per iniurias Belli Suecici ab eo iterum defecit. Anno 1653 hic tantum duae professae et una Novitia numerabantur. Provincia Argentinense an. 1660 Monasterium hoc resignante, iurisdictioni Ordinarii cessit et subin omnino periit. An. 1712 die 15. Maii Illustriss. de Königseck Vidua instrumentum [6] pro eius resuscitatione erexit, a Sororibus acceptatum et a Reverendissimo et Celsiss. Principe ac Episc. Constant. Ioanne Francisco Schenck confirmatum. Detinent se hic 9 Sorores, in foro conscientiae ordinarie a Parocho Riedhusano, et extraordinarie a R. D. P. Cisterciensi Monasterii Salemitani provisae [7].

473. *Monasterium Pfullendorfiense SS. Cordis Iesu,* a Tertiariis Capucinis modo inhabitatum, Pfullendorfii, al. Iuliomagi v. Pfullendorf civitate Imperiali, Catholicae fidei addicta, in Dioecesi Constantiensi et Capitulo Linz-

---

[1] Iuxta Suev. Eccles. et Catalog. cit.

[2] Diploma in Bullar. Capuc. prostat.

[3] Suev. Eccles. p. 563. Bullar. Capuc. t. 4. p. 37. etc. Catalog. cit. p. 337.

[4] Königseckii tunc temporis non erant Comites.

[5] Hueb. et Suev. Eccles. ex Monum. authenticis, unde cadit an. 1656 a quodam allegatus.

[6] Copia eius in Archivo nostrae Prov. exstat.

[7] Monum. Prov. Argent. Franciscan. ac huius Parthenii, nec non Prov. nostrae. Hueb. in Chron. Col. 1368 ac 1406 Suev. Eccles. p. 837. Catalog. Dioec. Constant. p. 337.

goviensi sita, an. 1165. Provinciae Tyrol. FF. Minor. Reform. 1165[1] fundatum. Tres germanae sorores, proprias aedes a Templo parochiali remotiores Pfullendorfii incolentes, devotioni addictissimae illud maxima cum diligentia frequentarunt, quandoque summo mane prae foribus Templi genibus insistentes, orantes et avidissime adventum ostiarii S. Limina reserantis exspectantes deprehensae. Cives pia earum vivendi methodo commoti, devotulis tertiae Regulae S. Francisci subin nomen dantibus, pro suis aedibus alias, a Familia Selhoveriana olim possessas Ecclesiae parochiali proximiores, consignarunt. Ex his coaluit Parthenium, primitus S. Elisabethae sacrum et Ministro Provinciae Germaniae superioris Conventualium substratum. Incolae eius lapsu temporis modum vivendi strictiorem Capucinarum Tertiariarum assumentes Ordinario loci sese subiecerunt. Parthenium hoc modo SS. Cordis Iesu devotum ab 18 Sororibus Choralibus et 3 Laicis incolitur; in foro conscientiae a Capucino residente et ab alio statutis temporibus se sistente directum[2].

474. Apponuntur quaedam Domus Tertiariarum collegialiter viventium ac vota tria simplicia emittentium Ordinariis locorum subiectae; videlicet: 1. *Brixinensis*, an. 1701 inchoata et ad modernam formam an. 1707 redacta. 2. *Ehingana*, an. 1709 ab *Anna Maria Fiegl* initium nacta, an. 1712 extensa ac an. 1738 deiecta priori domo in nova forma excitata, proprio Sacello S. Petro de Alcantara sacro instructa. 3. *Bulsanensis* per *Mariam Innerhofer* an. 1703 coepta. 4. *Caldariensis* per admissionem Magistratus Caldariensis an. 1731 orta Ecclesia propria, pro qua lapis primus an. 1734 est positus decorata. Antiquitus uti P. Iustinus Kaltprunner in Chron. M. S. Prov. Tyrol. Franciscan. attestatur, et ex instrumentis Conv. Suazensis Franciscanorum an. 1518 et seq. exaratis deducitur, Fratres et Sorores tertii Ordinis S. Francisci collegialem vitam prope Monasterium Franciscanorum duxerunt, lapsu temporis evanescentes[3].

---

[1] Iuxta Catalog. maiorem Dioec. Constantiensis, unde 400 circiter annis ante an. 1699 exortum non fuit.

[2] Hueb. in Chron. col. 1341. Suev. Eccles. p. 668. Libell maior Dioeces. Constant. p. 337. Monum. Parth. Pfullendorff. Tertiariar. Romuald. a Stockachio in Chron. Prov. Anter. Capucinorum perperam istas Moniales Clarissas vocans.

[3] Monum. Prov. Tyrol. Franciscan. ac Domuum h. n. factarum. Kaltprunner cit. ac Monum. Conv. Suaz. Franciscan.

INDEX NOMINUM

A

B

H

I

K

L

M

N

Q

R

S

Nihil obstat quominus

IMPRIMATUR.

Datum Romae ad S. Antonium, die 16 Ianuarii 1894.

Fr. Raphael ab Aureliaco,
Del. Gen.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, ex Curia Archiepiscopali,
die 20 Ianuarii 1894

Can. Aemilius Miniati, *Vic. Gen.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

In fine tomi II. huius operis est sequens breve additamentum, quod spectat ad historiam Provinciae Tyrolensis, quae primo loco illius tomi posita est.

« Parthenia Tertiariarum Horbense ad S. Iosephum et Rottenburgense ad S. Annam, de quibus pag. 205-207, et pag. 215-218 actum est, interea mutationem subierunt. Cum enim res oeconomicae non adeo feliciter succederent, nec conservandis diutius ambobus domiciliis sufficere viderentur, illa in unum coire auctoritate Caesareo-Regia iam anno 1779 iussa sunt. Quare Sorores Horbenses, licet earum status oeconomicus Rottenburgensi florentior esset, et propterea meliora sperarent, die 14 Iulii 1780 per Commissarios Caesareo-Regium et Episcopalem Rottenburgum translatae atque sororibus ad S. Annam iunctae sunt; quo facto Rottenburgense asceterium ad iurisdictionem Reverendissimi Ordinarii Constantiensis, sub qua ante Provinciae Tyrolensis erectionem fuerat, postliminio rediit ».

ERRATA		CORRIGE
Pag. 2 *in nota* 1	de Schmid	Schmid
» 11 *lin.* 14 *(ab inf.)*	15 Sept.	14 Sept.
Ibid. adde: 10. Munderkinganum die 15 Sept.		
Pag. 14 *in nota* 1	Vol. 3	Vol.^e 4
» 16 *lin.* 11	Sulinensis	Salinensis
» 18 » 16 *(ab inf.)*	1642	1624
» 28 » 10 *(ab inf.)*	Ferdinandns	Ferdinandus
» 30 » 10	Schüz	Schick
» 35 » 11	Haltpruner	Kaltprunner
» 38 » 8	mortuus	moturus
» 42 » 12 *(ab inf.)*	Narcisssus	Narcissus
» 47 » 23	confirmutione	confirmatione
» » » 1 *(ab inf.)*	Deligiosorum	Religiosorum
» 55 » 10	volutatem	voluntatem
» » » 6 *(ab inf.)*	amen	amem
» 56 » 4	liberalitae	liberalitate
» » » 6	Caesrea	Caesarea
» 57 » 14	Sofa	Sosa
» 58 » 16	Ladron	Lodron
» 61 » 11	Oenipotem	Oenipontem
» 94 » 7	Couventuales	Conventuales
» 96 » 2	Belliensi	Bellinensi
» 104 » 18	Innii	Iunii
» 128 » 13 *(ab inf.)*	Sarenthan	Sarenthain
» » » 14 »	surrrexerunt	surrexerunt
» 152 » 6	praeiudicim	praeiudicium
» » » 13	Huepper	Hueppher
» 181 » 8	Rupolphi	Rudolphi
» 286 » 15 *(ab inf.)*	Zingrien	Zingrein
» 295 » 8	Mosmiüller	Mosmüller
» 314 » 14 *(ab inf.)*	Letzelter	Lebzelter
» 325 » 15	Carlomanuus	Carolomannus
» 369 » 10	Pundbiss	Hundbiss
» » » 11	Pohenembs	Hohenembs
» 371 » 11	Phuen	Khuen
» » » 16 *(ab inf.)*	Iosephns	Iosephus
» 372 » 14	Waldescae	Waldseeae
» 380 » 5	Heorg	Georg
» 387 » 14	Ambrosias	Ambrosius

Quoties occurrit Caesarius Blandstetter *lege* Prandstetter, *pro* Camerer *lege* Kamerer.